BIBLIOTECA NAZIONALE VITT EMANUELE
12
4 R
4

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT EMANUELE
55
66
18
ROMA

12

13
2
C
13

DE QVAESITIS
PER EPISTOLAM
IN ARTE MEDICA
Centuriæ Quatuor.

VBI VARII CASVS, OBSERVATIONES, Conſilia, Reſponſa, Diſputationes, atque Curationes non ſine promiſcua Doctrina deſcribuntur.

VINCENTIO ALSARIO CRVCIO
GENVENSE AVCTORE.

Ad Illuſtriſſimum Principem

LVDOVICVM LVDOVISIVM
S. R. E. CARDINALEM CAMERARIVM,
& Archiep. Bononieſem, Gregorij XV. Nepotem D. S.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



VENETIIS, Apud Iuntas, M DC XXII.

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI
LVDOVICO LVDOVISIO
S. R. E. CARDINALI CAMERARIO, ET ARCHIEPISCOPO BONONIENSI
Gregorij XV. Nepoti D. S.

VINCENTIVS ALSARIVS CRVCIVS. S. D.

QVanta omnium hodie ſit animi lætitia, quanta exultatio poſt creationem ſcilicet Gregorij XV. Pontificis Optimi Maximi, Patrui quidem tui, Cardinalis Ampliſſime, ſed ſingulorum CHRISTI Fidelium Patris humaniſſimi nec calamo ſcribi, nec verbis exprimi poteſt. Diuina ſi quidem prouidentia Chriſtianorum Orbi,& Vrbi primariæ, vbi Sacroſancta Petri, & ſucceſſorum Sedes reſidet, tanquam Sol nouus affulxit ſuauiſſimo tepore, auctor,& origo generationis omnis. Qui tantarum virtutum ſplendore, etiam denſiſſimas ignorantiæ tenebras diſijcit, & illuminat, ſuæque imprimis magnanimitatis, ac munificentiæ irradiatione omnes nullo prorſus diſcrimine calefacit, benigniſſimè fouet, & demum in ſublunaria quæque viuificum nectar ita largè diffundit, vt vel à primo ſtatim illius exortu, cuncta apud nos reuiuiſcere, ac reuireſcere videantur, horridum ſqualorem, lucente hoc Sole, nunquam ſubitura. Cur itaque mihi, & omnibus fas non erit tantum Pontificem cor Mundi cum Homero appellare, cui Sol mundi cor eſt, quemadmodum, & cor Sol hominis eſſe fertur eleganti admodum analogia? vt enim ſol perenni ſuo & indefinenti motu, ſuoq; viuifico calore vniuerſa exhilarat, ac vigore replet, vnde terra floribus redimitur, herbæ, ac fruges multiplices gignuntur, arbuſtaque omnia gemmas emittunt, & viriditate veſtiuntur, contra verò tàm ſalutari ſydere longiùs à nobis digreſſo, horreſcit tellus, arbores folijs ſpoliantur, & omnia ferè, quæ naturæ fœcunditas ediderat, labefactantur, & ad ſenium frigore compelluntur, ita cordis continua motione, eiuſdemque vitali calore totum corpus noſtrum reficitur, & conſeruatur, cum ſit fons humanæ naturæ, & ipſo vigente, vigeant omnes animantis partes, languente langue-

ſcant,non aliter ac ſi Solis motus ceſſaret, illicò magni mundi ſyntaxis diſſolueretur. Cur ideo etiam tam inſignis, & ſublimis Princeps, alter ſanè, ſi de Ethnicis loquor, noſtrorum temporum Traianus, lucido illi igni cum Platone in Protagora comparari non poterit,quem veteres finxerunt Prometheum è cœlo furatum, vt hominem vita donaret? Tandem illi Soli aſſimilandus omnino eſt, de quo ita Diuinus Vates: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*. Non longè autem ab hoc ipſo Sole (liceat mihi quæſo per modeſtiam tuam,quod omnes dictitant libere efferre) micat Stella, & ipſa proſpera nobis omnibus, & ſalutaris, quæ inſtar magni Syderis cum Ariſtot. γεννητικὴ, ſeu rerum omnium procreatrix, ac parens dici meritò poteſt, vt nulli mirum eſſe debeat, ſi nouo hoc ſæculo Romæ tot nouæ,& admirandæ res inſurgunt, breui temporis ſpatio in omnem terram ad maiorem Eccleſiæ Romanæ, hoc eſt Catholicæ propagationem diſſeminandæ; extra quam Dei Eccleſiam qui agnum comedit profanus, & ſacrilegus eſt, vt ait B. Hieronymus. In te ſiquidem, (nam de Sanctiſſimo D. N. alibi fuſiùs, & opportuniùs) mira ſemper fuit erga omnes humanitas, flagranſq; deſiderium hunc,& illum iuuandi,& nunc ea eſt Tua vel in minimos quoſque benignitas, atque clementia, vt omnes in Tui amorem allicias, & nemo Romæ ſit vel opibus, vel generis nobilitate, vel literarum ſtudijs preclarus, qui non Te libentiſſimè colat, quique Tibi inſeruire non ſummoperè cupiat. In ſtudio autem variarum diſciplinarum, & legum imprimis quantum laboris impenderis, quantumque ſupra ętatem profeceris,notius eſt omnibus,quàm vt longius debeat in nuncupatoria epiſtola demonſtrari. Interrogentur hi potiſſimum, qui Te non ita pridem Bononiæ in celeberrimo illo Muſarum Emporio publicè diſputantem, & docentem audierunt, quique in domeſticis,& familiaribus colloquijs deguſtarunt. Hi omnes extollunt ingenij acumen, mirabili tamen etiam cum iudicio coniunctum. Vnde nec mirum eſt, ſi (quod ego ipſe meis auribus percepi à viris Principibus, quibus placuiſſe non infima laus eſt) tantam in Chriſtianæ Reipublicæ rebus pertractandis prudentiam, quæ eſt imperantis propria, & vnica virtus, prætefers, vt à mille ante retrò ſæculis immenſam huius Imperij molem ſuſtinuiſſe videaris. Ideo quot Romæ Principes ſunt, ſeu Sacri, ſeu Politici, tot ſimul Tuarum virtutum, & laudum præcones exiſtunt. Vitæ quin etiam candore, ac morum probitate iam vbique ita refulges, vt meridiana luce ſplendidior appareas. Sumus enim in Ciuitate ſupra montem poſita, & omnium gnara, ac nihil reticente. Quod quidem quantum ſplendoris,quantumque vtilitatis allaturum ſit cum cæteris alijs, qui ſub diuino Catholicæ Eccleſiæ vexillo militant, tum ijs præſertim, qui apud exteras, & longè ſemotas regiones,vitam,& mores tantummodo Eccleſiaſticorum conſiderantes, cæleſtem verò potentiam, & auctoritatem ijſdem à Chriſto D.N. impertitam parui facientes in tenebris ambulant, omnibus dijudicandum relinquo. Multos præterea vocaſti, imò erexiſti,

ſpiritum,

ſpiritum, & ſanguinem ſub Te recipientes literarum ſtudijs addictos, mihi etiam de facie non ſolùm fama notos; vnde per Te verior noſtra hac tempeſtate eluceſcit Senecæ Tragici ſententia:

Nunquam Stygias fertur ad vndas
Inclyta virtus, viuite fortes.

Quorum ſanè decora ingenia temporibus Tuis dicendis neutiquam deerunt, ita vt cum eloquentiæ Parente dici ab vnoquoque poſsit: O fortunate Adoleſcens, qui Tuarum virtutum Homeros præcones inueniſti. Debent autem hi tibi multum; ſed ego cęterorum familiarium humillimus quam maximè, vt vitam ipſam pro Te millies ſi opus eſſet, profundere omnino tenear, cum Tu ad hanc ſublimitatem vix elatus me ſubito in Tuum medicum ęlegeris, & ſortis meæ vices commutaueris. Neque enim ſilentio inuoluendum eſſe videtur, quod vnà veriſsimum, & palam notiſſimum eſt, quando in raram illam temporum fęlicitatem incidimus, in qua ſentire quæ velis, & quæ ſentias, liberè dicere licet: & in qua ſimiliter per lumen noui Solis, & nouam quoque Tuam irradiationem fieri cuncti vident, & prædicant, vt, quod Seneca philoſophus refert, ictibus & ipſe olim inconſtantis huius fortunæ perculſus, aduerſus virtutem hoc poſsint calamitates, & damna, & iniuriæ, quod aduerſus Solem nebula poteſt. Diuulgaturus itaque, & in apertum editurus mea hæc opuſcula medicinæ ſtudioſis, & profeſſoribus haud inutilia, hoc eſt Centurias de Quæſitis per Epiſtolam in Arte Medica, vbi inter cętera variorum caſuum enarrationes, & curationes, quas vel publicè docendo, vel priuatè conſulendo, aut medendo perfeci, continentur, Tibi ſoli nuncupanda eſſe duxi, cui omni iure debentur, & à cuius vberrimo calore eadem ſpiritum viuificum, nec ita breui tempore marcore extinguendum receptura eſſe nemo non videt. Quare illud vnum ſupereſt, vt Tu ea, qua me in Tuorum numerum cooptare dignatus es, humanitate, atque clementia, opus hoc, qualecunque ſit, hilari vultu, & exporrecta fronte ſuſcipere minimè graueris, dum interim ego Tuis ſub fęliciſsimis Auſpicijs alia multa etiam moliri, & in vnum cogere publicæ vtilitatis ergo pro viribus ſtudebo. Deus O. M. Te vnà cum Sanctiſsimo D. N. Patruo Tuo diutiſsimè conſeruet.

Datum Romæ Kal. Martij 1621.

AD

A D
LVDOVICVM LVDOVISIVM
S. R. E. CARDINALEM
AMPLISSIMVM.

INflandas cape pręco tubas, gentemq; reuela:
Tuq; Ludouiſi ſtemma per aſtra vehas.
Perge per ęternos nomen ſibi ſumere faſtos,
Victorem cœlo nam dabis ipſe pedem.
Aſtra fauent, patruoq; tuo dant ſydera ſceptrum.
An tu cum patruo ſydere ſydus eris?
Sydus ades, dat terra tuo ſub lumine fructum,
Hoc ſupereſt, cœli ſydus in orbe mices.
Nil dubita, dabit arma polus, dabit omnia tellus
Gratia ſit ductrix, ſit bona vita via.
Qui patruo ſubmiſit humum, dominumq; locauit,
Hic poterit titulis nectere plura tuis.
Perge igitur meritis ſapientum tollere facta,
Sic erit ad laudes area lata tuas.
Ecce repentinos pronuntiat orbis honores
Atq; Ludouico cardine fundit opes.
Fundit opes, ſimul addit opem; benè nauigat aluus,
Nauclerum vita nunc habet illa ſua.
Hinc viuo laus viua tibi eſt, viuetq; ſepulto
Complebis meritis tempus vtrumq; tuis.
Cura duplex, eſt vna animæ, eſt & corporis vna,
Illa eſt Presbyteris, hæc erit at Medicis.
Hos inter Crucius, præſtanſq; voluminis auctor,
Nouit Phœbęas applicuiſſe manus.
Quidquid enim commune malo parit herba, vel vnda
Præſtes in auxilium, vir medicamen habet.
Toxica quid pellat, præbet: quid vulnera ſtringat
Edocet, & nocuas diſſipat arte febres.
Clinicus eſt thalamis, cathedriſq; Theoricus exſtat
Ingenio limat ſic bona quæq; ſuo.
Quidquid Aretæus priſco conſcripſerat orbe,
Atq; Hippocrateis fama reducta modis.
Quod cecinere duo, Crucius ſub pectore claudit,
Vberiuſq; capit flumen ab ore liber.

Teſtis

Teſtis adeſt Venetus; teſtis Flaminia tota
Et cum Principibus Roma ſuperba viris.
Hinc Crucium generoſe colas, caeptiſque faueto,
Nam ne vincaris vulnere, Phœbus erit.
Phœbus adeſt, medicaque manu dat germina florum
Seminibus iactis quos perit alma ceres.
Hic tibi multarum tribuet medicamina rerum
Et ne lædaris Pharmaca ſana dabit.
Quod nequijt proprijs quondam Podalirius herbis,
Hic ſibi ſub proprio pectore fixa tenet.
Hic feret auxilium ſæuus licet vrgeat hoſtis
Dum redit ad veterem mens benè ſana modum.
Inuida quid garrit ſoboles? quid lingua minatur?
Emergit virtus, & benè nota placet
Stemma Ludouiſij Crucium nunc tollit in altum,
Ne foret in tenebris merſa Sophia viri.
Cum cruce tartareos fas eſt depellere manes
Par eſt cum Crucio pellere poſſe luem.
Morbus adeſt, medicamen habet, celeriſque fugatur,
Nam neſcit medicas de Cruce ferre manus.

Patricius Rochus Hibernus Kinſalienſis.

IOAN-

CVm ſit crux morbus, cum morbos pharmaca pellant;
Cur ſit Crux morbos qui fugat arte cruces?
Qui fugat, & ſcribit qua ſint ratione fugandæ,
Crux eſt, vt crucibus crux ſit & ipſe malis.
Morborumq; cruces ſpernat Ludouiſius heros;
Dum fouet ille Crucem, quæ fugat arte cruces.

E I V S D E M.

Βίβλος ἀκεστορίης, σοφὸν ἴδμονος ἔργον ὑφάντου
καὶ θνητοῖσι φίλον, καὶ φίλον ἀθανάτοις.
Καὶ γὰρ ἐφημερίοισι φερέσβια μυρία φαίνει,
καὶ ζῆν ἀθανάτοις εἴκελον οἶδε γράφειν,
Λυδοβίσῃ ἥρωϊ Βικέντιος οἷον ἀνῆψε
δῶρον, πᾶσι φίλον, πάντα χαριζόμενον.

I D E S T.

ESt ſapientis opus liber hic, quem conſpicis Hoſpes,
Et ſuperis gratum, terrigeniſque ſimul.
Multa etenim vitæ multis mortalibus infert
Commoda; Dijs ſimiles efficit inde viros.
Hoc Ludouiſe Tibi munus Vincentius offert,
Quo valeant homines, vt tuus extet honos.

Ita vertit Ioannes Baptiſta Auctoris Filius.

INDEX SVMMORVM
ATQVE PRÆCIPVORVM CAPITVM,
Quæ in vniuerſo hoc Volumine continentur.

Cap. I.

DE Conſilio & forma opuſculorum & in primis centuriarũ de quæſitis per Epiſt. ad lectorem. pagina 1

Cap. II.

Pro Auguſtiſſimo Imperatore Matthia arthriticis doloribus corripi ſolito, & aliquando nephriticis ad Excellentiſs. Ludouicũ Rodulfum. 8

Cap. III.

Pro auguſtiſſima Imperatrice M. vxore de cuius mortis cauſa ambigitur. Ad eundem. 25

Cap. IV.

Pro eadẽ Auguſtiſſima Imperatrice quæ diu vtero gerere credita vi tandem morbi interijt, ad eund. 38

Cap. V.

Pro ciue ac mercatore Veneto nullam in coitu voluptatem percipiente. Ad præclariſſimos medicos bononienſes ac præceptores eruditiſſimos. Fœlicem Caſtellium, Vinceslaum Lazarum, Aeneam Vizanium, Iulium Cæſarem Claudinum, & Flaminium Rotam. 68

Cap. VI.

Epiſtola medica in qua Illuſtriſs. monialis hiſpanæ multa eaque contumacia admodũ ſymptomata, nimirum dolores arthritici, ſed præcipue coxendicus, ſiniſtri brachij, vtriuſque pedis & capitis tremor, cordis vocata palpitatio, febres variæ, inappetentia, ſumma ventriculi imbecillitas, colica diatheſis, memoriæ oblæſio, ſputum ſanguinis, aliaque non ſolum enarrantur, ſed ſingulorum quoque traditur curatio? Ad præſtantiſſimum virum Ludouicum Mercatũ Philippi II. & III. Hiſpaniarum Regis archiatrum vbique celeberrimum. 77

Cap. VII.

Pro aſthmate Principis Illuſtriſs. Bonifacij Cardinalis Caetani Aemiliæ de latere legati. Curatio & præſeruatio ſimul per epiſtolã mittuntur. Ad Camillũ Abbioſũ nobilẽ Rauennatẽ.

Cap. VIII.

Diſputatio de melonibus, Auctore Hieronimo Rubeo Rauennate medico noſtri tẽporis celeberrimo, Ad excellentiſſimum Sebaſtianũ Iozzium almæ vrbis protomedicum. 106

Cap. IX.

Epiſtola medica in qua varia eaque grauia ſymptomata, nempe frequens ſanguinis è naribus profuſio, coriza, ventriculi tarda & imperfecta coctio, arenularum multarum mictio, vrina admodum tenuis, ſpumoſa ac fœtida, & renum, lumborum ac totius fere corporis ingẽs feruiditas in Illuſtriſs. & excellentiſſimo D. Hiennico Cardenas pro Catholico Rege Philippo tertio apud Sereniſs. Remp. Venetam oratore diligẽter expendũtur, atq; oĩum curatio affertur. Ad præclariſſimum virum Ioannem Gomez eiuſdem Catholici regis medicum. 125.135

Cap. X.

Pro nobili Belga angina ſæpius laborante. Ad præclariſſimum virum Io. Thomam Minadoũ in Gymnaſio Patauino medicinæ doctorẽ celeberrimum. 139

Cap. XI.

In vulnere capitis iuuenis Rauennatis qui obijt; ad Donatum Caprã medicũ Rauennatẽ. 145

Cap. XII.

In partu gemino quem ruſtica mulier apud Rauennates ſub fimo ſepelire reperta eſt. Ad Gubernatorem Rauennæ. 166

Cap. XIII.

Pro principe Illuſtriſs. qui cum ludo paruæ pilæ ſeſe recrearet, pilã vehementer repercuſſa alteram faciei partem prope oculum oblædens tumorem in ea & colorem turpem excitauit. Ad Ioãnnem Benedictum de Sinibaldis Leoniſſinum meum olim diſcipulum. 172

Cap. XIV.

In honeſtiſſima muliere Rauennate ætatis floridæ, optimique habitus quæ vtero gerere credebatur ſolis clyſteribus carminatiuis, & emplaſtro de baccis lauri ventri admoto ſanata. Ad Carolum Leonardum I.V.D. 179

Cap. XV.

Diſputationes tres de verme admirando è dextra nare nobilis viri Cæſennatenſis poſt auctam febrem, & grauia ſymptomata reiecto. Prima Fuluij Angelini Cæſennatenſis medici doctiſſimi. Secunda Auctoris. Tertia Ioannis Baptiſtæ Codronchij medici celeberrimi. Ad Illuſtriſs. Dñm Honoratũ Abbatẽ Caetanũ. 188

Cap. XVI.

Pro Cæſennatenſi equite ac philoſopho erudiſſimo. cõtinua alui adſtrictione & πρόπτωσι laborante. Ad eundem. 221

Cap. XVII.

In ſuſpicione veneni ciui cuidam ac mercatori ve neto à filio propinati. Ad Iulium Cæſarem La gallam in Romano Gymnaſio Philoſophiæ profeſſorem celeberrimum. 229

Cap. XVIII.

Pro nobiliſſimo viro Florētino dolore interpolato, ſed peracerbo ad mediā dextri fœmoris regionem corripi ſolito, cuius tam curatio, quam præſeruatio traditur. Ad Eruditiſſimos viros Hieronimum Fabritium ab Aquapendente, Euſtachium Rudium, & Io. Thomam Minadoum in Patauin gymnaſio medicinæ doctores celeberrimos. 240 *Cap. XIX.*

In vſu ſalis & ſalitorum in febribus. Ad Io. Franciſcum Brancam Calabrum medicum Clariſſimum. 251. *Cap. XX.*

Pro viro perilluſtri Aretino varijs ſymptomatibus ad caput, & facultates, cum motrices, tum rectrices pertinentibus de repente correpto, cui tam curatio quam præſeruatio ſimul mittitur. Ad principem Illuſtriſſimum. 261

Cap. XXI.

Quæſitum occaſione, munerum, quæ in natiuitate Domini hinc inde mittuntur. Ad Reuerendiſſimum D. Ioannem Baptiſtam Stellam Referend. nunc Epiſcopum Bitontinum. 270

Cap. XXII.

Occaſione Colloquij de vſu frequentiori oxymelitis in natura gracilioribus, & de cæpæ ac ſcillæ virtutibus. Ad eundem. 276

Cap. XXIII.

Pro excellentiſſima Principiſſa quæ menſium patitur ſuppreſſionem & infœcunditatem. Ad D. Ludouicum Ceſcheriū medicū Romanū. 284

Cap. XXIV.

Pro principe nobiliſſimo Romano, qui poſt deglutitum medicamentum diaphænicon, pondere vnius vnciæ cum aqua cinnamomi ſtillatitia in bolos redactum, eidem fœrente canicula, & à principio ſtatim dolorum ventris exhibitum, in febrem mox incidit, & lethalia ſymptomata, ac tandem cum ὑπερκαθάρσει obijt. Ad medicos Romanos æque in arte verſatos, ac ſolida prædiros doctrina. 295

Cap. XXV.

Pro infantulo qui præcipiti catarrho ad pectus obijt. Ad Paulum Mancinum Accumulenſem meum olim diſcipulum. 310 *Cap. XXVI.*

In ſuſpicione puellę Spoletinę defloratæ. Ad Paulum Puccium. I.V.D. 316 *Cap. XXVII.*

Quæſitum occaſione controuerſiæ vergentis inter populum, & piſtores Arimini. Ad Tiberiū Seuerinum. I.V.D. 320 *Cap. XXVIII.*

Pro patritio Genuenſe varijs ad Veſicam & pudenda ſymptomatibus diuexato, vna cum curatione. Ad Iulium Guaſtauinum in Piſana academia medicinæ practicæ vocatæ profeſſorem celeberrimum. 323 *Cap. XXIV.*

Occaſione colloquij de longitudine & breuitate vitæ in natura bilioſis. Ad Laurentium Garzonium medicum Romanum. 335

Cap. XXX.

In febre tertiana exquiſita, Ad Io. Iacobū B. medicum Romanum. 348 *Cap. XXXI.*

In febre Cauſone. Ad Bernardinum Gaudum, & Io. Benedictum de Sinibaldis Leoniſſanum. 360 *Cap. XXXII.*

In febris quartanæ exquiſitæ curatione. Ad Ioannem Fildeum Hybernum. 367

Cap. XXXIII.

Pro Iuuene Bononienſe viciatam itionis formam habenre vna cum curatione. Ad Clariſſimos Viros Guidum monticellum, & Io. Fabritium Bartolettum medicos Bononienſes. 378

Cap. XXXIV.

In curatione tuberculi in ſuperiore pede dextro ad minimi digiti radicem extuberantis, quod intenſum dolorem ac progreſſiui motus impedimentum Illuſtriſſimæ mulieri Romanæ inuehebat, quodque ciro, ture, & non uioleſte fuit abolitum. Ad Proſperum Cechinum medicū, & Chirurgum Romanum. 388

Cap. XXXV.

Pro phthiſi, ſeu tabe ex vlcere pulmonum ſuborta. Ad Thomam Mazzolinum Foropompilienſem diſcipulum dilectiſſimum. 398

Cap. XXXVI.

Quæſita pro aſthmate examinando. Ad Quintilium Gorum meum olim diſcipulum. 408

Cap. XXXVII.

Pro nobiliſſimo adoleſcente Genuenſe ad phthiſim ex temperamento calido ſiccoque, habitu gracili, ſcapulis alatis, & deſtillatione capitis admodum propenſo. Ad Clariſſimum medicū Genuenſem. 415 *Cap. XXXVIII.*

In vertigine nobiliſſimi equitis cum auxilijs medicis tripl ici è fonte deprōptis. Ad eūdē. 420

Cap. XXXIX.

Hortatio pro medicinæ ſtudio feriales poſt dies reſumendo, vbi de Therapiæ febrium declarandæ ordine, ac vtilitate, nec non Galenicæ doctrinæ eminentia potiſſimum agitur. Ad medicinæ candidatos. 430

Finis indicis ſummorum capitum.

INDEX QVAESITORVM omnium in hoc Volumine contentorum.

CENTVRIÆ PRIMÆ.

In Arthriticis doloribus corripi ſolito.

Quæſt. 1. CVr vrinæ quæ antea craſſæ, & rubeo colore ſaturatæ apparebant nunc tenues & pellucidæ ſint, pag. 13
2 Cur alias, dum ſoli aderant podagrici dolores, febris etiam adeſſet, hodie vero arthritide ſæuiente, nullum appareat in pulſu febris ſignum 14
3 Cur vomitus qui antea erant ex phlegmate puro, nunc ex bile ſint vitellina 15
4 An dolorum magnitudo & ſyndrome aliorum ſimptomatum quibus in præſenti detinetur è chimicis medicamentis oboriantur ibid.
5 An Chimicæ quædam aquæ ſupra pedes appoſitæ internas partes inflammare potuerint 16
6 An ex viſcerum inflammatione præſentia mala eueniant, cum nulla in pulſu percipiatur alteratio 18
7 An ex mutatione ad aerem frigidiorem in anni tempore gelidiſſimo maiores in corpore mutationes oriri potuerint ibid.
8 An pro totali ab arthriticis doloribus liberatione ſit facienda curatio per chimica medicamenta, vt proponitur 19
9 An ſexagenario ſemper vino aſſueto, ex arte ſit vinum ipſum prohibere 22
10 Quonam modo fiat arthridis generatio 10
11 Cur febres cauſones & aliæ deteriores ſint in hyeme, ac regione frigida 11
12 Cur podagrici è podagricis oriantur 12
13 Cur icterici exſiccas & albicantes fœces, vrinas vero croceas emittant 13
14 Cur & quando arthritici vna & nephritici craſſas & rubeas, & è contra tenues & albas mingant vrinas. ibid.
15 Cur vno in loco dicat Hip. vrinam multam craſſam & albam liberare ab arthritide, in alio vero hanc indicare 14
16 Cur & quando in artuum doloribus vti diureticis poſſimus 16
17 Cur conuulſio febrem finiat 15
18 Cur calida valde ac tenuium partium imbecillo ventriculo inimica ſint potius quam amica ibid.
19 Cur iecoris calor intenſus ventriculi imbecillitatem progignat 15
20 Cur diaria febris ex inguinum inflammatione & ex concitatiori motu naſcatur. 15
21 Cur narcotica ſuſpecta ſint in incipientibus articulorum doloribus 16
22 Cur hepate inflammato iam ingens oboriatur febris 18
23 An in qualibet ætate liceat tuto mutare conſuetudinem 19
24 Cur chimica medicamenta arthriticis & calculoſis inſenſa tantopere ſint 12
25 Cur colagoga medicamenta ſint ſenibus inimica 21
16 An perpetuo verum ſit vulgatum dicterium vinum eſt lac ſenum. 20
27 An recte Valleſius vina deneget ſenectuti 19
28 Cur ſacræ paginæ vinum ſanguinem appellent. ibid.
29 An ijs qui doloribus arthriticis ſunt obnoxij vinum ſit ſemper denegandum 24

In Auguſtiſſima imperatrice cuius mortis cauſa ambigitur.

30 An ex obſeruatis in Imperatricis cadauere deprehendi poſſit illam & abdominis & vteri quoque hydrope aquoſo laboraſſe & interijſſe 27
31 An quædam in eodem reperta cadauere rara ſint & admiranda, vbi variæ & perquam pulchræ referuntur obſeruationes propriæ & ex alijs depromptæ 28.29
32 Cur affectuum cognitio aliquando certa, & aliquando coniecturalis dicatur a Gal. 26
33 Cur tam immodicæ vacuationes menſium, & hemorrhoidum, quam ſuppreſſiones & cibi immoderati hydropem efficiant 28
34 An iecore in colore & ſubſtantia ſano apparente ſereniſſima Auguſta hydrope laborare & interire potuerit ibid.
35 Cur & quomodo ſanguis, & partes vi frigoris liueſcant 48
36 Cur iecoris paruitas pro hydropis cauſa ab Auic. ponatur 29
37 An S. A. vtero gerere cum ratione videri quibuſdam potuerit cum hydropica eſſet 28
38 An aqua in vterino hydrope intra vteri cauitatem vel quibuſdam in veſiculis contineatur ibi.

In eadem ſereniſs. Auguſta.

39 An ex molis tantummodo vt aulæ Cæſareæ medicus Clariſſimus autumat an potius ex hydrope vteri & abdominis obierit. 42

40 Cur & qui nam medici inter ſe facile diſcrepent ibid.
41 Cur docti & æque ſtudioſi medici ſibi ipſis non difficulter conſentiant ibid.
42 Cur de nomine lis interdum ſubeunda ſit 44
43 Cur hydrops morbus ſiccus vocẽt ab Hip. ib.
44 Cur hydropes omnes facile complicentur 46
45 An & qui ὕδωρ & φλέγμα differant. ibid.
46 Vtrum ad hydropis eſſentiam conſtituendã referat an humor pituitoſus craſſus ſit, ac lentus, an fluidus, & aquoſus ibi.
47 An & cur ὕδωρ & φλέγμα promiſcue vſurpentur apud Hip. Platonem & alios græcos 45
48 An maior ſit frigiditas in aſcite quã in anaſarca vbi Valleſij opinio non recipitur 46
49 Cur pituita φλέγμα dicatur cum frigida ſit & φλέγμα ἀπὸ τοῦ φλέγειν deducatur 45.49
50 Cur aqua vocetur ab Ariſt. friabilis cum lentoris expers non ſit ibid.
51 Cur ὕδωρ apud Ariſt. perperam de aqua inter cutem fuſa Gaza verterit 47
52 Cur Hip. aliquando pro τὸ ὕδωρ atrum humorem intelligat 48
53 Cur lien aquæ domicilium, & caput pituitæ fons dicatur 48. & 50
54 Cur Hip. in curanda Leucophlegmatia medicamentum laudet quod hydragogon vocat non phlegmagogon 49
55 Cur ſecto vtero S.A. aqua non apparuerit ſed phlegma craſſiſſimum 50
56 Cur in naturis frigidiorib. & humorũ frigidorũ colluuie, vel nulla, vel puſilla ſit febris 51
57 Ἀναλῦσαι in medicinã introducere qd ſit 52
58 An vterinus hydrops ſemper eſſe debeat cum febre 51
59 Cur vterus S.A. tam amplus eſſet cum nunquam concepiſſet 53
60 An & cur abdominis & vteri hydrops ſuppreſſis menſibus aut iiſdem immoderatis cõtra Peredam oriri poſſit 52
61 An vterus diu laborate imo etiam è mulieris corpore extrahi queat alijs illæſis viſceribus & ea quoque ſuperſtite remanente 54
62 An ſola iecinoris magnitudo ad hydropem arcendum, paruitas vero eundem producendum ſufficiat 55
63 An in iecinore & corde magno maior vel minor q̃ in paruo ſit caloris & ſpirituũ copia 53
64 Cur iecur hominis maius ſit quam cæterorũ animalium quorum tamen corpora hominis magnitudinem non excedant 56
65 Cur edaces ac timidi maius alijs iecur habeant ibi.
66 Cur lienis magnitudo in S.A. hydropem gignere potuerit 56
67 An iecoris calor ad liuidum vergens eiuſdem viſceris frigiditatem arguat 57.58
68 Cur liuidus calor non ſemper caloris extinctionem in parte liueſcente ſignificet ibi.
69 An & cur iecur in colore & ſubſtantia ſimile naturali hydropis cauſa eſſe poſſit ibid.
70 Cur vomitus hydropicorum, & aquoſa eorũ materia citrinum præſeferant colorem 59
71 An & cur habentes calidum iecur, calidiq; homines interdum fiant hydropici 61
72 Cur vt elementorum non item humorum reciproca ſit generatio ibid.
73 Cur hydropicorum corpora bilem quoq; accumulent ibid.
74 An & cur calculi etiam duriſſimi ab imbecillo calore efficiantur 63
75 Vtrum bilis craſſities pendeat a cauſis a Gal. an ab Auicenna allatis ibid.
76 Cur hepar etiamſi ſcirrho non laboret hydropis cauſa eſſe poſſit 64
77 Cur copia & qualitas alimenti pituitoſos gignant humores 65
78 An pituita non ſolum de quarto humore, ſed etiam de cruditate ventriculi prędicetur 66
79 Cur in curatione hydropis educenda ſit prius aqua quam intemperies corrigatur ibid.
80 An ex partium naturalium inſita proprietate vna cũ vberiore alimento citra caloris pauperiem gigni poſſit materia cruda 65
81 Cur & quando ad proprietates confugere oporter 67
82 Cur corpuſcula in S.A. vtero adinuenta ad veræ molas referri minime poſſint ibid.

In mercatore nullam in coitu voluptatem percipiente.

83 Cur vir etiamſi iuuenis & ſanus omni prorſus venerea deſtituatur voluptate, & an aliqua ad id genus infortunij præſcribi poſſit curatio, & quæ 69
84 An detur caluitiũ præterquam a ſiccitate. 70
85 An teſtium & ſcroti actualis frigiditas ſemen valeat incraſſare. 72
86 Cur tam ſuauis delectatio ſit in concubitu. 71
87 Cur in gonorrhea nulla, in venere frequentiori modica delectatio ſentiatur 72
88 Cur detractis teſtibus homines euirẽtur. ibid.

In moniali pluribus morbis diuexata.

89 Cur a male affecti corporis natura medendi ratio depromatur 79
90 An & cur optima vel a prima in vtero cõſtitutione cõtracta habitudo ĩterdũ mutetur. 80
91 An arthritis perpetuo a pituita vt putat Fernelius. 82
92 Cur catarrhalis vulgo dicta materia è cerebro per venas defluere non credatur. ibid.
93 Cur hiſpani conſtanti animo ſint & ingenio polleant ibid.
94 Cur arthritici dolores a cauſa frigida ſub ſtragulis magis inſæuiant ibid.
95 Cur hæmoptois in mulieribus ſanguineis nõ ſemper periculoſa ſit 83
96 Cur memoriæ læſio non tam a frigido quam ab humido fiat ibid.

97 Cur

97 Cur a febribus dolores articulares euanuerint 85

In Aſthmate.

98 An & quomodo aſthma per hæreditatem cõtrahatur 91
99 Cur temperamento etiam valde ſicco atque calido præditi magnam nihilominus pituitæ copiam congenerent 92
100 Quænam reuera ſit in aſthmate ſpiritalium partium affecta ſedes ibid.

CENTVRIAE SECVNDAE

1 Cur in morbis capitis & pulmonum ſolliciti magis eſſe debeamus de optimo aere, quã de cibo, & potu 92
2 Cur maſticatoria & naſipurgia vocata ſuſpecta ſint 102
3 An purgans medicamentum & venæ ſectio in aſthmatica acceſſione competant 98
4 An ſanguinis miſſio celebranda ſit è baſilica ſiniſtra iuxta Auicennam, vel è communi, vt communiter fit ibid. & 103
5 Cur eclegmata & arteriaca medicamenta in humida potius quam ſicca ſubſtantia offerenda ſint 99.100
6 Cur medicina inter præclariſſimas habeatur diſciplinas 90
7 Cur aſthmatici aſthmaticos gignant 91
8 Cur parua, & acuta in primis capita morboſa facile fiant, paſſimque damnentur etiã phyſiognomocis 90
9 Cur aſthma ferè ſemper iungatur cum orthophnæa, & hæc ſine illo aliquando ſit 92
10 Cur tuberculum pulmonis aliquando aſtma aliquã pulſus interceptionem efficiat. ibid.
11 Cur aſthmatici crebre, ac denſe ſpirent 93
12 Cur mentis occupatio concoctionem interpellet 92.
13 An & quomodo Hipp. ſententia, *medicina purgat & innectetat*, veritatem contineat 94
14 Cur tuſſis longe abſit ab acceſſione aſthmatis 96
15 An & quomodo per vrinæ vias expurgetur interdum aſthmatis materia 96
16 Cur veteri præfocatio grecis *d…* dicatur 97
17 Cur aſthma mortis dicatur meditatio ibid.
18 Cur morbus appelletur acutus ibid.
19 Cur copioſum tenuis vini potum hoc in morbo commendet Galenus 98
20 Cur omnes fere pleuritici tantopere vinum deſiderent 99
21 Cur denſus corporis habitus aliquando melior ſit raro, & è contra 100
22 Cur in morbis pectoris partium infernarum abſceſſus, & cauteria vtilia ſint 101
23 An & quæ mulieres viris magis aſthmaticæ fiant, vbi Aurelianus & Actius ſibi inuicem conciliantur 101
24 Cur ſub lucido & non opaco aere detinendi ſint aſthmate correpti 100
25 Cur in pulmonum affectibus commendetur venæ ſectio ſiniſtri potius cubiti quam dexteri 99
26 Cur & quando perperam vel recte exiccantia in aſthmate præbeantur 104

Diſputatio de melonibus.

27 Cur diſputationem de melonibus auctor non ſcribere voluerit 106
28 Vtrum ſub cucumere quodam veluti ſub genere comprehendantur pepo, melopepo, & qui hodie citrulus dicitur 110
29 An & cur pepo idẽ ſit cũ *anguria* appellata 111
30 An & cur melones nři melopepones ſint 112
31 Melopepones vnde dicti ibid.
32 Cur noſtro in melone ea caro non comedatur quæ ſemen includit, cum tamen ſcribat Gal. in melopepone comedi 113
33 Quanta ſit vis mangonij in alterandis, tũ melonibus, tum alijs ibid.
34 Quænam ſint primæ melonũ qualitates, vbi Gal. contra Cardanũ defenditur & Aetius notatur ibi.
35 An melones facile putreſcant vbi Alexandri Peronij opinio reijcitur 114
36 An & cur magis iuuent quam noceant ibi.
37 An præſtet eis ſolis vti, an ſale, & ſalſamẽtis eoſdem condire, vel cum caſeo vetere comedere 112
38 An a melonum eſu ſtatim bibendum ſit 116
39 Vtrũ poſt ipſos aqua ſit potanda an vinũ 117
40 An qui frigidiore ſunt ventriculo poſſint melonibus vti ibi.
41 Cur Gal. in puero epileptico melones concedat, cum pira & alia damnet 118
42 An poſt melones aliquod cibi genus, & quale ſit comedendum 119
43 An ſint prima tantum menſa comedendi 118
44 Quot & quænam afferant emolumenta & damna 119
45 An faciãt ad podagram procurandam, vel potius præcauendam ibi.
46 Cur melones cum dulces ſint & dulcia ſoleãt vini ſaporem peruertere, ipſi tamen vinum ſapidius percipi ſinant 120

In Oratore varijs affectibus vexato.

47 Cur dicat Hipp. natura principium eſſe artis medicæ 126
48 An & quomodo diapedeſis cum anaſtomoſi confundi poſſit 125
49 An & quouſque ſanguis è naribus ſalubriter erumpat 127
50 Cur calida capita & ab externis, & ab internis cauſis facile afficiantur. ibid.
51 Cur rubeæ ſiant atenulæ in pituitæ copia 128
52 Cur & vnde lithiaſis oriatur ſuſpicio 127

53 Cur vrinæ interdum fœteant abſque vlla putredine, ac purulentia ibi.

In Belga angina ſæpius laborante.

54 Cur tam frequenti ſtrangulationi & anginæ obnoxius ſit & quomodo præſeruandus 128

55 Cur copioſa & ſalſa in eo fiat deſtillatio 140

56 An & quæ thermales aquæ in Patauino agro ei conueniant 142

In vulnere capitis.

57 An vulnus ad meninges vſque & piam in primis, ac cerebrum pertingeret 146

58 An prognoſticum de non ſperata ſalute exarte magis fuerit, quam quod a chirurgo de obitu conſtanter fiebat ibid.

59 Cur perperam ſanguis miſſus 147

60 An cranij terebratio conueniret 149.163

61 An è ſpongia ad labiorum vulneris luxuriantium coalitum præpediendum adhibita læſio maior, & mors ipſa emanare potuerint. 152

62 Quamobrem in prognoſtico faciendo euentus aliquando nos fallat 148.149

63 An Chirurgiæ theoria ad medicos phiſicos pertineat 150

64 An lædi ac vulnerari dura menix poſſit, pia cũ cerebro illæſa permanente 154

65 Cur præciſo cerebro ſuperueniant rigor, inflãmatio, bilis euomitio, & anorexia 155.156

66 An promptitudo ad cibos, vel eorundem faſtidium, quicquam boni vel mali in morbis capitis indicet 156

67 An chirurgi decipiantur interdum in cerebri ſubſtantia diſcernenda a fungis appellatis 157

68 Cur membrana cerebri craſſiore vulnerata fungi dicti ſuboriantur 158

69 Cur vulnerum ariditas mala ſit 159

70 An cerebri ſubſtantia sauciata, & in notabili quãtitate extracta, euadere homo poſſit 160

71 An capitis vulnera in locis maritimis curatu difficiliora ſint, vt voluit Pareus ibid.

72 An & cur ſanguinis miſſio celebranda ſit non ex brachio ipſi vulneri oppoſito; ſed ex directo & eiuſdem partis 162

73 Cur terebratio pericoloſa res ſit 163

74 Cur & quãdo terebratio ipſa ſit neceſſaria ibi.

75 Cur capite vulnerati diutius viuant in hyeme quam æſtate 164

76 Cur in æſtate longè citius celebranda terebratio quam hyeme ibid.

77 Cur dolor vulnera faciat grauiora 165

78 Cur a dolore in vulnere capitis exaſperato altus & profundus ſomnus oriri poſſit ibid.

79 Cur facultatis animalis deperditionẽ totius animantis ſequatur interitus ibi.

In partu gemino.

80 Perfectus ne, an abortiuus fuerit 167

81 Cur abortus non præſumatur, & quid ſit. ibi.

82 Cur fœtus in vtero calcitrans exitum quæritur ibi.

83 Cur mola in vtero tandiu geratur ibid

84 Cur abortus deterior & periculoſior ſit partu 168

85 Cur fœtus emortuus in vtero diu ferri queat abſque matris interitu; vbi admirandæ referuntur obſeruationes 169

86 Cur mulieres in octauo potiſſimum menſe abortiant 171

87 Cur qui gemini naſcuntur alijs ſint imbecilliores ibid.

In tumore ex ictu parua pilæ.

88 Cur ex pilæ repercuſſione & ictu faciei vitiatus ſit illius partis color, & vibex orta 173

89 Cur ad ſugillationem quæ *hypopion* dicitur, rẽdigi debeat 174

90 An & quomodo aggredienda ſit eius curatio 175

91 Cur ecchymoſis ad coſmeticen pertinere videatur ibid.

92 An ὑπώπιον & ὑπωφθαλμίον eundem apud Hip. ſenſum habeant 174

93 An in curatione ecchimoſis præmittenda ſit vniuerſalis euacuatio 176

94 Cur non eadem ſemper debeat eſſe ratio topicorum in ecchimoſi ibid.

95 Cur in ὑπωπίῳ ab initio curando neoterici chirurgi Galeni mentem aſſecuti minime ſint 178

In muliere quæ vtero gerere credebatur.

96 An de mola, aut aquoſa materia, vel flatuum craſſiorum copia in vtero latitante dubitandum magis eſſet, dum reuera minime vtero gerere compertum eſt 180

97 Cur ſine maris copula mulier molam concipere nequeat, vt gallina ſine gallo oua concipit ſubuentanea 181

98 Cur ſemen ebriorum infœcundum magna ex parte ſit, & qui ex eo concipiuntur parum ſint vitales ibid.

99 Cur dicat Hipp. cum mola adeſt in ventre nihil moueri 182

100 An lac poſſit eſſe in mammis vtero non gerentis ibid.

101 Cur Hip. pleuritidis curationem a fomentis inchoaret 183

102 An morbus in numero apud Gal. a naturali tantum materia excedente ſemper fiat 184

103 Cur & vnde in molæ curatione ſanguinem haurire oporteat, & quomodo illius curatio ineunda ſit. ibi.

CEN-

CENTVRIAE TERTIAE.

De Verme admirando.

1 Cvr ad communes lumbricorum differentias redigi non poſſit pag. 190
2 An eundem habuerit generationis modum quem habent alij vermes ibid.
3 An ex eadem pituitoſa materia ortus ſit è qua reliqui cum varios præſeferat colores. 191
4 Quænam fuerit efficiens cauſa 192
5 An in eodem ſit genitus loco quo alij etiam generantur, nempe in inteſtinorum cauitate. 193
6 An foris genitus clam per ſomnum in nares ingredi potuerit, vbi mirificæ, & iucundæ habentur hiſtoriæ. 194
7 An in capite aut in ventriculo ortum habere potuerit ibid.
8 Quænam grauiora mala, ſi intus delituiſſet, ab eo emanaſſent 195. 196
9 Quot nam ſint differentiæ lumbricorum, quo modo ſingulæ vocentur, & in quibus maneant inteſtinis, vbi Auic. & Celſus defendũtur, & Hip. a contradictionis nota vindicatur 197
10 Quinam ſint aſcaridodes apud Hip. vbi Hollerij, & Iacotij error notatur & Gal. locus corrigitur 198
11 Quænam corpora & membra vermium procreationi magis ſint obnoxia ibid. 200
12 An ex ſolis alui excrementis fęcalibus oriantur lumbrici 201
13 Cur interior inteſtinorum tunica minime mutetur in latum vermem, vt putat Aetius 202
14 An lumbrici ex quolibet humore oriri poſſint. 201
15 Cur cum Oribaſio dici poſſe videatur aſcarides generari poſſe ex melancholia 203
16 Cur in pueris adultioribus magis fiant vermes quam in valde tenellis 198. 202
17 An & quomodo ad generationem vermium vterque concurrat calor cęleſtis, & proprius, ſeu naturalis 203
18 An finalem cauſam vermes habeant 204
19 An & quomodo dicantur vermes eſſe aut nõ eſſe toto genere præter naturam. ibid.
20 In quot & quibuſnam locis oriri poſſint vermes 212
21 Cur Gal. videatur & ipſe fateri in ventriculo non gigni vermes quemadmodum Ariſtoteles ibid.
22 Cur inuſitati generis vermes & animalia aliquando intra corpus naſcantur, qua in re admirandæ referuntur hiſtoriæ 204. 216
23 An & cur in capite ac cerebro varia poſſint reperiri animalia 197. 212
24 In quem finem & vſum glans pituitaria, & narium meatus latiores facti fuerint. 194. 209
25 In qua nam capitis & cerebri parte gigni animalia poſſint 197
26 Cur non recte dicat Mercurialis vermes nec in ventriculo, nec in cerebro oriri poſſe, vbi etiam ſibi non conſtat 219
27 Cur ad naſi colatoria gigni non poſſe vermes maledicat Gabuccinus. 218
28 An multa fiant in cerebro, corde, hepate alijſque partibus principalioribus præter naturæ ordinem & intentionem, vbi obſeruationes afferuntur per quam mirabiles. 194 216
29 Quænam mala oriantur a vermibus pro varijs quæ occupant locis, vbi Illuſtriſſimi domini qui ex deglutita cum aqua hyrudine obijt, narratur hiſtoria 212
30 Cur vermis hic dum in ventre (ſi tamen ibi eſt genitus) delituit, nullum attulerit graue ſymptoma 207
31 Cur in quibuſdam tempore febris ſint vermes adeo moleſti 215

In alui adſtrictione &c.

32 Cur tanta alui ſtipticitate & ani procidentia laboret, & quomodo vtrique affectui obuiam eundum ſit 222
33 Cur inteſtina flexuoſa, ac tot ſpiris inuoluta ſint ibid.
34 An ſcybala de mollibus etiam excrementis dicantur, vt voluit Manardus 223
35 Cur literarum ſtudijs indeſinenter vacantes adſtrictionem alui patiantur ibid.
36 An & cur ventris ſegnities apud Hip. de hac ipſa ſtipticitate intelligi etiam poſſit. ibid.
37 An frigida intemperies inteſtinorum aluum liquidam, aut ſiccam efficiat 224
38 Cur Rauuennatum vineta propinqua pineto debile vinum producant, cum fieri contrarium deberet ex Theophraſto & Plutarcho 227
39 An & cur venus alui ſtipticitatem inducat & foueat ibid.
40 Cur ani procidentia ſit difficulter ſanabilis. 228

In ſuſpicione veneni.

41 An vir ille ex oblato extrinſecus veneno, vel morbo venefico obierit 230
42 Cur vera morbi ſpecies interdum vix cognoſcatur, & certa non detur exhibiti veneni cognitio ibid.
43 Cur in cholerica paſſione tam grauia contingant accidentia 231
44 An quid ſimile veneno gigni poſſit intra nos 232
45 An & cur famẽ præter morem tollerantes in cardialgiam & alia grauia ſymptomata incidant ibid. & 235

46 An

46 An liuores, tot incrematum, & alia ſigna in ijs qui veneno interempti putantur, obſeruata indicent venenum exhibitum 233
47 Cur cadauera venenata a feris & auibus non tententur 237
48 An venenum ad tempus detur, vt paſsim creditur, & a Theophraſto, Tacito & alijs ſcribitur ibid.
49 An & quomodo diſcernantur venenati ab ijs qui aliunde affectu ſunt 238

In dolore fęmoris peracerbo.

50 An præſens dolor ad vere coxendicum dolorem reduci poſſit 240
51 An ab intemperie ſola, vel ſola potius continui ſolutione fiat 241.
52 An nobiliſſimus vir caput habeat frigidum, & iecur ſiccũ, vt quidã è medicis voluĩt. 242
53 An & cur puluis quidam alterans vnà & deiectorius dolorem ad augere potuerit 243
54 An & cur inciſio venæ poplitis, & ad malleolum facienda minime ſit 246
55 An & cur cauterium vocatum ab affecto crure ſit quã primum remouendũ. ibid. & 247
56 Quamobrem hic dolor, vt articulares, per interualla recurrat 248
57 Cur diuites & ſplendidæ perſonæ deterius curentur quam pauperes & infimæ 245
58 Cur & quomodo Gal. Vna die iſchiadas ſanauerit 247
59 Cur iam dictus puluis noſtro in caſu locum habere potuerit ibid. 244
60 Cur ſolis adſtringentibus perperã dicat Fuchſius curari debere dyſenteriam 245
61 Cur in iſchiade inueterata fonticulus in affecto crure conueniat 247. 248

In vſu ſalitorum alimentorum in febribus.

62 An ſal & ſalita cibaria a febrientium menſa ableganda ſint vt ſuperſtitioſi quidam autumant 251
63 Cur ſal ad ſtuporem dentium valeat, nec non ad vibices & ſugillata 252
64 Cur & quando marina aqua ignem vt dulcis non extinguat, imo ad augeat 253
65 Cur in Iudæis graſſoniæ ſeu tetri odores corporis fiant ibid.
66 Cur homines onirogon & venerea ſomnia maxime incurrant 255
67 Cur Aegiptiorum Sacerdotes nec ſale, nec ſalitis cibariis vterentur 256
68 Cur ſal & pro ſterilitatis & pro fęcunditatis hyeroglifico ponatur 257
69 Cur Galenus refrigerantia ſimul & humectãtia prohibeat ĩ quartana, & ſalita cõcedat. ib.
70 Cur ſal in innappetentia tam a frigida quam a calida cauſa ſuborta ex vſu ſit 258
71 Cur oleum ſalis chymicum in quibuſdã malignis ac peſtilentibus febribus magis conueniat quam chalchantinum 259
72 Cur die quo quis catharticum ſumpſit a ſalitis cibariis abſtinere debeat ibid.
73 Cur & quando cibi ægrotantibus periucundi concedi illis poſſint 260

In viro pluribus ſymptomatibus correpto.

74 An & cur morbus fuerit epilepſia non autem apoplexia 263
75 Cur epilepſia aliquando citra corporis concuſſionem fieri poſſit ibid.
76 Vtrum ſemper in bonis habendum epilepticos corpore non concuti 263
77 Cur & quomodo P. epilepticus maniacus & melancholicus eſſe potuerit ibid.
78 Cur prædicta mala per eſſentiam fuerint non per conſenſum 264
79 Cur de eorundem recidiuatione dubitari, & non dubitari poſſit 265
80 An & quando cõueniant amuleta & *periapta* græcis dicta ibid. & 266
81 Cur dicat Auicenna, *plures ſanat cõfidentia ægrorum quam auxilia medicorum* 268
82 Cur ineuitabilis ſit excrementorum prouentus 269

Occaſione munerum quę in Natiuitate Domini hinc inde mittuntur.

83 An cappares & alices muria conditæ corporum ſaluti conducant, & ex iisdem munuſculum ad vniuerſaliorem lætitiam faciat. 272
84 An Chriſtianorum conſuetudo inuicem mittendi & accipiendi ſtrenas, & fęlicem annũ ominandi in ſanctis natiuitatis Domini feſtiuitatibus & Kalendis Ianuariis apud ethnicos antiquiſſimos eodem tempore foret in vſu ibid. & 273
85 Cur eadem nobis, & vetita, & cõceſſa ſint. ib.
86 Antidota quid eſſent veteribus 274
87 Cur Salomon in periphraſi ingruentis ſenii dicat, *& diſſipabitur capparis* 272
88 Cur dicat Auic. piſces ſalitos velocem ſubire corruptionem 272.
89 Cur ſalita etiam ad impinguanda corpora, & lac vberius producendum conducant. 274
90 Cur ſolemne eſſet in ſacris peragendis vti ſale. ibid.
91 Cur in ſacrificijs quidquam mellis minime adoleretur

Occaſione colloquij de vſu frequentiori oximelitis in natura gracilioribus, & de capparis ac ſcillæ virtutibus.

92 An oximel naturis gracilioribus, & imbecilliori ventriculo prędıtis vtilis ſit nec ne. 277

93 An mador ex variis partibus ſæpe oboriens a frequẽti vſu oximelitis prouenire poſſit. ibi.
94 An cæpa & ſcilla, vt forma non valde differunt, ſic vires habeant ſimiles 279
95 Cur cæpa decreſcente luna augeatur, creſcente imminuatur ibid. & 280
96 An vera ſit Gal. ſententia, oxymel cunctis ætatibus & naturis conuenientiſſimũ eſſe. 278
97 Cur oximel non vno & eodem modo parari ſemper debeat ibid.
98 An Trallianus recte increpet Gal. in oxymellitis vſu pro tollendis obſtructionibus ab humore melancholico oriundis ibid.
99 Cur cæpę vſus & iucundus & non ita noxius ſit, ſcillæ vero & iniucundus & pernicioſus, cũ tamẽ illa æſtuoſior hac eſſe feratur. 279
100 An cępa vt auditui commoda, ita vice verſa oculis & viſui infenſa ſit. ibid.
101 Cur eadẽ in nobis lethargũ facile gignat. 180
102 An inter ſe diſcrepent Dioſcorides & Gal. in aſſignandis ſcillæ virtutibus 181
103 An dyſenteriæ curatio per cæparũ vſũ, vt eſt 12. meth. Gal. temeraria prorſus foret. ibid.
104 An & q̃ diuretica in dyſenteria cõueniãt. ibi.

CENTVRIAE QVÀRTAE.

In menſium ſuppreſſione & infęcunditate.

1 AN menſtruæ purgationes ad ſex menſes cohibitæ curationem recipiant 284
2 An in proliciendis menſibus ſanguis mittendus ſit dũ inſtant, vel longe ab illis, vbi Paullus notatur 285
3 An hæmorrhoidum adapertio in euocandis menſibus competat 286
4 An cauteria in cruribus conueniant 287
5 An & q̃ thermales aquæ ſint propinandæ. ibi.
6 An ſolum decreſcente Luna mittendus ſit ſanguis in menſium ſuppreſſione 285
7 An iam fluentibus, ſed parce, menſibus, vena ſit tundenda. ibid.
8 Cur ſuppreſſis menſibus hæmorrhoides ſuperueniant 286
9 An & cur cauteria crurum valeant ad vterinum fluorem 287
10 Cur aquæ Ticoncellæ apud S. Caſcianum tã frigidis quam calidis intemperaturis, & mẽſium ſuppreſſioni opitulentur ibid.
11 Cur ferratæ aquæ aperire dicantur 288
12 Cur dicat Auicenna aquas Thermales facere vrinæ, menſium, ac partus difficultatẽ. ibid.
13 An tutus ſit & vtilis aquarũ thermaliũ vſus ꝑ potu quotidiano & ferculorũ coctione. 269

In febre lethali ex deglutitis bolis diaphęniconis furente canicula.

14 An mortis occaſio a medicamento cathartico & ſcãmoniato in primis manauerit. 292
15 Cur aliqui interdum vi purgantium medicamentorum intereant 294
16 Cur tutius valde ſit diaphęnicõ in quo diagridũ, vt apud Gallos & alios quam quod crudũ ſcãmoniũ recipit, vt apud Romanos. ibi.
17 Cur in morbis citra iecur, primarumque viarum, pharmaca mitiora eſſe debeant 296
18 Cur purgatoria cum lenientibus miſceri vellet Meſue 297
19 An per dactylos vitetur ne è longinquo diaphęnicon trahat humores ibid.
20 Cur in cruda, & rebelli materia corpora minime purganda ſint 298
21 An & qñ curatio dolorũ facienda ſit per paregorica, aut per illa quæ cauſam tollunt. ibi.
22 Cur a principio dolorum ventris a cauſa frigida & flatulenta calefacientia medicamenta non conueniant 299
23 Cur in colica paſſione ab vſu ſcammoniatorũ penitus abſtinendum ſit ibid.
24 Cur diafęniconis compoſitio de recenti facta deterior ſit ibid.
25 Cur ante purgantis medicamenti exhibitionem, an quis prope, vel ægre purgetur, ignorandum minime ſit 300. & 301
26 An in duro ventre purgationes validæ competant. ibid.
27 Cur Hipp. purgationes quæ caniculæ tempore imperãtur dicat eſſe difficiles. 301. & 302
28 Cur & quando cathartica fere eadem ſint cũ venenis 303
29 Cur noſtri tẽporis Theriaca purgationes minime ſiſtat, & veterũ theriaca ĩbecillior ſit. 304
30 Cur fiat poſt validum & ſcammoniatum medicamentum ὑπερκάθαρσις. 305
31 Vter error ſit maior, an qui in maiori, an qui in minori doſi medicamẽti cõmittitur. 306
32 An doſis diapheniconis a Meſue poſita imitãda ſit a nobis ibid.
33 Cur apud multos ſcriptores doſis medicamẽtorum emendatione indigeat, vbi loca varia de doſibus notantur & corriguntur in Hip. Dioſcoride. Gal. Paulo Rhaſi, Auicen. Meſ. Auenzoare, Auer. & alijs. 307
44 An & quomodo ad medicum ſpectet medicamenti doſim augere vel imminuere 308

In præcipiti catharro ad pectus.

35 An mortis cauſa referri poſſit in eclegma, ſeu arteriacum medicamentum, eo quod acetum reciperet, vt æmuli improperant. 311
36 Cur auidi comparentur opthalmicis ibid.
37 Quale nam oxymel & qualis ſyrupus acidus pueris, mulieribus, & in neruoſarum partiũ morbis imperari debeat 312
38 Cur modice adſtringentia in arteriacis ſeu linbitus vulgo dictis aliquẽ locũ habeãt. 313
39 Cur Auic. poſt Hip. vinũ granatorũ dulciũ in pleuritide, ac peripneumonia cõcederet. ib.
40 Cur liquor calcanthinus in quibuſdam pectoris morbis perperam damnetur. ibid.
41 Cur Gal. aceto adſtringentem qualitatem aliquando deneget, & aliquãdo attribuat. 314

42 Cur

42 Cur quæ valide refrigerant, & adſtringunt pectori admouenda non ſint . ibid.
43 Quando medici obtemperare debeant mulieribus, & quando non ibid.

In ſuſpicione puellę defloratæ.

44 An maior ſit habenda fides obſtetricibus defloratıonem accuſantibus, vel medicis eam denegantibus 316
45 An membrana vocata hymen in virginibus reuera ſit. 317
46 Quot modis clauſuram dictā patiantur mulieres ibid.
47 An in defloratione ſanguis neceſſatio exire debeat ibid. & 318
48 An & cur mulier membrana quæ hymen dicitur non effracta concipere queat 318

In controuerſia inter populum & piſtores.

49 Vtrum panis in furno coctus cum igne non ex lignis ſiccis confecto, ſed ex nucleis oliuarum contuſis, nocuus ſit, nec ne 320
50 Cur panis cor hominis roborare dicatur. 321
51 Cur coquinaria medicinæ inſeruiat, & auxilietur. ibid.
52 Cur pani adijciantur ſal & fermentum 322

In Gennenſe varijs ad veſicam & pudenda ſymptomatibus diuexato.

53 An ſuſpicio de lithiaſi, ſeu veſicæ calculo rationabilior ſit quam opinio aſſerentiū ſymptomata quæ patitur a ſalſā tantum fluxione pendere 323
54 Cur de morbis abditis vt de quibuſcunque rebus arduis ineunda ſit conſultatio 325
55 An Gal. recte explicauerit aphoriſmum quartæ ſententiæ ſeptuageſimum nonum. 326
56 An calculi in veſica generatio a calore ſolum tepido, contra vero in renibus ab exurente ſemper contingat ibid. & 328
57 An Fernelij opinio quę tamen prius fuit Aristotelis quod calculus in veſica genitus a renum ſapillo inchoetur, perpetuo vera ſit. ibid.
58 An ad veſicæ calculum recte imperetur ſaxifraga 333
59 An paracenteſis in ſenioribus conueniat, & an eam omnino damnet. Hipp. ibid.

Occaſione colloquij de longitudine & breuitate vita in natura biliosis

60 Quamobrem χολώδεις ſeu πικρόχολοι hoc eſt bilioſi longeui minime ſint, & quomodo præſeruandi 336
61 Cur aliqui bilem & alia aſſidue euomant. 337
62 Cur de innato calore dicatur, *Qui mecū oritur, mecum moritur. Qui me perimet me viuificat.* ibi.
63 Cur victum humidum febricitantibus iniungat Hipp. & poſt eum Ariſt. ibid.
64 Cur calidū pingue ad vitā faciat longæuā. ibi.
65 An morbi omnes acuti & febres in primis a bile ſemper 338
66 Cur dixerit Anaxagoras fel eſſe acutorū morborum cauſam. ibid.
67 Cur æthiopes in febribus magna ex parte intereant 339
68 An febris ex bile tantummodo ſuperaccenſa citra putredinem aliquando fiat ibid.
69 Cur corpora eucrata diutiſſime viuant . 341
70 Cur bilioſi etiā a frigidis morbis tētentur. ibi.
71 Cur ijdem morte ſubita perſæpe corruāt. ibi.
72 An cor graue affectus pati poſſit. 342
73 Cur qui ſentiendi acumine pollent citius intereant 343
74 Cur vtilis ira ſit in frigidis affectibus 344
75 Cur ſalacia animalia non diu viuant, ibid.
76 Cur ſuſpecta in ſenibus, & hydropicis cholagoga medicamenta ibid.
77 Cur non omne vinum ſit denegandum calidis & ſiccis naturis 345
78 An iſdem conueniat aquæ potus. ibid.
An aqua in bilem reuera demigret 346

In febre tertiana exquiſita.

79 An in febrib. bilioſis exqſitis humorū præparatio ante purgationem molienda ſit. 348
80 An mellita & ſacharata in tali præparatione conueniant ibid.
81 An in tertiana exquiſita intermittente competat venæ ſectio ibid.
82 Cur præparatio ante purgationem ſit neceſſaria 351
83 An ſymptomaticę excretiones ſemp malę. ib.
84 Cur bilioſorum humorum ad contrarias qualitates alteratio concoctio dici poſſit ibid.
85 An Auic. opinio de tenuiū humorū antequā purgētur icraſſatione ſit reprobāda. 352. 357
86 An Aquę cichoraceæ ſtillatitiæ in febribus cōueniant. 354
87 Cur sāguis in febrium putridarum curatione mittatur 355
88 An aquæ per tubos plumbeos ductæ ſint perniciosæ 354
89 Cur ex miſſione ſanguinis timenda aliquando ſit cholericorum ebullitio ibid.
90 Cur Gal. ſubticeat miſſionem ſanguinis in tertiana exquiſita intermittente, & in quotidiana, cū proponat in tertiana notha & quartana, & cur omittat in eriſipelate, cū ab alıis græcis, & ab Auic. etiam celebretur 357

In febre cauſone.

91 An frigida aqua ante coctionis humorum ſigna aliquando etiam ex mente Gal. exhiberi poſſit, & an idem Gal. recte hac in re probatus fuerit ab Auerroe 361
92 An pro putridæ bilis vacuatione lacte aſinino aut ſero vti debeamus quemadmodū Hip. & alios feciſſe conſtat 363
93 An multa ab Hip. & Gal. cum ratione proponatur. 364
94 Cur veteres medici omnino fere ſpem ſalutis poſuerint in ſanguinis miſſione, & frigidæ aquæ

aquæ exhibitione ibid.& 361
95 Cur Hip. lacte non abſtineat cum idem aſſerat lac febricitantibus nocuum eſſe 364
96 Cur aqua hordei vtilior ſit mulſa in cauſone, inutilior vero in quotidiana 365

Quinque in hoc noſtro volumine (amice lector) condidimus quæſitorum centurias, at cum typographi incuria quarta et quinta ſub vna eademque irrepſerit, hinc factum eſt vt in ipſo etiam operis veſtibulo quatuor tantum pollicitus fuerim centurias. Quamobrem quinta a te fortaſſe non expectata fruere, laboresque noſtros equi bonique conſule.

CENTVRIAE QVINTAE

In febris quartanæ exquiſitæ curatione.

1 An pro ſcopo habenda ſit calefactio vel refrigeratio 367
2 An victus ratio tenuis vel plena a principio inſtituenda ſit 370
3 An vomitus pro humoris melãcholici, vel cruditatum ventriculi repurgatione præſcribatur 372
4 An diuretica a Gal. propoſita conueniant 374
5 Cur ante morbi conſiſtentiam, theriaca, mithridatum & ſimilia exhiberi nõ deãnt 368
6 Cur calchantinus liquor non improbetur 369
7 Cur initia morborum famẽ ſitimq; deſideret
8 An diſſidium Gal. & Auic. de victu vel pleno vel tenui, ex arte Mercurialis componat 371
9 Cur quartanarij ab initio abſq; appetitu ſint, poſtea vero famelici fiant 370
10 Cur diuretica ante ventriculi expiationem ſuſpecta ſint 371.372
11 Cur melãcholici morbi ſint tam rebelles 374
12 Cur dicat Ariſt. melancholicos continua egere medicatione ibi.
13 Cur melancholia aqua dicatur ab Hip. & melãcholici oẽs ichoroſo ſanguine ſcateãt 374
14 An a liene ad renes & veſicam ductus pateãt, licet eos non cognouerit Gal. 373

In iuuene vitiatam itionis formam habente.

15 An ſi hic iuuenis matrimonio cum fœcunda muliere iungatur, motus progreſſiui deprauati ſigillum, & imbecillarũ partiũ characterẽ ĩ filiorũ mẽbris p ſemẽ ĩpreſſurus ſit 379
16 An ex matrimonio ipſe maiorẽ læſionẽ, maioremque in eundo turpitudinem ſit ſubiturus 380.383
17 An ſi tale impendeat periculum geminatum aliqua ratione, patiens præſeruari & a prole hæreditarium vitium longe arceri poſſit ibid.& 385
18 Cur melancholici tot abũdẽt humiditatib. ib.
19 Cur pars aliqua robuſta aut infirma euadat 380
20 Cur plerunque filij morboſi a morboſis parentibus, & aliquando robuſti a parentibus debilibus gignantur & è contra 381.382
21 An frequens ad venerem ſtimulus ſeminis atguat bonitatem 383
22 Cur venis capiti, ventriculo, & artubus infenſa ſit 384
23 An hic vinum album aut rubrum potius conueniat 386
24 An quæ ad concubitum valde ſtimulant hic locum habeant ibid.

In curatione tuberculi in pede dextro, cũ intenſo dolore.

25 An ad verrucarum genera & ad quæ redigi tuberculum poſſit 389
26 An materialem cauſam aliunde fluentem haberet 390
27 Quot & qualis nam modis perfici eius curatio poſſet, & cur per cauſticum facta curatio alijs modis omnibus præponenda fuerit ibid.
28 Cur de tranſitu ad carcinoma dubitaretur 391
29 An ad phymata & quæ pertineret ibid.
30 Cur chymion potius foret quam acrochordon, myrmecia, clauus, ſarconia, ſycoſis, polypus, ganglion, ſcirrhus, condyloma, carcinomaque 391
31 Cur medici attendere maxime debeant ſigna præindicantia morbos aliquot imminentes, & cancrum in primis. 392
32 An acrochordon doloris expers ſit, vt Paullus affirmat 390
33 Cur in malorum pedum curatione chirurgica, ab igne & ferro quantum poteſt abſtinendum ſit 395

In phthiſi ex vlcere pulmonum.

34 Cur non temere Celſus ſub nomine tabis comprehenderit cachexiam 398
35 An phthiſis oriri poſſit vitio pulmonum citra vlcus, & ſanguinis ſcreatum 399
36 Vtrum decubitus in latus affectum, laborante pulmone tolerabilior ſit quam in ſanum, an è contra; vbi Caſſij & Mercurialis opiniones non placent; Fernelij vero ſententia confirmatur magis & illuſtratur 403
37 Cur hæmoptiſis perniciosiſſima ſit affectio. 402
38 Cur & quando puris ſputum præcedere ſoleat ſanguinis ſputum 403
39 Per tabidos ſeu φθινάδας quos intelligat Hippocrates 399
40 Cur phthiſicorum pedes intumeſcant & primi moriantur, vbi Romani caſus hiſtoria breuiſſime deſcribitur 400
41 Cur & quando medici aulici libere & iuxta artem prognoſticum efferre nequeant 401
42 Quænam ſint naturæ ad phthiſim maxime omnium diſpoſitæ 402
43 Tabes aſthmatica vnde fiat & quomodo ab auctore in romana iuuene curata. 403
44 Cur dicat Hip. in peripneumonia dolorem eſſe in vtriſque lateribus & in pleuritide in vno tantum. ibi.
45 Cur in quibuſdam poſt obitum inuenti ſint pulmones coſtis adhæreſcẽtes, & qui dum viuebant, ſymptomata paterentur 406

In

Index Quæſitorum.

In aſthmate.

46 Cur aſthmatici non ſemper denſam ſeu crebram habeant reſpirationem, vt cum Gal. Paulus Aetius, & alij voluere, ſed tardam aliquando & raram 409

47 Cur & quando prouocantia vrinam hic vſurpanda ſint 410

48 Cur reſpirandi actio imminuta interdum in aſthmate ſit, nō ſēper deprauata 409. & 410

49 Cur expiratio ſit promptior & expeditior inſpiratione 410

50 Cur capite calefacto copioſior reddatur vrina 411

51 Cur medicamenta purgatoria in morbis pectoris parum ex vſu ſint ibid.

52 Per quænam vaſa credant Gal. & Auic. pectoris abſceſſum materiam in ventrem deriuari ibid.

53 Cur diuretica medicamenta in educendo pure a pectore & pulmone improbentur a Galeno. 412

54 Cur & quando purgantia in pectoris affectionibus conueniant 413

55 Cur Hipp. modo laudet, modo damnet alui profluuium in pleuritide, & alijs pectoris morbis 414

In iuuene ad phthiſin propenſo.

56 Vtrum ſub romano cœlo, quod rheumaticū vocat Galenus melius quam ſub patrio ab impendente phthiſi præſeruari poſſit 416

57 Cur in morbis pectoris adeo ſalubre ſit cœlū mutare 417

58 Cur Varro dixerit animam eſſe aerem 416

59 An Gal. reuera ſcripſerit Romanum cœlum Rheumaticum eſſe. ibid.

60 Cur cœli varietas craſin & humores immutet 417

61 Cur Vitruuius vrbem populi Romani temperatam vocet. ibid.

62 Cur etiam a calida ſiccaque intemperie capitis deſtillatio frequens oriatur 418

63 Cur qui catarrhum patiuntur ex intemperie capitis immoderate calida ſiccaque maiorem læſionem ſentiant ſub aere impenſe frigido & ſicco, quam ſub moderato calido, & humidiſſimo. ibid.

In vertigine nobilis equitis.

64 Vtrum cauſa præſeruationis ab hac vertigine relinquendum ei ſit cęlum, ac ſolum romanum 421

65 Vtrum ſimplex vertigo ſit, an vero etiam ſcotomatica 422

66 Quodnam mali genus exiſtat, & quomodo eius fiat generatio ibid.

67 A quotnam cauſis & quibus proueniat. 423

68 An idiopatice vel ſympatice fiat 425

69 An grauiora inde mala pertimeſcenda ſint, & quæ. 425

70 Cur in vertigine ſemper afficiatur imaginatio & quando vna cum ſenſu & motu. ibid.

71 Cur vertiginoſis aliquando ſolum caput, aliquando etiam externa obiecta circumagi appareant ibid.

72 Cur ſenſus viſus & motus lædantur in vertigine ibid.

73 Cur vertiginoſi hallucinationem cognoſcāt, nō itē epileptici, apoplectici, & maniaci. ibi.

74 Cur vertigo non ad morbū intēperie, ſed in via, aut mala cōpoſitione ſit referēda 423

75 Cur quicunque cerebrum calidum habent facile incidant in vertiginem vt ſcribit Auenzoar ibid.

76 Cur magni facienda vertigo ſit, & de qua tātū timetur ne in apoplexiam vertatur 425

77 Cur in vertigine medicamenta eſſe debeant hypelata ſeu blanda nō vere cathartica. 426

78 Cur hic ſanguinis miſſio & è vena iecoraria, & ex intimis hæmorrhoidib. faciēda ſit. 427

79 Cur ſerum lactis potius exhibendum quam thermales aquæ 428

80 Cur Romanus aer temperatus a Vitruuio, cōtra vero impenſe humidus, inæqualis, & incōſtās a Gal. Petronio & alijs appelletur. 429

De Therapiæ febrium declarandæ ordine, & Galenicæ doctrinæ eminentia.

81 Quid in nobis adhuc præſertim iuuēnibus, & naturis calidioribus præſtent calor immodicus, & frigus non adeo intemperatū 431

82 Cur ſenes & iuuenes diuerſo modo ſe habeāt in hyeme & æſtate 432

83 Cur feriari a ſtudijs interdum oporteat 433

84 Cur longa & ardua medicinæ ars dicatur 434

85 Cur doctrina de febribus contemplatiua poſſit appellari 435

86 An in omni diſciplina, & arte, theoreticū quid inſit & practicum. ibid.

87 Quænam methodus ſeruanda in febrium enarratione ibid.

88 Febris quotnā modis cōis morb. dicatur, 436

89 Cur ſyncope, apoplexia, epilepſia, icteritia, leucophlegmatia & tabes non vt febris vniuerſales, & communes ſint morbi. ibid.

90 Cur Roma febribus putridis & contumacibus olim maxime eſſet obnoxia. ibid.

91 Cur febris perniciosior ſit cæteris morbis. 437

92 Cur Auicenna in ſua febris definitione perperam damnetur a Fernelio ibid.

93 Cur febris ſubiectū cor eſſe dicatur, vbi Auer. opinio de cordis tēperamēto reijcitur. ib.

94 Cur oportuerit cor eſſe calidiſſimum. ibid.

95 Cur Hip. animam imitatione Democriti pro natiuo calore accipiat. ibid. & 439

96 Cur febrium enarratio præſtantior etiam ſit tractatione aliorum morborum 437

97 Cur qui Galenum damnāt, alios Græcos omnes, & Arabes quoque reijciant. 440

98 Quonam modo reſpondendum ſit obiectionibus contra Gal. allatis. ibid.

99 Cur mortalibus comune ſit errare 441

100 An ſit iurandum in Gal. verba. ibid.

F I N I S

DE QVAESITIS PER EPISTOLAM IN ARTEM MEDICAM.

DE CONSILIO, ET FORMA OPVSCVLORVM, & imprimis Centuriarum de Quæſitis per Epiſtolam.

A DVplicem colligo eſſe peritorum, ac elegantium Medicorum exercitationem, vnam quidem vmbratilem, & ſcholaſticam; alteram magis veram, & quæ circa res ipſas verſatur. In illa non modò quę à Phyſiologicis antę omnia addiſcuntur, ſed & morborum curandorum velut ideæ, & inchoatæ intelligentiæ habentur, quales à vocatis Practicis deſcribuntur, & quales ego publicè in Romano Gymnaſio enarro. In hac verò alia propiùs ad rem acceditur, vtpotè quæ tractat ſingulorum morborum ſpeciatim hoc, vel illud corpus affligentium curationem, qualis depingitur ab ijs, qui medica edunt conſilia, aut reſponſa; Cuiuſmodi exercitatio ſolet
B etiam eſſe declamatorum, qui vnà cauſidici ſint, quia, vt illi domeſticis meditationibus, ſeu fictis, & otioſis cauſis tantummodò ſe exercent, vt hi verò ſerijs in rebus, & veris litibus verſantur. Vtramque ego exercitationem, amice, ac erudite Lector, meis in operibus, & editis, & edendis amplecti pro viribus ſtudeo, alibi quidem quaſi Epici, aut Heroici Poetæ tãtùm; hic autem, & in Conſiliorum Tomo Tragici etiam munere, & officio fungens; quia ille narrando ſolùm rem perficit, & abſoluit; at hic non ſolo vtitur ſermone, ſed perſonas, quæ & agunt, & negotiantur in ſcenam pariter inducit. Ideo vt quæ peraguntur in libris de Morbis frequẽtioribus, quorum pars, quæ ad Caput attinet, iam edita eſt, partes verò aliæ, quæ ad Pectus, & Ventrem, abſolutæ quidem ſunt, ſed nondum diuulgatæ, ad

A priorem

priorem ſolummodo exercitationem ſpectare videntur; ita vnam, & alte- A ram ſimul in his Centurijs, velut poſteriorem ſolam in Conſultationibus delineare mens eſt. Vnde medicis omnibus artem quouis modo profitentibus vtilitatem non mediocrem acceſſuram confido. Scriptum eſt enim à Gal. 1. de loc. affec. 1. *Circa res particulares exerceri Medicum oportet, qui ſingula artis opera, quæ vniuerſali ratione didicit, tuto, & celeriter exercere voluerit.* Et 9. Meth. 5. poſt quam dixit haud poſſe nos vllius artis ſcientiam naſciſci, niſi & methodum quandam habuerimus per vniuerſalia dicta theoremata, & in particularibus nos exercuerimus exemplis, in hunc modum concludit. *Tanquam igitur qui iter aliquod ingredi ſtudent, vtroque inuicem vtuntur crure, & qui altero claudus eſt, vno dumtaxat vtitur, & longo ſpatio, & ſæpe errans viam peragit; ita ſanè, & qui finem cuiuslibet artis conſequi parat, duobus his veluti cruribus, vel inſtrumentis; vel quomodocunq; appellaſſe libet, vti debebit, in vniuerſalibus theorematis methodo, in particularibus exercitatione;* Quod breuius 8. cap. de Iecoris affect. ita expreſſit. *Qualem facultatem præſtat ad incedendum vtrumq; crus talem in medēdo ratio, & obſeruatio.* Appoſitè quin etiam Philo Iudæus de Agricult. poſt verba illa, quæ in Sacris paginis leguntur: *Omne quod non fert fructum cibo vtilem excides, & facies inde Vallum oppido, ſi quis tibi bellum infert,* addit; *Huiuſmodi arbores ſunt ſimiles doctrinis contemplationem tantum habentibus, inter quas recenſenda eſt medicina iſta otioſa, non coniuncta cum actionibus ægros incolumitati reſtituentibus.* Iuxta quem ſenſum alibi quoq; dixit: *Apud medicos, quæ dicitur logoiatria multum abeſt, vt ægrotos adiuuet; remedijs enim & chirurgijs, & dietis non verbis morbi curantur.* Atqui eloquentiæ parens lib. 1. de Offic. auream de hac ipſa re ſententiam illis in verbis protulit. *Nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamuis artis præcepta perceperunt, quidquam magna laude dignum ſine vſu & exercitatione conſequi poſſunt.* Hoc itaq; emolumenti monumenta mea habebunt, vt præter methodum generaliorem, & vniuerſalem morbos curandi diſciplinam, exempla quoq; ſpecialia contineant; ex illis dico, quæ Gal. 9. Meth. 4. potiora iudicauit, nimirum quæ ipſi oculis vſurpauimus, aut alij fide digni. Hæc etenim illa ſunt exempla, quorum multitudine ſtupidorum quoq; hominum animi velut à ſomno excitātur, D & ex quibus à generalibus ad particularia tanquam manu deducimur, vt idem Gal. ait 7. Meth. 6. dummodò tamen rectè, & accuratè exempla ipſa attendantur; alioqui enim hac in re contingeret quod Ptolomæus in Prædictionibus Aſtr. lib. 1. cap. 1. euenire affirmat. *Diſſimilitudo exemplorū cauſa eſt cur in Prædictionibus aliquid ſit errorū.* Vt ergo ex libris de Morbis frequentioribus ſcholaſticam quandam, ac generalem viam ad morborum eſſentiam indagandam, & vim debellādam elicies, ita ex alijs magis propriā, magisq; ſpecialem morbi cuiuslibet in hoc, vel illo indiuiduo, & agnitionem, & curationem haurire facilè poteris. In vtroq; enim ab omnibus inſudandum eſſe, dum non fama tantùm, & nomine, ſed re, & opere Medici eſſe vo-

ſe vo-

A ſe volumus,conſtans eſt omnium medicinæ ſcriptorum ſententia, & Ga-
leni præſertim 4.Meth. 1.& 9.de Hipp.& Plat. 1. Cogor autem non
infrequenter indagandæ veritatis ſtudio, nonnullorum errata detegere,
abſurdas opiniones reijcere,meq; etiam à calumnijs quibuſdam pro veri-
tate,ac viribus tueri. Vnde iam præuideo in me iurgia,& conuicia infinita,
vix tutus à iaculis, ac telis, à quibus me ſartum tectum velit Deus, cui ſoli
certum,indubitatumq; an mihi inſit animus cuiuſuis famam deni grandi.
A qua tamen re deterrere me debuiſſet, quòd periculoſa ſit præſumptio
iudicare de cęteris,præter exemplum Socratis,qui,vt legitur in eius Apo-
logia apud Platonem, *Omnium ferè Athenienſium in ſe traxit odium,quia re-
darguere ſolitus eſſet eos,qui cum aut nihil ſcirent,aut per parum, ſe maximè ta-*
B *men pro ſcientibus venditabant*. Omnes enim vel in malis operibus laudari
cupiunt,& quò quiſq; rudior,eò etiam arrogantior eſt,nec deſunt oblecta
menta aurium,per quæ mentis intẽtio relaxatur,& neſcio quo pacto ener-
uatur animus; vt eſt apud Philonẽ in Ioſeph, vbi horum cæcitas redargui
tur hoc poſito medicorum,& coquorum diſcrimine. *Illi ſiquidem*, ait, *quic-
quid ad ſanitatem conducit etiam ſi ægroto ingratum videatur ſolùm magno ap-
parant ſtudio. Hi contrà ſuauia curant, vtilia negligunt*. Quæ Philo mutuauit à
Platone in Gorgia,dum Socrates pręſagit ſe in iudicium pertractum iri ab
Athenienſibus,eo potiſſimum nomine,quod non ad gratiam verba face-
ret,ſed ad id potius,quod optimum ſit,quàm quod dulciſſimum. Hic nam
C que eodem,quo Philo, vtitur medici, & coqui exemplo. Ita Solon apud
Laertium *Conſule non quæ ſuauiſſima,ſed quæ optima ſint.* Hæc virtus lõgè ni-
mis ab Aulis Principum abeſt,vbi nullius rei maiori inopia laboratur,quã
illorum,qui verum dicant; Hi certè deſunt omnia poſſidentibus, & magno
in faſtigio poſitis,vt colligitur ex Seneca 6.de Benefic.c. 30. *Væ qui dicitis
malum bonum,& bonum malum* inquit Iſaias cap. 5. A quo Salomon nõ di-
ſcrepat,dum in Prouerb.c. 24.ita ſcribit: *Qui dicunt impio; Iuſtus es maledi-
cent eis populi,& deteſtabuntur eos tribus; qui arguunt eum,laudabuntur,& ſu
per ipſos veniet benedictio*; Ideo mihi nunquam potuit vndequaq; arridere
Iſocratis ſententia: *Vt faciles amicos pares,lauda omnes*; ſaltem in medicis re
D bus tractandis,in quibus nõ ſolùm tenetur vnusquiſq; quantum in ſe eſt,
errores fugere,emendareq;, ſed & qui in eos impingunt, commune face-
re,antequam labes vlterius ſerpat in hominum exitium: quoniam, vt legi
tur apud Ariſt. 1 de Cœlo. *Modica tranſgreſſio à veritate diſcedentibus fit lõ-
gè decies millies maior.* Id quod ſi in propria delinquentis vita. ò quàm cau-
tè in hoc,vel illo imperando remedio,ò quã conſultò in formulis ad Phar-
macopæos. Profectò non adeò inconſiderate medicamentum propinantes
periculum pro medela crearemus. Vnde rectiùs, & magis ad meum geniũ
Euripides: *Amicos qui nihil tibi verbis indulgeant,comparato*. Nam,vt eſt in
Prouerbiorum lib.c. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta
oſcula odientis*. Maleuoli verò illi qui ſtimulante inuidia quod conſequi nõ

valent deſpiciunt,& mea quæuis indeſinenti laniant obtrectatione, ſciant A
ictibus ipſorum iam animum occalluiſſe meum, & conuicia negligere me
iam didiciſſe,non ſolùm quia notum eſt mihi ex 4. Annal. Taciti; *Conuicia*
ſi iraſcare agnita videri: ſpreta exoleſcere,& ex Plauto Pœn.

Iſtum theſaurum ſtultis in lingua ſitum
Vt quæſtui habeant male loqui melioribus.

nec non quia ex Seneca ſcio; *Æquo animo audienda eſſe imperitorum conuicia,*
& ad honeſta vadenti contemnendum eſſe iſtum contemptum; ſed multo ma-
gis quia,vt habetur apud Philonem de Agricult. *E priſcis quidam prouoca-*
tus ad conuiciandi certamen, in hoc quidem inquit nunquam deſcendero, in quo
victor victo ſit deterior. At hinc aliquis obijciet quod Sapiens exarauit: *Ne-*
mo eſt mortalium, quem non aliqua pars ignorantiæ attingat, hanc contagionem ex B
ipſa mortalitate traximus. Nam homo cum errat, humanitus errat, errorem au-
tem in homine calumniari, eſt toti ipſi mortalitati conuicium facere. Et rurſus al-
ter,me eum non eſſe,qui aliorum maculas patefacere valeam,cum nec ip-
ſe ab ignorantiæ nota liber,& immunis degam; iuxta illud: *Alijs medetur,*
vlceribus ipſe ſcatens. Nihil autem turpius eſſe fertur, aut moleſtius maledi-
cto in auctorem recidente. Vtrumq; verum, nàm mortalitati errare agna-
tum eſſe, qui neget, mortalium erit nemo, cui ſana mens ſit. *Difficile enim*
eſt, inquit Gal. de Archig. loquens Catat. 2. *vt qui homo ſit, non in multis pec-*
cet; quædam videlicet penitus ignorando, quædam verò malè iudicando, & quæ-
dam tamen negligentiùs ſcriptis tradendo. Vnde iure merito Lipſius in Poli- C
ticis. *Vnus Deus* ἀναμάρτητος, *omniſcius, omniumexpers errorum, at hominum*
quidquid eſt, opinãtur, vacillãt, errãt, quippe qui Thucydide aſſertore lib. 3. nati
peccare, & labi ſunt. O quàm ingenuè illud: *Maxima pars eorum, quæ ſcimus,*
minima eſt eorum, quæ ignoramus. Quare ſi Platoni credere fas eſt, Deus re-
ſeruauit ſibi ſapientiam, Dæmonibus opinionem rectam, hominibus lubri-
cam tantùm, & ancipitem conceſſit. *Scientia*, inquit idem, *ſimiles ſunt alau-*
dis euolant cum manu teneri putantur. Per quæ tamen non eſt cur aliquis rē
intimiùs trutinans, & expendens cogitet me hoc in loco Scepticas, & Aca-
demicas partes ſuſcipere aduerſus Dogmaticos, & Peripateticos, quaſi ve-
lim omnem ſcientiæ rationem Philoſophis ipſis denegare. Non enim hæc D
mihi eſt intentio haud ignoranti quid Scepticis, quid Academicis reſpon-
deatur ab Ariſtotelicis, immò etiam & à D. Auguſtino in lib. de Vera reli-
gione lib. 2. contra Academicos ipſos, & 19. de Ciuit. Dei c. 18. Quò pariter
faciunt quæcumq; leguntur apud D. Thomam 1. par. qu. 84. vbi ex Ariſt.
doctrina 4. Metaph. c. 5. tex. 22. contra Heracliti ſententiam docet de rebus
Phyſicis, & ſi tam eſſent mutabiles, quàm putabat ipſe Heraclitus, adhuc
tamen poſſe haberi ſcientiam. Sic Tertullianus in lib. de Anima Academi-
corum notat cæcitatem, quòd ſenſibus fidem omnem abrogando naturæ
ordinem turbauerint, & ipſius Dei prouidentiam reprehenderint, quaſi re-
bus intelligendis, ac diſpenſandis fallaces, & mendaces inter nuncios ſen-

ſus præ-

A ſus præfecerit; Non inquam in animo mihi eſt, omnem ſcientiæ rationem à nobis ablegare. Verùm ad id ſolùm reſpicio, quod paſſim omnes, & ſacri & profani ſcriptores vnanimiter affirmant; in quacunq; diſciplina tàm arduam, tamq; difficilem eſſe rei, de qua agitur, adeptionem, vt id, quod ſcimus, præ iis, quæ ignoramus, nihil penè ſit; Quid ſi hoc voluiſſent Pyrrhonici, & Sceptici ipſi, inquorum ore ſemper illa familiariſſima verba; *Nihil definio, & nihilo magis, & fortaſſe, & fieri poteſt, &* ἐπέχω, quaſi ſubtraho iudicium, vtentesq; aphaſia, & acriſtia, hoc eſt taciturnitate, & incertitudine iudicare recuſabant? Id ipſum non ab re erit credere voluiſſe Pythagoram, Socratem, & Platonem dum non tam ignorantiam fatentes, quàm ſcientiam modeſtè diſſimulantes, nonnullorum coercebant inſolentiam,

B qui, vt de Heraclito Pontico teſtatur Cicero 5. Tuſcu. Quæſt. cum à vera ſapientia longè abeſſent, ſibi ſapientis nomen inaniter arrogabant. Quod inter alios ægrè ferens Pythagoras ipſe Sophi nomen in philoſophi nomen commutauit. An non legitur c. 8. Eccleſiaſtes: *Et intellexi quod omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt ſub ſole, & quanto plus laborauerit ad quærendum tantò minus inueniat, etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire?* Et rurſum cap. 1. *Cunctæ res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone?* Omnia ſi quidem incerta ratione, & in naturæ maieſtate abdita ſunt, vt ait Plin. lib. 2. c. 37. Iccirco ſi Vates ille in triuiali, minimèq; operoſo argumento, videlicet in Arte Poetica, vt Lemnius

C probè notat.

Dat veniam maculis, quas aut incuria fudit
Aut humana parum cauit natura,

quantò magis in Arte Aſclepiadum, ſeu medicina, quę tam exacta indiget contemplatione, tamq; laborioſa in operibus exercitatione, quęq; tot, tantiſq; rerum difficultatibus ſcatet, & coniecturalis vndique eſt, ad pleraque conniuere, muſſareq; conuenit, nec omnia licet ad viuum, vt dicitur, reſecare? An ergo putem me ſupra humanam conditionem, ſupra hominis naturam, qui dum aliis medelam paro, vlceribus vndiq; cingor? An non ſcribit Hipp. de Veteri Medicina. *Ego eum medicum vehementer laudo, qui*

D *parum delinquit?* Ideo ex parte mea iam edico quod aſſeritur in Apologia Socratis: *Vbi didicero, non ampliùs id me facturum, quod per ignorantiam faciebam. Qui enim ſibi ſapientes videntur medici, hi ſunt nimirum qui peccant*, vt idem ait Hipp. 1. de fract. ab initio. Cum quo deniq; mirè congruit, quod apud Salomonem legitur in Prouer. c. 12. *Qui odit increpationes inſipiens eſt*, Et; *Via ſtulti recta in oculis eius, qui autem ſapiens eſt audit conſilia.* Noſtram etenim in omnibus imbecillitatem fateamur oportet, quando & Peripateticorum Princeps ab Academicis in hoc minimè differens 2. Metaph. 1. ita ſcripſit; *Quemadmodum veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ manifeſtiſſima omnino ſunt.* Quapropter & ſenex optimus, ac medicinæ parẽs laudatiſſimus 7. Epid. refert vocatum ſe

ad colicorum dolorum curationem, admouiſſe deceptum calorifica, quia A
nimirum frequentiſſima talium dolorum cauſæ ſunt flatus craſſiores, aut
hærens pituita, quæ duo in colo anfractuoſo craſſis membranis tecto, &
multo intus, ac inęquali adipe infarto faciliùs morantur, & retinētur quā
in alijs, vel tenuibus, vel craſſis inteſtinis. A quibus quidem calorificis prę
ſidijs diù ab Hipp. adhibitis cum nihil iuuaretur æger, teſtatur ſe tranſijſſe
ad frigida cum magna vtilitate, ac dolorum alleuatione, cum interdum fiāt
à bilioſo ſucco lancinante, aut à latente inflamatione natiuum calorem re-
ſoluente, aut ab hectica intemperie. Qua de re ego alibi ex obſeruatione
Venetijs facta vnà cum Hieronymo Fabritio ab Aqua pendente, & Her-
cule Saxonia Patauinis medicis celeberrimis. Hùc ſimiliter referri poſſe vi
detur quod inibi Hipp. in Andrea quodam notat; *Ab initio*, inquit, *ſemiter-* B
tiana apparebat, verùm tertiana erat. Inſuper eodem in opere à futuris ſe de
ceptum fuiſſe liberè profeſſus eſt, ſiue error fuerit in communioribus ſu-
turis diſcernendis, vt Celſus exiſtimauit, quod tamen credere vix poſſum,
ſiuè, quod alij malunt, & veriſimile magis fit, quoniam in futuras quaſdam
incidit inſuetas, quas nulla ratione præcognoſcere potuit, quia humani ca
pitis futurarum ſitus non æquè idem in omnibus eſſe conſpicitur, vt vide-
re eſt etiam apud Columbum lib. 15. cap. *de ijs, quæ rarò in anatome obſeruā-*
tur. Qui tamen Hipp. excuſari omnino debet, quia *ceu primus inuentor*, vt
de eo ſcribit 9. Meth. 8. Gal. *non omnia ſciuit, nec ad vnguem perfecit*; Imò
Celſus in tali confeſſione Hipp. ſummoperè laudat, eo quod *leuia ingenia,* C
quia nihil habent, nihil ſibi detrahūt, addens, *magno ingenio, multaq; nihilominus*
habituro conuenire etiam ſimplicem veri erroris confeſſionem, præcipuèq; in eo mi-
niſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione,
qua quis ante deceptus eſt. Quæ poſtrema verba Celſi augent animum, &
quaſi calcar addunt, vt quod iam concepit (qualecumq; enim eſt, commu
nem reſpicit vtilitatem) nunc ſtatim foras emittat, ſpretis iurgijs, calum-
nijsq; nonnullorum, quibus hoc pariter habet cum Platone reſpondere;
Vituperare res malè affectas, & longius in errorem progreſſas minimè iucundum
ſed neceſſarium interdum eſſe, & cum Ariſt. ipſo 1 ad Eudemum: *Falſarum*
opinionum refutatio, eſt inuentio veritatis. Laudantur propterea non priſci D
tantùm æui Medici, ſed & noui, imò noſtri in Hiſpania, Gallia, & Italia,
qui in detegendis erroribus, in conuellendis hæreſibus, in dirimendis con
trouerſijs diu, multumq; ſtuduerunt; Quorſum enim putas à Conciliato-
re editas Differentias, à Cardano, & Rorario Contradictiones, à Valleſio,
Siluatico, & alijs Controuerſias, & à quibuſdam etiam commentaria de er-
roribus popularibus, & medicorum? Omitto illos, qui tot Obſeruationes,
& particulares Curationes tam exactè, ac eleganter deſcriptas poſteritati
reliquerunt, de quorum numero fuere Amatus Luſitanus, Petrus Foreſtus,
Ioannes SchenKius, & plures alij, qui ab eodem SchenKio in proęm. ſui
operis referuntur. Non ita pridem Romæ circa eādemmet materiam ver-
ſatus

A ſatus fuit doctiſſimus Gimnaſius Illuſtriſs. Cardinali, qui id mihi aſſeruit, Pater, quod opus vtinam prodiret in lucem, in tam denſis, & opacis tenebris. Anteceſſor meus Marſilius Cagnatus hoc in genere ſcribendi aliquādo ſe exercuit: calumniarunt aliqui, ſed non boni, non in Arte periti; quorum quibus verè doctis, & in Arte verſatis ſemper placuit, vt veritati magis, quàm opinioni ſapientiæ opera ab vnoquoq; detur, nec tempus conteratur, vt ab illis, quos Gal. notat, *qui totam Vrbem ſalutando luſtrabant, cū diuitibus cœnabant, ac eoſdem comitabantur*, quibusq; ad reprehendenda aliena dicta, & facta ardet animus, nec deeſt ingeniū, quo ſecretis criminationibus aliorum virtutes vellicent, & ignorantiam pro ſcientia vendtent. Curæ tamen mihi ſemper fuit, eritq; dum viuam, vt mea quæq; viris pro-
B bis, ingenuis, ac ſolida ornatis doctrina minime diſpliceant, nihili æſtimās quid hic, vel ille è vulgo ac turba empiricorum, & idiotarum medicorum loquatur, cenſeat ve. Non enim ijs ſcribo, non ijs mea placere cupio, vt nec illis, quibus garrulitatis multum, ſapientiæ, & prudentiæ parum, & qui futiles magis ſunt, quàm vtiles, in quos mirè quadrat Plautinum illud:

Baccha, bacchanti ſi velis aduerſarier
Ex inſana inſaniorem facies, feriet ſæpius.

Sed me meaq; ſubijcio cenſuræ eorū, in quos illud Homeri Odyſſ. 2. nēpe
Οἱ μεν φέρτεροὶ εἰσι τοῦσαι τε χρειάρτι.

Seu

C *Qui potiores me iſthæc cernere, & arbitrari.*

Tandem ſcito. Quæſita hæc cùm aliunde petita, tùm maximè ex varijs morborum curationibus aut publicè docendo enarratis, aut priuatè huic, vel illi tàm conſulendo, quàm medicinam faciendo peractis, libuiſſe mihi vocare partim primaria, partim ſecundaria. Vt enim quæ in primo collocantur loco clariùs, & perfectius diſſoluerentur, ſæpè multa alia ſecundariò interſerere oportuit, omniaq; ſimul ante ſingulas Epiſtolas velut in fronte quā breuiſſimè annotare, vt cuiq; ſint elenchi inſtar, & breuiarij; nec non ſcias velim nomen Quæſiti tàm ad theorema, quàm ad problema poſſe referri, cum ſcriptum ſit à Proclo in com. ad 1. lib. elem. Euclidis ab initio: *Res om-*
D *nes, quæ in diſputationem vocantur, vel theoremata dici, vel problemata, ac theorema quidem appellari, quo quæritur, an prædicatum inſit ſubiecto, problema verò illud, quo an res aliqua ſit, nec ne quæritur:* Hoc autem quęſitūm ſimpliciter illud quæſitum in parte Ariſt. nuncupat, *in quo*, vt idem aſſerit 7. de Sapientia part. 39. & poſt eum Philopponus 1. Poſt. com. 2. *aliquid certum eſt, quod ſupponitur, & aliud incertum, quod quæritur.* Mehercle in his Quæſitis de cauſa magis dubitatur, quàm de re ipſa. Problema ambiguitatem vocat Quintil. &, vt colligitur. Top. 1. *eſt quæſtio, ſiuè interrogatio contemplationem deſignans.* Quoquo modo ſit, Quæſitum hic ſumas velim pro eo, quod eſt rogatum ſiuè interrogatum, vel quod rogari, aut interrogari poteſt, & quod per Epiſtolam ſoluitur, & enucleatur; ita vt canere cum Vate poſſim.

Accepi

Accipe quæſiti cauſam. A

Vale quiſquis es,non liuide Lector,& ad quem nullo modo illud Pythag. *σιτίον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν.* Nam,

Syncerum eſt niſi vas, quodcunq; infundis aceſcit.

Et, *qui in plenum cœno puteum aquam puram infundit, aquam deſtruit, neq; puteum quidquam mutat*, vt Gal. ait 2. de Criſibus 2.

Temporis ordo paſſim ſeruatur, præterquam in primis Caſibus, propter ſubiectorum ſplēdorem, ac maieſtatem; Addita quin etiam ſcito multa, vt fieri in dies ſolet, poſt tempus, quo primò exarata fuere opuſcula.

QVÆSITA PRIMARIA NOVEM in Auguſtiſſimo Imperatore Matthia Arthriticis doloribus corripi ſolito, & aliquando Nephriticis. B

I.

Cur vrinæ, quæ antea craſſæ, & rubeo ſaturatæ colore apparebant, nunc tenues, & pellucidæ ſint.

II.

Cur aliàs, dum ſoli aderant podagrici dolores, febris etiam adeſſet, hodie verò Arthritide ſæuiente, nullum appareat in pulſu febris ſignum.

III. C

Cur vomitus, qui antea erant ex phlegmate puro, nunc ex bile ſint vitellina.

IV.

An dolorum magnitudo, & ſindrome aliorum ſymptomatum, quibus in præſenti detinetur, è chymicis medicamentis oboriantur.

V.

An chymicæ quædam aquæ ſupra pedes appoſitæ internàs partes inflammare potuerint.

VI.

An ex viſcerum inflammatione præſentia mala eueniant, cùm nulla in pulſu percipiatur alteratio. D

VII.

An ex mutatione ad aerem frigidiorem in anni tempore gelidiſſimo maiores in corpore mutationes oriri potuerint.

VIII.

An pro totali ab Arthriticis doloribus liberatione ſit facienda curatio per chymica medicamenta, vt proponitur.

IX.

An ſexagenario ſemper vino aſſueto ex arte ſit vinum ipſum probibere, & aquam imperare.

Secun-

A

Secundaria Viginti.

I.

Quonam modo fiat Arthriticis generatio.

II.

Cur febres cauſones, & aliæ deteriores ſint in hyeme, ac regione frigida.

III.

Cur podagrici è podagricis oriantur.

IV.

Cur Icterici exſuccas, & albicantes feces, vrinas verò croceas emittant.

B

V.

Cur, & quando Arthritici vna & Nephritici craſſas, & rubeas, & è contra tenues, & albas mingant vrinas.

VI.

Cur vno in loco dicat Hipp. vrinam multam, craſſam, & albam liberare ab arthritide, in alio verò hanc indicare.

VII.

Cur, & quando in artuum doloribus vti diureticis poſſimus.

VIII.

Cur conuulſio febrem finiat.

IX.

C *Cur calida valdè, ac ſeniuum partium imbecilla, ventriculo inimica ſint potiùs, quàm amica.*

X.

Cur iecoris calor intenſus ventriculi imbecillitatem pregignat.

XI.

Cur diaria febris ex inguinum inflammatione, & ex concitatiori motu naſcatur.

XII.

Cur narcotica ſuſpecta ſint in incipientibus articulorum doloribus.

XIII.

D *Cur hepate inflammato tam ingens oboriatur febris.*

XIV.

An in qualibet ætate tutò liceat mutare conſuetudinem.

XV.

Cur chymica medicamenta arthriticis, & calculoſis inſenſa tantopere ſint.

XVI.

Cur cholagoga medicamenta ſint ſenibus inimica.

XVII.

An perpetuò verum ſit vulgatum dicterium: Vinum eſt lac ſenum.

XVIII.

An rectè Valleſius vina deneget ſenectuti.

Cur

XIX. A

Cur ſacræ paginæ vinum ſanguinem appellent.

XX.

An ijs, qui doloribus arthriticis ſunt obnoxij, vinum ſit ſemper denegandum.

AD D. LVDOVICVM RODVLPHVM.

IN hiſtoria morborum, ſeu ſindrome ſymptomatum, quę mẽſibus præteritis patiebatur Auguſtiſſimus Imp. M ad me ideo abs te miſſa, vt tanti Principis incolumitati pro viribus conſulerem, plura proponebantur Quæſita enucleanda: Vnde meo in Reſponſo, ſi oblitus non es poſtquam de natura, & idea accidentium omnium abundè peregi, ad Quæſita ipſa enodanda me contuli; mox ad prognoſim, ſcopos, curationem, & præſeruationem; quæ ſingula nõ valdè poſt, cęleſti numine aſpirante, ex Conſultationibus vnicuiq; patebũt. Interim verò his primis Centurijs de Quęſitis per Epiſtolam in lucem prodeuntibus, mei inſtituti ratio poſtulat, vt illa non modò vnà cum cęteris inſerantur, ſed etiam ob tantæ Maieſtatis ſplendorem cunctis alijs, temporis ordine, quo alibi vtor, poſt habito, præponantur, & in ipſa libri fronte collocentur. Nec eſt quod aliquis miretur, cur Tibi, Ludouice honeſtiſſime, inſcribantur, quòd Medicus non ſis, res autem, de qua agitur, ſit prorſus medica; nam ad eum remitto, qui ad me primò miſit; nec ita nuda, vt antea, ſed ſuis cauſis, quaſi proprijs indumentis perornata; ad eum dico, qui præter generis nobilitatem, varia quoq; doctrina, ac eruditione inſignitus, illa etiam quæ à medicis tractantur, aut ſcribuntur, libẽti animo audit, & euoluit. Accipe hæc ergo à me, vt meæ in te beneuolentiæ, ac obſeruantiæ teſtimonium quàm clariſſimum.

Symptomata itaq; mihi exarata plura quidem erant, ſed grauiora, & de quibus petebatur conſilium, erãt dolores, qui anteactis temporibus genua tantum, ac pedes per lõgiora interualla affligebant; deinde vero à nõ multo tempore valde crebrius, & valdè etiam vehementius infeſtare cępe runt, tandem menſibus præter lapſis frigidioribus ex cæli mutatione, & itineris occaſione toti corpori facti fuerunt communes, & adhuc moleſtiores, vt ne ſufferri quidem tantillum poſſent. Arthritici verò erant, vt à parte maxime laborante, ac dolente per Gal. doctrinam 2 Metho. 2. clarè admodum dignoſcitur. Quorum dolorum generatio nemini dubitandũ, quin à rheumatiſmo, ſeu ab affluxu humorum, qui à membris præcipuis ad varios artus demandabantur, originem duceret, iuxta ſcilicet rationem illam, quæ ponitur à Gal. de naturalibus facult. de cauſis morb. cap. 6. 5. de ſanit. tuen. cap. 13. & ad finem libri de Cibis boni, & mali ſucci; iuxta quam etiã ego alibi ſcripſi, illud idem fieri in Oeconomia humani corporis, & particulis eius, quod in ea mala republica, quam Ariſt. oligarchiã vocat, in qua

poten-

A potentior opprimit imbecilliorem, in eumq; totum deponit onus. Comparatum ſiquidem eſt à natura, vt vnaquæq; pars noſtri corporis facultatem habeat depellendi à ſe ſe quicquid noxium, & moleſtum eſt, niſi tamen nõ nullas ob cauſas impediatur; membra autem mittentia ſtatuebantur tantũ modo hepar, & ventriculus, ex læſis eorum actionibus, ac exeuntibus mutatis; & hepar quidem retorridum, ne dum calidum eſſe dicebatur, ideoque aſſare potius humores, quàm elixare aſſuetum: inde tot biles; quæ medicamenti chymici aſſumpti commotione in ventriculum reiectæ per vomitũ exibant, velut earum portio aliqua ad locos tantoperè dolentes demandabatur, maior verò ad inteſtina; vnde frequens illarum per ventrem inferiorem profuſio. Medicamentum chymicum, quo ſæpè vſus eſt, erat extractũ B ſenæ, ac polypodij, facta tamen extractione ſine igne cum menſtruo quodam (ſic enim dicitur à iatrochymicis in genere, à menſe, quem vocant, putrefactionis, liquor omnis rerum extractioni inſeruiens) quod quidem facultatem incidendi, non tamen vim purgandi validam habuiſſe ſcribitur, velut etiam priuandi ſenam odore, & ſapore ſuo; à quo quidem extracto cochleatij menſura deglutito aluus perbelle euacuata eſt, & quæ exibant materiæ, biliosæ prorſus, & ardentes fuiſſe referuntur. Hepatis verò calor exuberans in A. I. eſſe creditur vel à primordijs ſuæ conſtitutionis in vtero, id quod ex naturali temperamento facilè arguitur; ex accidenti tamen non parum adauctus, maximè occaſione crudorum, lentorumq; ſuccorum, qui C prius in vẽtriculo collecti, nec omnes per vomitum euacuati vnà cum chylo ad hepar deuehi conſueuerunt, qui exiguas eius venulas, quæ innumeræ ſunt, obſtruentes, calorem ipſius ex præpedito illi perſpiratu impensè adauxerunt, velut vina generoſiora Hiſpana, dico, & Cretica, quibus frequẽter vtitur, & concitatiores venationes in anni etiam tempore calidiſſimo. Quem ſimiliter mutatio ad aerem frigidiorem menſe Decembri gelidiſſimo intenſiorem reddere potuit, non propriè, & ſuapte natura, ſed per antiperiſtaſin dictam, & iuxta Aphoriſmum 1. ſect. *Ventres hyeme calidiſſimi.* In quem ſenſum non ignoramus ſcriptum quoq; ab Ariſt. 6. prob ſect. 1. febres ardentes (quod de alijs omnibus inteſtinis morbis feruidioribus intel D ligendum) quæ hyeme, & in regione frigida oriuntur, magis ardentes eſſe quam quæ in æſtate contingunt. Cuius problematis ratio probabilior eſt, quia huiuſmodi tempore, & in illa regione corpora hominum conſtipata ſunt, præ qua conſtipatione cùm caloris effluxus prohibentur, fit, vt idem cohibitus magis, atq; magis intendatur; iuxta quam rationem proditum etiam literis eſt ab Hipp. quod duarum febrium magnitudine parium, quæ hyeme fiunt, & æſtate, magis periculoſa cenſetur hyemalis, quia cum non poſſit ignis expirare, ardores euadunt maiores. Quod verò hic ipſe hepatis calor ab vſu chymicorum remediorum fuerit adauctus, non eſt cur in dubium vertatur, in complexione præſertim calida valdè, & habitu graciliori; quæ corporis natura manifeſtè de illarum cẽſu exiſtit, quibus medicamẽta

chymica

chymica nullo pacto conueniunt, vt potè quæ rorem ſimilarium partium A in omnibus, ſed præcipuè in ſiccioribus corporibus depaſcunt; nec ſilebo hoc in loco quod SchenKius narrat in ſuis obſeruationibus de quodam iiſdem doloribus vexari ſolito, qui dum chymicis, & vitriolatis potiſſimum medicamentis vti decreuiſſet, vt à doloribus præſeruaretur, ſemper in deterius lapſus eſt, & dolores, qui antea non ita ſæui erant, quaſi pungentes acus, & intolerabiles expertus fuit, cauſa ab eodem ſcriptore relata in chymica medicamenta, & chalcanthinum imprimis liquorem, vt apud eum videre vnicuiq; licet. Membrum aliud, quod in ſe humores accumulat, eorũque ſarcinam in imbecilliora protrudit, ventriculus eſt, cuius ſegnities, vt ait Hipp. 6. Epid. vaſorum eſt impuritas, cerebri conſumptio, & vniuerſi corporis confuſio: qui dum frigida, & humida laborat intemperie, non poteſt non eſſe imbecillis, & ad concoctionem, aliaq; conſueta munia obeunda iners: hepatis enim calor ingens ſpiritus ventriculi tenuiores ad ſe trahendo, ac diſſipando, nec non varia in victu errata huius membri intemperiem magnopere augere potuerunt, ex quo poſtmodum chyloſi vitiata, magna crudorum ſuccorum copia genita eſt, & in dies generatur. Hi verò crudi ſucci annis ante actis ad genua, & pedes ſolùm decumbentes, non ſine tamen aliqua miſcela biliosæ materiæ craſſam, & vijs hærentem pituitã in longinqua loca deuehentis, dolores tunc temporis valdè mitiores, quã ſint præſentes efficiebant, quia nunc, cum à bilioſa magis, quàm pituitoſa fluxione oriantur, acerbiùs ſentiuntur, propter acriorem bilis qualitatem. C De Capitis fluxione in primis literis nulla mentio, imò ne de minima quidem illius membri læſione quicquam dicebatur, quod miratus ego ſum in tanta hepatis caliditate, & ventriculi imbecillitate; ideo in hepar ſolùm, & ventriculum, ceu in fontes primarios viſa eſt tunc refudenda illorum dolorum origo. Membra laborantia, & quæ tanquam infirmiora facilè excrementa recipiunt, nec eadem ad alia tranſmittere valent, ſunt articuli varij, eorumque neruoſum genus, hoc eſt neruus, membrana, tẽdo, quorum omnium debilitas ex ſemine primùm contracta, & à principio dependere intrinſeco videtur, quia parens, auus, & proauus eodem mali genere laborarunt. Nam, vt Hipp. 4. de morbis affirmat; *vnumquodq; animal ſecundum* D *parentes naſcitur, à ſanis ſanum, à morboſis morboſum, &* eodem auctore, *podagrici, & arthritici, à podagricis, & arthriticis fiunt;* vnde Gal. 6. aph. 28. apertè fatetur vitiatum parentum ſemen poſteros gignere podagricos, iuxta illud forſan Lucretij.

Semen adulta ætas cùm primùm roborat artus
Per membra, atq; artus decedit corpore toto.

Huiuſmodi autem imbecillitas, quæ tamen in multis aſcititia eſt, neceſſariò requiritur in quacunq; parte ſuſcipi debent humores, ſed pro generatione morbi in ea minimè ſufficiens eſt, niſi vnà accedat materia aliunde tranſmiſſa. Hinc Gal. ipſe 6. de ſanit. tuen. 13. *Qui,* inquit, *nihil colligunt ſu-*

peruacuum

A *peruacuum, ijs manent imbecillæ partes ſemper in tuto, cuius rei euidentiſſimum*
argumentum eſt, quod aliqui ſex menſibus, pluribus vè infirmis partibus laborãt,
cum ſi ſola imbecillitas ipſa id efficeret, perpetuò laboraret infirma pars, ceu cui æ-
grotationis cauſa nunquam abeßet. Ad hoc etiam reſpexit Celſus lib. 1. cap. 9.
dicens. *Cruditas maximè lædit, & quoties offenſum corpus eſt, vitioſa pars ma-*
ximè ſentit, ſermoq; ipſi Celſo eſt de ijs, quibus dolere nerui ſolent, *quod,*
ſubiũgit, *vt podagra, chyragraq; eße conſueuit.* Quæ pauca erant præmittẽda,
quaſi principia quædam, per quæ aditus facilior patebit ad iam propoſita.

Quæſita enodanda: quorum primum erat de vrinis, quæ cũ antea ſem-
per accenſæ forent, & craſſæ, nunc quaſi aqueæ, & pallucidæ apparãt. Pro
cuius ſolutione illud ignorari non debet, A Imperatorem, ante medicamẽ
B ti relati exhibitionem, alui ſtypticitate diu laborare ſolitum fuiſſe, nec non
hepar. & partes circumſitas à ſuccis craſſioribus obſtructas habuiſſe, quod
veriſimile etiam ſatis ex eo fit, quia habet ventriculum generandis crudita
tibus perquam idoneum, & eò magis, quò per ventrem minimè egereban
tur. Ventris enim excretio vnicum eſſe ſolet cruditatis remedium, vt per
Galenum patet lib. de alim. facul. cap. de trit. & deniq; ſciendum poſt chy-
micum medicamentum ſubſequutam eſſe largam bilioſorum humorũ eua
cuationem; quibus ita prælibatis dico vrinas antea rubro ſaturatas colore,
& craſſiori ſubſtantia refertas mingi ſolitas, hodie tenues, ac pellucidas
emitti; An quia in cholidico aliqua tunc exiſtente obſtructione, vnde for-
C taſſe alui illa ſtypticitas, bilis magna ex parte in Iecur ipſum remeans, &
retrocedens, indeq, in emulgẽtes, & vrinarios meatus, vrinam colore quaſi
rubeo ſuffuſam reddebat: poſtea verò eductis humoribus, & reſeratis locis
quæ erant obſtructa, & bile ad inteſtina remandata, contrarium euenit?
Sic enim videmus ictericos albas edere fęces, exſuccas, imò quaſi ſcybala,
aut caprarum ſtercora, vrinas verò omnino craſſas, & croceo colore ſuffu
ſas; qui vbi priſtinę reſtituuntur ſanitati, & in ipſis viæ factæ ſunt poten-
tiores, alui excrementa collorata, & mollia, lotia autem clariora, ac tenuio-
ra excernunt. An quia nunc craſſiores ſucci pituitoſi frequẽtiſſimè ex ore
eijciuntur, & bilioſi non ad os tantùm, verùm quoque ad ventrem conuer
D tuntur, vijs vrinæ relictis? Ita namque etiam ex diaphanis, & ſeroſis vri-
nis in febrientibus, impendẽtem phreneſim præcognoſcimus, quia bilioſi
humores aliò conuertuntur, & raptum, vt aiunt, ad cerebrum habent. An
quia in renibus, & vrinarijs meatibus quadã facta obſtructione, vrinę qua-
ſi tranſcolatæ minguntur; eo prorſus modo, qui ponitur ab Hipp. in lib. de
Aere, Aquis, & Locis? Conſtat enim omnes ferè arthriticos, ſimul & ne-
phriticos eſſe & A. I. aliàs è renibus lapillos excreuit, & ſæpè arenulas
emingit, vt in ſecunda relatione ſcribitur; vt propterea, ob cruda, & pitui-
toſa excrementa ad renes partim demandata, & partem etiam ab eorum ca
lore attracta (Siquidem renes in iecoris, quod hic præcalidum eſſe dicitur
temperamentum facile ob viciniam, & colligantiam concurrunt) non ſo-

lùm craſſa ab eo mingeretur vrina,ſed & rubra valdè, ex commixto ſan- A guine ſeroſo,renibus ipſis ab aliquo lapillo attritis,& præſertim tempore,quo magis corpus exercebat, quàm hodie faciat. Nunc etenim lecto decumbens,& corpore minime agitato,nec humores, nec ſi qui ſunt calculi commouentur.ſed ibi moram trahentes, & vias illas quodammodo obſtruentes, exire tantùm permittunt quę tenuia ſunt,& vere aquea. An talis hodie mingitur vrina vitio facultatis naturalis labefactatæ, dum iecur,& vniuerſa ęconomia nutritoria male ſe habent? An demùm quia ſcribit Hipp. 4. aph. 74. *Quibus timetur abſceſſus ad articulos;liberantur vrina multa craßa,& alba:* & in fine lib. de humoribus: *Vrina craßa,alba,qualis Archigenis familiari erat,liberat ab abſceßu?* Quibus locis nullum alium puto reperiri aptiorem ad hoc quæſitum enucleandum. Contrariorum B enim contraria eſt ratio,& conſequentia. Nec obſtat quod Hipp. vrinas albas dicat,& in caſu noſtro fuerint prorſus rubeæ,quia non de arthritide ſimpliciter,vt ille,ſed de arthritide vnà cum nephritide loquimur. At ſi vera ſunt,quæ Hipp. in citato aphoriſmorum loco ſcripſit,quid cenſendum de illo altero 2. Prorr. priori vndequaq; oppoſito? Ait enim: *Vrinæ craſſa,cum alba ſubſidentia auditant articulorum dolores?* An cum Medicis quibuſdam doctiſſimis ſuſpectam habebimus poſtremam hanc Hipp. ſententiam? An potius dicendum eſt,Hipp. hoc in loco velle craſſa lotia pręnuntiare dolores artuum,ſi reſiſtent,aut mutentur in tenuia,craſſiori humorum ſubſtantia intus in vaſis relicta,quæ poſtea in artus varios decum- C bat,quemadmodum A. I. contigiſſe rationi admodum conſonum eſt. Vnde ego in Illuſtriſs. Card. articularibus doloribus per interualla obnoxio, dum incipiente malo craſſa multum,& copioſa ab eo mingeretur vrina, dixi primùm coram D. Angelo à Balbo Regio Medico Romano, dolorũ ſæuitiem,& minorem,& breuiorem futuram omnino eſſe,quàm præteritis temporibus,vt re verą contigit. Scribit enim Philotheus in com. cit. aphor. *In partes diuiſa materia velociſſima fit morbi ſolutio*; deinde verò etiã addidi;ſi dolores perſiſterent,& vrinæ ipſæ nõ adeo craſſæ,& copioſæ exirent,non diſplicere mihi placidorum diureticorum vſum, præſertim cùm exacta non valde antę purgatio, & in victu notatu digna frugalitas præceſ- D ſiſſent,idq; eo magis aſſirmabam,quod huiuſmodi medicamentis non modo a ſæuioribus doloribus,ſed & ab impendente paruorum calculorum in renibus generatione,ſi forte fortuna materia illa craſſa diutius ibi moram traxiſſet. vt in mille alijs obſeruatum eſt à multis; Illuſtriſs. D. præſeruari poſſe credendum erat allata in medium vulgatiſſima Hipp ſententia: *Natura ſtimulata artis peritis quid agendum ſit demonſtrat.*

Secundum Quæſitum promouebatur circa febrem,nempe cur aliàs adeſſet,dum mitiores erant dolores,& in pedibus tantùm cum minori quoq; calidorum humorum copia;hodię verò in tot,ac tã ſæuis doloribus,in quæ adeo magna bilis redundantia,nulla prorſus in pulſu alteratio ſit animaduerſa.

A uerſa. An quia olim bilis vnà cum pituita in vaſis vltra hepar collecta, ex prohibita tranſpiratione aliquam contrahebat putredinem, & nunc extra venas potiùs eſt in plurimis articulorũ cauitatibus, vnde etiam facilè expi rat? cui rationi amplam fidem præſtat Hipp. in Coac. Prænot. illis verbis. *Conuulſio febris finem adfert, quæ aut eodem die, aut poſtridie, aut ad ſummum perendie incidet, ſed ſi ea, qua cæpit hora, exceſſerit, nec quieuerit, malum*; quemadmodum enim conuulſio febrim ſedat, quod è venis in genus neruoſum materiæ morbificę ſit facta metaſtaſis, ſic ceſſat admiratio, cur olim cum minores valdè eſſent dolores, & alia ſymptomata mitiora, febre tamẽ Aeger detineretur, quandoquidem febris materia, quæ in venis tunc cõcluſa erat, hoc tempore per metaſtaſim ad artus procubuit; præterquã quod co-

B pia eiuſdem materiæ ab irritata facultate, & ab aſſumpto medicamento, ſæpè, ac ſæpius largè educta eſt.

Tertium Quæſitum erat, cur vomitus antea eſſent ex phlegmate puro, nunc autem ex vitellina bile. An quia pituita primùm euomi ſolet, quæ in ventriculo generatur, & ad primos impetus expellitur, deinde commotis humoribus bilis quoq;. Non diſſimili enim ratione in nephriticis dolo ribus ſcribebat Hipp. ſexto Epid. pituitoſa prius, & poſtea bilioſa eijci? Ne dicam quòd affirmare aliquis poſſet, vomitus re vera non eſſe mere bilioſos, licet ſenſui viſus tales appareant quoniam pura bilis etiam modica albas ventriculi cruditates, vel copioſas ſimili colore inficit, non aliter ac ſi

C parum croci copioſiſſimæ aquæ inſpergas. An quia à iecore calidiore bilis maiori in abũdantia gignitur, quàm a cyſti fellea expurgari tota poſſit; ideo redundans quoquo verſum irrumpit, & potiſſimum effunditur in vẽtriculum iam à multo tempore vomitui aſſuetum, eumque valde ſollicitat, ac doloribus aliquando excruciat, dum ſcilicet ex bilis affluxu ſuperius os eius lancinatur, in quo ſenſus tactus maximè viget, & ad cuius læſionem vehementia ſymptomata propriè cardiacis neutiquam inferiora inſurgunt; ex qua re illæ omnino pendent in A. I. Lypothimiæ, etiam ſi non me latet ventriculi dolores in eo quoque fieri, dum à flatibus craſſioribus ſecundum corpus membranoſum diſtenditur.

D Quarto loco quærebatur, an hæc grauiora mala procedant ex medicamentis chymicis, quæ per aliquot ante menſes vſurpata fuerunt. Cum eiuſmodi medicamenta, vt plurimum vim habeant manifeſtè acrem, & impenſe feruidam, cui dubium, vbi frequens eſt illorum vſus, in natura præſertim calidiori, & ſicciori, poſſe vniuerſi corporis calorem intenſiorem reddere, vt hepar imprimis, quod iam à prima ſui conſtitutione valde calidum eſſe conſtat, adhuc magis excalefacere, & conſequenter humores in eo genitos perurere, indeque orta ſymptota, & maiora, & ſæuiora euadere? Hinc Galeno ſexto de tuenda ſanitate vndecimo, poſtquam demonſtrauit medicamenta, quæ nimis tenuia ſunt, & vnà etiam calida repugnare admodum ijs, qui tophos

& calculos generant, verba quædam adijcit, quæ rei noſtræ mirum in modum quadrant. *Eadem & ijs, qui articulorum vitijs laborant conuenire præcepta cenſebis, quippe ipſi quoq; medicamentis arthriticis, podagricisq; ebibitis, ſi carnoſi, & craſſi, & pingues ſunt, nullum ſentiunt incommodum, ſin graciles, non modò totum corpus, ſed etiam pedes ipſos interim vero & manus, ſi hę quoq; priùs malè habebant in grauiſſimum ſtatum ſiccando perducunt:* Addo neque locum habere poſſe in caſu noſtro cõſimilia medicamenta in ventriculi frigidioris gratiam, dum hepar, & alia circumſita membra immoderato calore flagrant, quia ab intenſo iecoris calore dicebatur ſupra diſſipari ſpiritus viciníoris ventriculi, & ita etiam frigidiorem fieri, illa fortaſſe de cauſa, qua dicebat Philoſophus penult. Probl. ſect. 1. *Vides ne lucernam, vbi multus ignis perflagrat, ſuam aſſeruare flammulam minimè poſſe? Multus enim ille exiguum ad ſe rapit.* Quam rem ſimiliter comprobat 24. Probl. ſect. 13. dum quærit, *cur amplius in ſole rès calidæ, quàm in vmbra refrigerentur,* nàm præter alias reſponſiones, hanc affert, quia videlicet minor calor à maiori abſumitur, nec non demum 2. Probl. ſect. 8. quærens, *cur poſt fructuum eſitationem, vt ficuũ cæterorumq; generis eiuſdem, vel vinum merum, vel aquam ſuperbibere debeamus, quæ tamen aduerſa inter ſe ſunt.* Vnde etiam Gal. de cauſis morb. 3. minorem flammam paulatim marceſcere dicit, ſi ad alteram maiorem quis admoueat, quòd exterior flamma, vt quæ præpotentior ſit, conſumat, atq; diſpergat minorem; id quod clariſſimè omnium tandem nos docuit Auerr. 7 collig. c. vltimo, vbi tradit ſtomachi imbecillitatem, ac frigiditatem interdum propter complexionem calidam, & per accidens enaſci, ſicut ſol fortis ignem, & calor fortis fornacis candelam extinguere ſolet: Ita ſiquidem verendum eſt ſummoperè, ne ex chymicorum medicamentorum vſu, præſertim frequentiori, illud idem eueniat quod in ſua praxi argutè notat Rõdeletius; nimirum à valde calidis, & ſimul tenuium partium rebus ventriculi robur diſſolui reſolutis ſpiritibus. Quare, eodem referente, Gallię mulieres, quæ faciei pallorem conciliare ſibi ſtudent, zinzibere, & alijs tenuibus, ac valdè calidis aromatibus aſſiduè vtuntur, vt ventriculo, ob innati illius caloris diſgregationem, imbecilliori reddito, magis, ac magis palleſcãt; Accedit quod quæ talia ſunt, non diu in ventriculo morantur, ſed dicto citius ad hepar, ac venoſum genus aduolant, quarum partium caliditatem omnino ingeminant.

A B C D

Quæritur quinto loco, vtrum chymicæ quædam aquæ ſupra pedes appoſitæ ad eorum demulcendos, atque tollendos dolores, internarum partium inflammationem progignere valuerint. Cuiuſmodi verò aquæ iſtæ fuerint, & ex quibus conſtarent, non refertur ideo iudiciũ vix adhiberi poteſt. Si tamen & ipſæ ex rebus calidioribus ad ignem per ſublimationẽ, quã vocant, paratę fuerũt, earũ vſum non vndequaq; tutũ crediderim, quia tanta ſolet eſſe chymicarum rerum actiuitas, vt ligna, & ſaxa peruadant, perurantq; non ſolùm corpora noſtra: ſed quonam pacto ab huiuſmodi lo-

calibus

A calibus ad ſuperna vſq; membra interiora vis eorum ignea pertingere poteſt? facilis eſt reſponſio,ſi non obliuiſcamur ſententiæ decantatiſſimæ ex lib.de alim. *Conſenſus vnus, conſpiratio vna, conſentientia omnia*, nec non & alterius 6.Epid.com.6.ab init.qua ſcribitur; *carnes ab externis partibus trahere,vt ſenſus oſtendit, quòd corpus tùm intro,tùm foras ſpirabile ſit*; In cuius loci enarratione Gal.multa adfert,quæ id ipſum vndequaq; cõfirmãt. In inguinum bubone,aut inflammatione quæ diariæ fiunt febres,nonne à ſola inguinum ſuper excalefactione,per ſucceſſiuam dictam alterationem, quæ per quandam fit partium continuitatem in cor vſq; enaſcuntur? Preterea dum ratio affertur,propter quam à concitatiori motu inſitus ipſe calor adeo intenditur,& augetur,vt ad igneum quoq; non raro cõuertatur,
B an non in articulorum colliſionem reijcitur,eo quod ex ea aer illis in cauitatibus contentus accenditur, moxq; incaleſcunt muſculi, & quæ muſculos perreptãt arteriæ,à quibus cordi feruor communicatus febrem in eius ſpiritibus accendit? Pari itaque pacto afferi poteſt à topicis calidioribus, quando vehementer calida ſunt,& plurimis articulis adhibentur ibiq; multo tempore perſiſtunt,calorem in intimiora viſcera maiorem impingi, per venas videlicet in iecur,ſed per arterias magis in cor; Verùm ſi aliquis petat à me,an quæ pedibus tantùm chymicæ aquæ ſuperpoſitæ fuerunt, viſcerum caliditatem ad phlogoſim,& inflammationẽ conuertere potuerint dico,eas,etiamſi calidiſſimæ forent tã actu; quàm potentia, nunquã poſſe
C viſcera ipſa inflammare,quia pars,cui admotæ fuerunt,nimis lõgè diſtans eſt à viſceribus,& corde imprimis,iuxta quem ſenſum tradit Gal.de art. cõſtit.c.7.*Si digitus inflammetur,febrem minimè accendi*. Agens enim, vt agat, tria illa requirit poſita non ſolùm a Philoſophis,ſed etiam à Gal. de cauſis morb.c.2.tempus,magnitudinem,& viciniam eius,quod promptè patiendi habet naturam,quoniam ſi hęc deſint,nec ignis comburere, nec gladius abſcindere valet.Quod ſi dicatur aquas illas fuiſſe refrigerantes,immò narcoticas,vt credo, quia medici interdum præ vehementia dolorum, talia adhibere coguntur;quò facit illud Hipp.de humid.vſu. *Tumores in articulis, & dolores ſine vlcere,ac podagricos,& conuulſa plurima ex his frigida multa af-*
D *fuſa leuat,ac extenuat, & dolorem torpefacit. Torpor autem moderatus dolorẽ ſoluit*;cum apocrouſticam habeant facultatem,qua manifeſtè repellunt, & repercutiunt humores,dixerim ego non omnino cum ratione pedibus huiuſmodi aquas fuiſſe adhibitas,niſi coacta, vt vocant,curationes;quia nimirum per illas fieri potuit,vt humorum,qui ad laxiores partes, ac imbecilliores demandabantur,facta ſit ad ſupernas,& multos nobiliores palindrome;Quam doctrinam colligo ex Gal.lib.2.de nat.hom.com.2.circa finem dum ita ſcribit: *Iam non raro cum in morbo articulari, & podagra artus humores peterent,& illinc repulſi in principem aliquam partem inuaſiſſent, morte conſpexi mox hominem affectum eſſe, vnamque reſtare ſpem ſalutis, ſi ad artus retrahere eos valeamus*. Quòd ſi mihi liceat diuinatione vti, cum res aga-

B 3 tur cum

tur cum Iatrochymicis, puto eiuſmodi aquas fuiſſe illas, quas vocant A
antipodagricas, de quibus mira narrant more ſuo chymicæ artis pro-
feſſores. Martinus enim Rolandus in ſuis Centurijs conſimilem aquam
ad Cœlum vſque extollit, vt potè, qua dicit omnes articulares dolores
dicto citius abigi, & quia deſcriptionem tam mirabilis aquæ non ad-
fert, ideo Quercetanus ſequentem eſſe exiſtimat. Calcem viuam per
quinque dies, vel ſex immerge in aquam fontis, vt ſal eius elicias, &
aqua ſuperemineat calci ad quatuor, aut quinque digitos. Huius aquæ
accipe lib. 4. & in eam laminam chalybis feruentis duodecies extingue; po
ſtea in eandem immerge vſtum in puluerem redactum ad ℥. iiij. cinnabrij
℥. 5. & ſtent per quatuor, aut quinque dies, in quibus aqua viridem acqui-
rit colorem ex vitriolo interno æris vſti; In hac aqua lintea madefiunt, quę B
replicata cum areſcunt loco dolenti mirabiliter ſedant dolores. Aliam rur-
ſus proponit aquã in ſua Pharmacopæa reſtituta ex doctrina eiuſdem Ro-
landi, vt in caſu noſtro vel hac prorſus fuerunt vel certe non longè
diſſimiles.

Sextum Quæſitum erat, an ex viſcerum inflammatione tot mala proce-
dant, cùm nulla in pulſu appareat alteratio. Ego certè credere minimè poſ
ſum, hepar, & reliqua viſcera A. I. inflammatione eſſe tentata, etiamſi do-
lores ſint auctiores, & in omnibus ferè artubus, licet bilioſi appareant vo-
mitus, & excretiones item bilioſæ cum inſigni ardore partium ventris, per
quas tranſeunt, niſi inflammationem ſumamus impropriè, & pro ingenti C
ſolùm accenſione, ſeu phlogoſi quadam ſine vllo prorſus tumore præter
naturam, in qua ſignificatione legitur 1. progn. 27. & 3. de fract. 2. Qui
etenim nouit colligantiam hepatis per venam cauam aſcendẽtem cum cor
de, & per vicinam ſimiliter, medio ſcilicet ipſo diaphragmate, facilè etiam
cognoſcet vera inflammatione affici hepar haudquaquam poſſe, quin in
corde febris, & illa quidem magna accendatur.

Quæſitum ſeptimum eſt; an ex mutatione ad aerem frigidiorem, anni
tempore frigidiſſimo, etiam in corpore mutationes inuſitatiores fieri po-
tuerint. Profectò quicunq; non ignorat quam citò, & potẽter ipſemet aer
corpora noſtra afficiat, non difficulter quoq; intelliget ab hac externa, & D
procatarctica cauſa cũcta eſſe exaſperata. Dicebat ſiquidem Gal. explicãs
illam Hip. ſententiam 6. Epid. Com. 3. *Mutationes cauendæ*, quòd ſubitę ac
repentinæ continentis nos aeris mutationes ad ſanitatem tutæ non ſunt, at
que ob id tales cauere oportere. Vnde articulares in primis dolores, & ve-
hementiores fieri, & in plures artus expandi potuerunt, idq; non tantùm
ob adauctam intrinſecus bilioſi ſanguinis copiam, ſed maximè etiam ob lę
ſionem, quæ à frigidiori cęlo exanguibus, & neruoſis partibus communi-
cata eſt. Artus enim facillimè à gelido aere patiuntur, quia pauca circa ip-
ſos caro naſcitur, ob rationem vel à Platone ipſo in Timæo relatam, ni-
mirum ne ex maiori carnis mole articuli ad motum inepti penitus euade-

rent;

A rent;cum pauca tantùm in eum finem fuerit neceſſaria,vt ſic cuſtodiri, &
magis vniri poſſent,ne illud nobis frequenter contingeret,quod traditum
eſt ab Hip. 1.de Artic.26. vbi ex mente Homeri affirmat Boues tempore
hyemis facilè ſecundum genua luxari. quia videlicet eo tempore cum de-
ſtituantur pedes nutrimento, promptè extenuantur, & articuli illi car-
ne priuati leui de cauſa luxantur. Accedit demum eiuſdem Hippocratis te-
ſtimonium ex Aphoriſmo illo: *Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, neruis*.
Hæc ergo ſunt omnia illa,quæ in primo meo Reſponſo attuli, antequam
ad prognoſim,ſcopos,curationem,& præſeruationem me contulerim;quę
ſingula diffusè enarrata alibi legentur. Reliquorum vero Quæſitorum ſo-
lutio petenda ex altero,quod ſubnectitur,Reſpõſo,quod factum à me fuit
B poſt alias literas denuo miſſas, ex quibus redditus fui certior de alijs qui-
buſdam rebus, quæ in priori Epiſtola notatæ minimè fuerant, præſertim
verò caput non adeò benè ſe habẽte,cum & grauedine,& manifeſta diſtil-
latione non rarò laboret. Inſuper calculos aliquando A. I. excernere;& mi
nutas arenulas cum lotio trudere ſolitum eſſe,necnon vina antiqua;& ge-
neroſa,Hiſpana dico, & Cretica potare conſueuiſſe, venationibusq; etiam
in anni tempore calidiſſimo ſæpè operam dediſſe, deniq; extractum illud
iatrochymicũ frequenter ab eo vſurpatum adeò exurens, & igneum eſſe,
vt cum aliquot eius guttulæ forte fortuna ſuper linteamina ceciderint, ſta
tim eadem corroſerint,ac perforauerint. Alterum reſponſum.

C Quoniam quæ mea ſit ſententia tàm in curatione dolorum,dum pręſen
tes ſunt,quàm in præſeruatione,dum longè abſunt,ne iterum vel omninò
minimè reuertantur,vel mitiores ſaltem,& per longiora interualla, abun-
dè aperui in altero Reſponſo,quod iam perueniſſe audio;ideo ne acta age
re,& circa idem ſaxum perpetuò verſari dicar,pauca quædam tantummo-
dò reſcribam,quæ ob literas poſtremò miſſas deſiderari poſſe videtur. Re-
diguntur autem illa,de quibus nunc petitur conſilium,ad duo potiſſimùm.
Quæſita,nempè an pro totali ab huiuſmodi doloribus per vices recur-
rentibus liberatione aggredienda ſit curatio per chymica remedia varia,
quæ proponuntur à iatrochymico;& an pro potu, quo in poſterũ vſurus
D eſt A. I. deſerendum vinum ſit,& aqua tantùm ex hordeo,cinnamomo, &
ſucco limonum parata vſurpanda. Vis autem de eiuſmodi rebus dubitandi
in eo poſita eſſe videtur, quòd A. I. iã ſenex eſt, nec ex illis ſenibus, quia
aliquando cum valde robuſti ſint,non ſolùm quę conſueta à multo ſunt tẽ
pore de repente mutari abſq; magno detrimento ſufferre poſſunt,ſed etiã
generoſa remedia tolerant,& fructum ex illis capiunt; necnon in eo quòd
cùm aliquando potu aquæ vti voluit, non valde poſt in maximos ventris
cruciatus ex flatibus incidit.

Iam,itaq; ſatis ſuperq; conſtat,cùm dolores multorum articulorũ,tum
generationem calculorum,& arenularum omnino pendere à varia,ethero
geneaq; materia partim ad artus,partim ad renes demãdata à membris for

tioribus

tioribus,in quibus primò accumulatur,non tantum propter externas cau- A
ſas,& obiecti,quod aiunt, vitio,vti culpa craſſorum, & viſcidorum edulio
rum,inter quæ primum ſortitur locum caſeus,cuius audio frequẽtiſſimum
vſum eſſe in cibarijs, & vinorum antiquorum,ac potentium;à quibus ſo-
lis duabus cauſis,vel omnibus alijs neutiquàm accedentibus,dictorum ma
lorum origo,& minera in plurimis emanat,quantum etiam vitio, & culpa
intemperierum inter ſeſe non adeo conuenientium,capitis,ventriculi, &
hepatis, quæ pariter in viro ſexagenario ſcheticæ amplius minimè ſunt,
ſed hecticę penitus,quas in contrarium omnino poſſe immutari,& ad ſym
metram naturam redigi nunquam crediderim. Ex quo fit, vt excremento-
rum prouentus euitari vndequaq; nequeat, etiam adamuſsim ſeruatis le-
gibus dieteticis,quæ excrementa in ea copia,& quantitate congeſta, qua B
Naturæ infenſa redduntur,neceſſe omninò eſt,vt nobilioribus illis in par-
tibus moram ducentia,vel atrocius naturam ipſam adoriantur, eiq; vim vl
timam inferant,vel ab eadem fortiori ad ſolita & quę imbecilliora ſunt lo
ca propellantur,vbi tamen etiam effatu digna ſymptomata procreant,aut
deniq; conuenienti aliquo medicamine ex ijs,quæ blanda, & benedicta à
nobis, hypelata verò à græcis nuncupantur, quæq; non minus vacuando,
quàm roborando operantur,per interualla deijciantur oportet; ex quibus
nemo non videt ſi A.I.diutius vult vitam protrahere,nec tot,tantiſq; ma-
lis adeò frequenter obnoxiam,neceſſarium eidem eſſe,aliqua vti frequen-
ti quidem,ſed miti,& benigna purgatione,qualis eſt,quæ per epicraſin fa- C
cta celebratur apud Galenum 9. meth. ad finem decimi cap. Hic ſiquidẽ
paulatim quod vitioſum eſt vacuatur, & paulatim inuicem, quod ſalubre
eſt, pro eo reponitur. Vnde viſcera principalia ab impendente læſione ma
iori præcauebuntur,& loca deniq; malè affecta,in quibus tot ſymptomata
ex prauorum humorum decubitu fiunt,ſalubriùs degent, alioquin pertur-
babitur vniuerſa iſtius corporis œconomia;cui malo obuiam poſtmodum
iri nulla induſtria,nullaq; arte poterit,quia niſi ſeruetur tonus capitis,ven
triculi,& hepatis,iam præ foribus video grauiora mala,& ea quidem acuta
valdè,ſi præſertim in capite exoriantur,aut etiam chronica,ſi alijs in parti-
bus,veluti cachexiam, & hydropem,ad quæ mentis aciem dirigere debet D
curans Medicus,maximè in ſenibus,in quibus vires, & virtutes, vt inquit
Auic. retrocedunt omni die, ac etiam minuuntur. Nunc itaq; videamus
vtrum expediat,aut præſtet vti chymico medicamento conſueto, an alijs
potius valdè tutioribus. In altero meo Reſponſo clarè dixi medicamenta,
quæ multum calida ſunt,ac tenuia,cuiuſmodi cenſentur eſſe chymica ferè
omnia,non poſſe niſi incommodare,& obeſſe, imò extremam deniq; per-
niciem afferre calidioribus,& ſiccioribus temperaturis,qualis A.I.eſſe ſcri
bitur; imò addebatur,nec ratione ventriculi frigidioris tutum eſſe frequẽ-
tem illorum vſum,frangant, corrigant quantumlibet iatrochymici ignea
ſua medicamenta refrigerantibus, & humectantibus; afferendo nihilo-
minus

A minus extractum illud exhibitum,ratione euacuationis,quæ poſt ipſum, ſubſecuta eſt,bilioſorum humorum,in Principe præſertim, qui alia licet tutiora,minus tamen iucunda reſpuebat,non vndiq; & omnino damnandum;cùm ſcitum ſit illud Celſi: *Satius eſt anceps experiri remedium, quàm nullum*;Nunc verò cum id ipſum medicamentum ſæpè,ac ſæpiùs propinatum fuiſſe audiam,& vnà etiam cum vino generoſo,quodq; de eiuſdē exhibitione frequenter in poſterum reiteranda agitur, non poſſum non liberè fateri,& alta,& clara voce edicere, à chymico extracto per menſtruum illud,non minorem perniciem Tantæ M.impendere, quàm plantis & herbis è muliebri menſtruo accedere tradūt; Humidum enim illud primigenium omni viuentium generi datum, & ſimilaribus quibusque

B particulis roris inſtar inhæreſcens,calidi innati fundamentum, primamque ſubſtantiam,quæ pinguis & veluti oleoſa exiſtit,etiam in iis, qui valdè obeſo ſunt,ac præhumido habitu,talia medicamenta,ſi ſæpius vſurpētur,quam citò abſumunt,ac diſſipant;quantò ergo magis id faciēt in gracilioribus,& iam ſenibus? Conſumpta autem materia,quæ ſpiritum,atq; calorem continet,ac ſeruat,quin fieri poterit,vt ſpiritus ſubſtantia,& calor ipſe diutius perſiſtat? Ad vitæ verò longitudinem quantum faciat habere calidum pingue,docuit Philoſophus lib.ad id dicato cap. 2. vt omittam quæ diffuſiſſimè hac de re ſcripſit Galenus,& 5.& 6.lib.de ſanit. tuen.vbi etiam tradit,quod medicamenta omnia impensè calida,ſicca,ac

C tenuia illis maximè ſunt vitanda, qui arthriticis doloribus, & calculis gignendis obnoxij eſſe conſueuerunt propter rationes, quæ non ignorantur à verè medicis; Eo verò magis præſens chymicum medicamentum deteſtandum eſſe cenſeo,quod in literis nuper exaratis illud idem notatū obſeruaui, quod ego non multo ante ex Manardo retuli in meo 1.tomo de morb.frequentiorib.in curatione Epilepſiæ, aliquot guttulas extracti è ſena,& polypodio (diſpeream niſi colycinthis etiam,aut ſcammonium adſit) corroſiſſe,ac perforaſſe linteamina,in quę forte fortuna ceciderūt: Hinc propterea ferinus ille pruritus,& efflorеſcentiæ in cute præcalidæ. Quod autem præter ſenam,ac polypodium,extractum illud alia quoque

D in ſe contineat,quæ chologoga ſunt,vt hæc quidem non ità blanda,dum res tàm paruæ molis,tā valenter operatur,elicio non obſcurè ex eo,quod per huiuſmodi medicamentum magna ſemper bilioſorum humorum copia educitur;quod etiam cùm frequenter admodum fiat,nō adeò ſalubre eſſe iudico, ſi per Galen. in locis præadductis parum tuta res eſſe videtur,bilem educentia medicamina,ita promptè & frequenter ſenibus propinare;Quam rem ſimiliter confirmat Auic.cant.part.2.tract.1.cap.de ſenum regimine; *Et ſi ſenex*, inquit, *euacuatur,nequaquàm cholera educatur, ſed potius dimittatur,cum ſit in eorum corporibus medicina.* Veruntamen,quia res agitur cum Egro, cui quantum fieri poteſt gratificandum eſt,Galenū ipſum imitando in curatione Antonini Imperatoris, cum præter hoc medicamen-

dicamẽtum,quidpiam aliud aſſumere renuat,hoc ſit,quo per vices vtatur A
ad deturbandam excrementorum ſarcinam,ſed rarius eo vtatur,quàm fieri poſſit,& nullo pacto in generoſo vino diſſoluto, ſed vel iuſculo carnoſi capi ſimplicibus cicoraceis alterato, vel aqua oxalidis,aut conſimilis herbæ ſtillatitiæ;ſed ò quam melius cum eo ageretur,ſi bis,terve in menſe bolis vteretur ex caſſia ac terebintho Cyprio loto priùs diligenter aquis maluæ & hordei cum rhabarbari electi ſubtiliſſimè pulueriżati portiuncula; laxiora interanea tàm roborandi gratia,quàm primarum viarum, & renũ quoque expurgationis cauſa;quo ſanè medicamento nullum aptius, nullũ que vtilius in re noſtra excogitari poteſt;abſtergit enim, expiat, & ſimul magnopere roborat viſcera quæq; & calorem ipſum innatum fouet, eiuſque fundamentum ſuſtinet;quod humidum primigenium eſſe paulo ante B
dicebatur. Aliquando electuario diaſebeſten ſimplici vti poſſet fœlici euẽtu,nec non ſyrupo roſ.ſol.qui Romæ ac Venetijs à nonnullis ità paratur; vt ſtillatitius liquor appareat,clarus, pellucidusq;, & frigidus etiam, ideſt non calidus aſſumitur,nullam penitus guſtui inferens moleſtiã; illa prorſus relinquendo medicamenta,quæ humores adurunt, vniuerſumque corpus,vt mirum certè ſit,quomodò hucuſq; vomitus tantummodo vitellinæ bilis apparuerint,& non atræ quoq; ſeu melancholiæ aduſtæ; & quomodò ſimiliter non ſuborta ſit febris, ac etiam è ſiccitate ſingultus: Qui præſentes ſunt Medici fungantur obſecro Imperatoris officio, iuxtà Galeni præceptum 1.meth.& curationem tàm magni Principis ad rectàm, ac veram methodum deducant. Ità enim ex voto citiùs res hæc tota ſuccedet, C
præſertim ſi recto tramite iter fiat, antequam Sirij accedant æſtus. Plura quidem proponenda mihi occurrunt,ſed in eorum enumeratione diutius non immorabor, cum & huic parti abundè ſatisfactum putem in priori Reſponſo.

Quantum ad aliud Quæſitum de potu aquæ imperãdo,& vini vſu prohibendo,in hoc ex parte laudo iatrochymici conſilium,& ex parte vitupero. Probo,vt viſcerum caliditas chymicorum medicamentorum frequentiori vſu tantopere adaucta,prout melius poteſt, infringatur; & ne mala, quæ inde grauiora impendent,vlterius ſerpant. Qua in re iatrophyſicum D
ſapit,non merè chymicum,iuxtà decantatum axioma: *Contrariorum contraria ſunt remedia.* Damno multis de cauſis,ſed hæc eſt potiſſima, quæ & ab Hipp.& Gal.commentarijs depromitur;quoniã talis mutatio in potu propoſita,vel ſtatim,ac repentè facienda eſt,vel ſenſim,ac paulatim,prout docet Hipp. 5. Epid. *Contraria ſenſim adhibere oportet*;& 2. Aph. 51. *Quod paulatim ſit, tutum, præſertim vbi quis ab altero ad alterum progreditur*, vtro modo ſit,improbanda mihi eſſe videtur huiuſmodi mutatio. Primo,quia, vt aſfirmat Hipp. loco proximè adducto; *Plurimum, & repentè vacuare, aut explere, aut calefacere, aut refrigerare, aut aliter quomodocunq; corpus mouere, periculoſum*; & in præcedenti Aphoriſmo; *Quæ longo tempore aſſueta, etiamſi de-*

teriora

A *teriora ſunt, minùs his, quæ ſunt inſueta moleſtare conſueuerunt.* Secundo, quia
A. I. in ea ætate eſt conſtitutus, in qua conſuetudinis mutatio tutò fieri non
poteſt, & in qua minimè locum habet quod ibidem ſubiungebat Hip. *Con*
uenit igitur ad inſueta permutari; quoniam ſi vlla fieri in conſuetudine mu-
tatio debet, hoc non in quauis ætate, ſed ſolùm in iuuentute faciendum eſt:
cuius rei teſtem locupletiſſimum habemus Galenum 5. de ſanit. tuen. illis
in verbis. *Iuuenibus ea mutare, quæ nocent tentandum eſt, etiamſi à pueris his,*
maximè inſueuerint. Poſſunt enim eorum vires moderatè factam mutationem
ſuſtinere, ſperantq; in reliquo vitæ tempore fructum aliquem eos ex meliore conſue
tudine percepturos. At ſenex, ſi poſſet longo tempore ſenſim malam conſuetudinē
mutare: propterea quod, quo tempore meliore frueretur habiturus nō eſſet, fruſtrà
B *laborem inſumeret, non aliter quàm ſi quis artem diſcere octogenarius inciperet.*
Alia cauſa eſt, quia hoc in mali genere cruditas maximè vitanda, & conco-
ctio ſedula omni opera procuranda; ſed cruditatem parit aquæ potus, vi-
num verò tollit; ergo à vino minimè diſcedendum. Maior per Celſum pa-
tet, qui lib. 1. cap. 9. *Concoctio*, inquit, *ſicut in omnibus corporis affectibus neceſ-*
ſaria, cruditas enim id maximè lædit, & quoties offenſum corpus eſt, vitiata pars
maximè ſentit. Minor per ſe nota, & per eundem Celſum in antecedenti
cap. vbi vinum aduerſus inconcoctionem prodeſſe affirmat, & per Gale-
num millies, præſertim 7. meth. cap. 7. quò in loco dicit, ad naturale ventri-
culi temperamentum tuendum, eiusq; caloris ſubſtantiam inaugendam,
C nihil vino accommodatius ex ijs, quæ in victu ſunt, reperiri, & 6. Epid. com.
4. tradit vinum ſemper meliùs habitum aqua in omnibus ad concoctionē,
ſanguificationem, diſtributionem, nutritionem, & mictionem. Præterea
Platonis eſt ſententia 2. de leg. ideo vinum à Deo hominibus datum, vt ſe-
nes potiſſimùm exhilarentur, eosq; mœſtarum rerum obliuio capiat. Vinū
itaq; bibendum ei eſt; nec enim tutò fieret hac in ętate tranſitus de vino ad
aquam. Sed contra hanc meam aſſertionem illud ſtare videtur, quod ſcri-
bitur à Valleſio de ſacra Philoſophia cap. 29. dum explicat locum illum ex
lib. 3. Regum cap. 1. *Rex David ſenuerat, habebatq; ætatis plurimos dies, &*
cum operiretur veſtibus, non calefiebat: Vbi cum ſerui illi Regis Dauid item
D anxij eſſent de conſeruando in diuino vate calorem, ad vinum minimè con
fugere, cum tamen conſtet per Alex. 2. problem. 131. in quo quęrit, cur ho
mines natu maiores vinoſi eſſe cōſueuerunt: nos per ætatem refrigeratos,
calorem deſiderare, & ideò etiam vinum, quia calorificum eſt; & cum vul-
gò quoq; efferatur, vinum eſſe lac ſenum. Hoc etenim dictum improbans
Valleſius ipſe ſubdit: *Cenſeo potius, ſenibus ſenſim eſſe vinum dandum dilutius*
vſq; dum in extremo ſenio conſtituti toto vino detracto, detur pro eo mulſa, aut
decocta aqua: Rationem affert, quia ſatiùs eſt permittere calori naturali ſen
ſim venire ad naturalem interitum, quàm vino obruere, & ſenectam facere
miſerabiliorem, & breuiorem. Quem locū eò libentiùs attuli, quò euiden-
tiùs cernatur quæ mea ſit hac in re opinio, nimirùm, vt nullo vnquā pacto

aqua

aqua tantùm,quæcunq; illa ſit mihi arridere pôteſt,propter iam allatas ra- A
tiones,ità neutiquàm permittenda ſunt vina illa tantopere calida,& ſicca,
vtpotè antiqua,& ex Hiſpania,& Creta aduecta;quia idem ferè efficient,
quod chymica medicamenta ; & de huiuſmodi vinis intelligi potiſſimum
voluit Valleſius,natione Hiſpanus , qui hæc à principio ponit : *Iam verò
nihil arbitror ſtultius,quàm ſenibus caloris augendi gratia vinum abundanter
meracum præcipuè indulgere. Quanto enim vinum calidius eſt per ſeſe,tantò ma
iori ventris,at viſcerum calore opus eſt,vt ſuperetur,alioqui à minori accescit,
crudumq; ſuccum adauget;vnde,& calorem naturalem ſuffocat, & morbos in-
numeros parit,ac mortem properat.* Niſi enim ſic accipiatur Valleſij dictum,
& de vinis patrijs quæ ſunt valdè fortia,diuerſa omnino ratione , ac vide-
mus in Romano ſolo produci,vereor,ne ità cunctis arrideat,quia vinum , B
vt aſſerit Gal. 3.de temp.4.& 2.Aph.28.minimam,vt in ſanguinem mute
tur,deſiderat alterationem;vnde,puto,euenit,vt in ſenecta ab omnibus tã
topere optetur,& paſſim lac ſeniorum,& ſanguis ſenectutis dicatur . Ideò
namq; fuit,& ſanguinis ſignum oblatum in ſacris vinum,atq; & interdum
cognomento nuncupatum;quamobrem ſcribitur Geneſ.cap. 49. *Lauabit
in vino ſtolam ſuam,& in ſanguinem vuę pallium ſuum*,& 2. Deuteronomij,
cantico : *Et ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum* , nec non,deniq; in Pſal-
mis: *Sanguinem vuæ biberunt*. Adderem quoq; libenter idcirco mentioné
de vino in allato lib. 1. Regum minimè fieri,tanquàm de re iam experta,&
conſueta,ſed quæ ſufficiens non fuiſſet ad præſtandum , & aſſequendum C
quod erat in uotis. Verùm ne à re mea longiùs diſcedam,cenſeo vinum ab
A. I. omnino eſſe bibendum,ſed non ità vetuſtum,generoſum , atq; mera-
cum,imò mediæ cuiuſdam naturę eligendum;Impendente tamen,aut iam
præſente articulorum afflictione,cautiùs, & maiori cum præmeditatione
procedendum,nam tunc vinum ego offerrem de genere illorum quæ Grę
ci oligophora vocant,coloreq; rubellum, quod in eo generoſis adeo vinis
aſſueto vicem aquæ geret . Quod ſi quis obijciat in Regione, & plaga ſe-
ptentrionali vina non cõſeruari, niſi valdè generoſa,eligantur minus for-
tia,& quæ multa aqua cocta diluta ſint;|qua in re ſeruetur prorſus præce-
ptum Heſiodi qui menſuram ponens,qua ſit ad ſalubritatem bibendum , D
ita canit .

τρὶς δ' ὕδατος προχέειν τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου.

Tres miſcebis aquæ partes , ſit quarta lyæi.

De vini vſu in Arthritide controuerſia eſt vel iamdiù inter antiquos agi-
tata. Aetius enim in pituitoſa arthritide vinum dari iubebat,flauum, anti-
quum,ſubtile,per interualla. Auicenna prohibet in quacunque ſpecie ar-
ticularis morbi. Paulus verò in fine bilioſæ defluxionis ſolummodo vinũ
concedebat. Sibi inuicem conciliari poſſunt,ſi dicatur, Græcos permitte-
re Vinum tempore intermedio,& in acceſſionum interuallo,quo vires de-
fatigatæ refocillentur, & naturalis calor conſeruetur,nec non in declina-

tione

A tione arthriticorum dolorum à materia frigida, & in fine eorum qui à calida fluxione oriuntur, ſed prohibent vnanimiter in calidis, præſertim inualeſcentibus, quod calefaciat, attenuet, & fluxiones concitet. Auicenna verò intelligendus, vt vinum deneget in principio, & in incremento omnis articularis morbi. Pro aqua tandem, vt aliquid dicatur, concludo cum Celſo lib. 1. cap. 2. *vbi expletus eſt aliquis faciliùs concoquit, ſi quicquid aſſumpſit, potione aquæ frigidæ includit, tùm pauliſper inuigilat, deinde benè dormit*. Id quod & in A. I. faciendum propono; quem Deus Opt. Max. incolumen reddere, & Chriſtiano Orbi diutiſſimè conſeruare dignetur. Dat. Romæ die 20. Aprilis 1618.

B

QVÆSITA PRIMARIA DVO IN AVGVSTISSIMA Imperatrice M. Vxore de cuius mortis cauſa ambigitur.

I.

An ex obſeruatis in eius cadauere deprehendi poſſit, illam & abdominis, & vteri quoque hydrope aquoſo laboraſſe, & interijſſe.

II.

An quædam in eodem reperta cadauere rara ſint, & admiranda: Ubi variæ. & perquam pulchræ referuntur Obſeruationes propriæ, & ex alijs depromptæ.

C

Secundaria Septem.

I.

Cur affectuum cognitio aliquando certa, & aliquando coniecturalis à Gal dicatur.

II.

Cur tam immodicæ vacuationes menſium, & hæmorrhoidum, quàm ſuppreſſiones, & cibi immoderati hydropem efficiant.

III.

An iecore in colore, & ſubſtantia ſano apparente Sereniſs. Auguſta hydrope laborare ac interire potuerit.

D

IV.

Cur, & quomodo ſanguis, & partes vi frigoris liueſcant.

V.

Cur iecoris paruitas pro hydropis cauſa ab Auic. ponatur.

VI.

An S. A. vtero gerere cum ratione videri quibuſdam potuerit, cum hydoprica eſſet.

VII.

An aqua in vterino hydrope intra vteri cauitatem, vel quibuſdam in veſiculis contineatur.

 A

AD EVNDEM.

QVoniam de non apparẽtibus,& difficillimis ægritudinibus planè opinio magis,quàm ars ipſa iudicat,auctore Hip.lib.de flatibus,ea propter nulli mirum videri debet,ſi in internis, & occultis morbis dignoſcendis, ac diiudicandis tantopere inſudãt Medici etiam in arte peritiſſimi,& quàm frequenter parùm ſibi conueniunt. Quod in ſplendidiſſima,& pluſquam Regia Muliere contigiſſe video,dum morbus,quo laborauit,& obijt, etiam num controuertitur. Hic tu, Ludouice honeſtiſſime,meam requiris ſentẽtiam ex notatis, ac obſeruatis in corpore poſt obitum,& ego,qui tibi ſemper inſeruire cum debeo, tum vo-
lo,hæc pauca per Epiſtolam,vt mea eſt conſuetudo,mittere decreui, quæ vti- B
nam tuo non vulgari ingenio aliqua ſaltem ex parte ſatisfaciant. Quæcumq; igitur in cadauere à Medicis præſentib.accuratè animaduerſa fuerunt, naturam morbi,quo S.A.adhuc viuens laborabat,& quo deniq; vita defuncta eſt, non minus clarè nobis aperiunt,quam facere ſoleat celebratiſſima illa ſymptomatum collectio, ſeu ſindrome,per quam cuiuslibet affectus cognitio facillimè adinuenitur,& ad quam ſimiliter pertinent quæcumq; mihi retuliſti de ventris extuberantia,de ſupernarum partium gracilitate, menſium cohibitione,geſtationis in vtero ſuſpitione,ac tandem de erroribus in pleniori victus ratione commiſſis; quæ omnia ad id,quod fuit,aſſequendum, non mini-
mum conducũt;Hoc ſiquidem eſt,quod Galenus ſcripſit 12.Meth.7.cogni- C
tionem pleuritidis,ac dyſenteriæ haudquaquam coniecturalem, ſed certam, ſcientificamq; eſſe. Nec obſtat quod Gal.ipſe ait 2.& 8. catat. 1. 5.de ſanit. tuen.& alibi eam medicinæ partem quæ in affectuum cognitione verſatur, eſſe maximè dubiam, & coniecturalem,alteram vero,quæ ad curationem,ſpectat,claram,certamq; eſſe,quoniam cum eodem Gal.lib. de plenit. ad finem, reſponderi poteſt,ſigna indicantia morbos haud vnius generis eſſe, ſed triplicia, quædam videlicet primi generis, & ſcientifica, quædam ſecundi, illis inferiora,quædam tertij,adhuc minus certa. Nam ſcientifica vult Gal. eſſe, quæ à ſymptomatib.deſumuntur,quæ tria pariter ſunt,actiones læſæ, excre-
ta & retenta immoderata, qualitates corporis immutatæ. Quæ verò ſigna ab D
his non hauriuntur,ſed à victus prægreſſi ratione,habitu corporis,temperamento,regione,anni tempore,& conſimilibus, cum ſint nimis longe petita, vt ibidem Gal.docet,tamquam valdè coniecturalia exiſtimanda ſunt. Vnde, vt inueniendorum morborum vnica, & ea facilis via eſt, nempè ſimptomatum primi generis contemplatio,ſic eorum, quæ poſt mortẽ in corpore ſunt reperta,diligens,& accurata obſeruatio adeò manifeſtè morbum declarat, vt nihil ſupra. Quod quàm verum ſit, ex præſenti caſu facilè vnusquiſq; intelliget.Sed age ponamus, quæ literis notata ad nos huc miſſa fuerunt. *Pulmones erant flaccidi, & ſemiputridi, ac ſanguine atro referti. In cordis ventriculo dextro repertum fuit corpus glandulosum, ſeparatum omninò à circunſtante ſubſtantia*

cordis,

A *cordis, oblongum ad oui columbini longioris craſſitiem, foris obductum pinguedine, in*
tus verò continebatur ſua membrana, glanduloſa ſubſtantia alba ſatis, & mollis, re
liquam capacitatem ventriculorum occupabat ſanguis ater concretus ad vncias qua
tuor. Septum tranſuerſum ſubliuidum erat, & quaſi totum corroſum. Fellis veſci-
cula ſatis magna erat, cum multa bile, & duobus lapillis duræ, ac tartareæ ſubſtan-
tiæ, qui caſu confracti ſplendebant vnus ſuperabat magnitudinem ciceris, alter ve-
rò æquabat. Hepar erat ſatis magnũ, coloris ſubrubri, aut potius liueſcentis: Lien erat
ſatis magnus, ſed ſubſtantia naturalis erat, per eius verò longitudinem ſuperſterne-
batur veſicula plena humore flauo, craſſo. Inteſtina naturaliter ſe habebant ſed me-
ſenterium ferè totum computreſcens videbatur, & quaſi ſacculus cum longo collo
vtero incumbens oppletus magna copia phlegmatis craſſiſſimi, liuidi, non ualdè fœtẽ-
B *tis, quod etiam totam regionem hepatis, & latus dextrum offarciebat. Cauitas autẽ*
abdominis erat etiam oppleta humore ichoroſo flauo, qui vnà cum ſupradicto phleg-
mate aſcendit ad lib. 24. Vterus verò erat valdè magnus, plenus humore craſſiſſi-
mo albo. Circa eius latera, & corpus ſubaſtantiæ ipſius adhærebant quinq; corpora ſa
tis magna, ex ſubſtantia quadam mucoſa, neruaceam materiam referente, valdè con
creta, & ſatis ſolida, ita vt complicationes neruorum viderentur habere. In vteri
verò capacitate inter dictam materiam, & humorem craſſiſſimum innatabat, vt ita
dicam, quædam ſubſtantia alba nerueam, materiam referens, & ſimilis ſupradictis
quinq; corporibus, Superabat autem valde magnitudinem oui anſerini licet magni,
Infra vmbilicum pinguedo aderat ſatis conueniens, ſed in reliquo abdomine nulla
C *fere, & macies ſatis inſignis apparebat in brachijs, & reliquis partibus ſuperioribus,*
licet fœmora, & ſubiectæ partes eſſent carnoſæ.

Ex præmiſſa hiſtoria, aut obſeruatione eorum, quæ intra corpus reperta
ſunt, velut etiam ex ijs, quæ mihi retuliſti, puto ego nõ difficulter colligi poſ-
ſe ſpeciem morbi, de quo ambigitur, ita vt dicendum ſit S. A. hydrope aſcite,
& diù laboraſſe, & deniq; obijſſe. Immo præter communem, & viris, & femi-
nis hydropem abdominis, regionem, & caua ventris loca occupantem, non
abs re etiam erit, de vterino ſuſpicari. Tumor ſiquidem adeo inſignis totius
ventris, & vteri effatu digna magnitudo in Muliere, quæ nunquam concepit
aut peperit, cùm tamen aliæ corporis partes ſuperiores emaciatæ admodum
D forent, iuxta forſitan illud Hetruſci poetæ.

E viddi vn fatto a guiſa di leuto.

& ichoroſa, ac pituitoſa excrementa illis in partibus ita abundè adinuenta, rẽ,
pro vt ſe habuerit, manifeſtè ſignificant; Quibus quidem morbis occaſionem
dediſſe arbitrandum eſt, menſium ſuppreſſionem, quam paſſa diù fuit, & mul
torum, variorumq; ciborum vſum immoderatum; à quibus crudorum ſucco-
rum prouentus, & cumulus, cùm in vtero, tũ in epigaſtrio toto, & præſertim
in epiploo, ſeù duplicato illo peritonęo coaceruari facilè potuit, quemadmo-
dum, & in venoſo genere, coaffecto iecinore. Vnde tractu temporis ſpiritum
vna, & calorem vitalem labefactauit, ac extinxit. Ita namq; dicebat Gal. 4. de
præſag. ex pulſ. 9. ſolitas expurgationes cohibitas aquam intercutem parere,

& ratio ab eodem elicitur 5.de loc.aff.7.& 6.aph.12.quæ & ad hæmorrhoi- A
dum vacuationem retentam,& ad alimentorum immoderantiã ſpectare etiã
poteſt,quia nimirum ſuperuacaneus ille ſanguis, ac ſæpè numero craſſus ad
iecur delatus,aut in durum tumorem illud attollit, aut copia, & craſſitudine
natiuum eius calorem perindè extinguit, ac multa ligna extinguunt ignem,
ſi confeſtim inijciantur. Actuarius vlt.lib.4.meth.cap.7. ſcribit quòd immo-
derata vacuatione iecur refrigeratur,& ſanguis aqueam naturam contrahit;
atq; idcirco,vt diſſimilaris non agglutinatur,ſed temerè innatans aqueas aſtu
ſiones conſtituit; ob aſtrictionem autem coaceruatur, & calor extinguitur,
propterea quod ſpiritus vitalis loci anguſtia coarctatus,non eſpirçt, atque
ideo iecur ſuffocatur,& aqueum in poſterum ſanguinẽ gignit. Sic & Aetius
inter ea,quæ vteri hydropem excitare poſſunt,diuturnam menſium ſuppreſ- B
ſionem, impeditamq; prægnationem principem locum habere teſtatur, &
ante eum Hip.lib.1.de morb.mul. *Hic morbus*, inquit, *ex abortu fit, ſed etiam ex
alijs cauſis, cum menſes fuerint occultati*. Ex his tamen quædam emergũt dubia,
ſeu nonnulla oriuntur Quęſita perpulchra,è quorum ennodatione ſententię
noſtræ veritas magis elucefcet.

Quorum primum eſt: An S. A. cum in ea iecur ſubrubri coloris viſum ſit,
& in ſubſtantia ſanum apparuerit, hydrope laborare, ac tali morbo interire
potuerit. Quæſitum momenti non exigui in Gal. doctrina, quia dum ſtatui-
tur ex colore,& ſubſtantia iecur vndequaq; ſanum fuiſſe adinuentum, & ex
altera nihilhominus parte, propter abundantiam ichoroſæ materiæ,quæ pe- C
ritonæum,& inteſtina ſtabulabatur, hydropicam illam fuiſſe, abſque dubio
confirmatur opinio aſſerentium citra hepatis læſionem, ac morbum dari in-
terdum hydropis generationem,nec illius tantum ſpeciei,quæ à flatibus ſpa
cium ventris inferioris diſtendentibus tympanitis nomen ſortitur, quam de
nonnullorum mente Gal.3.de ſympt.cauſis 1.ex vehementi imbecillitate cõ
coctricis facultatis ventriculi ſine vllo prorſus iecoris morbo fieri velle vide
tur,verùm & alterius quoq; ſpeciei,quæ aſcites appellatur,quam & Gal. clà-
riſſime,& cum Gal ſimiliter ij, qui diuerſam à cęteris omnibus de hydropis
geneſi tuentur opinionem, propter fruſtratæ ſanguificationis vitium, ac ieci
nore omnino malè affecto,& impensè frigefacto enaſci aſſeuerãt. Hic etenim D
pituitoſa materia craſſa,& ſeroſa vſq; ad 24. libras reperta fuit, quam quidẽ,
iecore bene ſe vndiq; habente, poſſe intra ventrem cumulari, aut diu conti-
neri, nemo ſanè, qui vel de limine ſolùm Gal placita ſalutant, vnquam affir-
mare audebit. Quare etiam credo verba illa ſupra poſita in iecore, dico, colo
ris ſubrubri, aut potiùs liueſcentis, iam receptum apud omnes de hydropis,
præſertim aſcitis origine ex refrigerato iecore doctrinam magis, magisq; cõ
firmare. Liuidus enim color frigoris ſoboles eſt, auctore Gal. 1. de criſibus
12. iuxta quam rationem idem Gal. 3. de ſympt. cauſis 2. ſcripſit ſanguinem
nigreſcere à frigiditate. Quod ad partes quoq; redigi poſſe nemo dubitabit.
Sed quomodo à frigiditate colores liuidus,& niger? An quia partes diapha-

næ, &

A næ,& luminoſæ,quæ in aereis,igneisve ſpiritibus inſunt,vi frigoris exprimũtur,vt inde emergat opacitas? Vnde ſumma cum ratione dicitur iecur S. A. cum ad liuidum vergeret colorem,frigidi non calidi fuiſſe temperamenti, cũ præſertim etiam in hiſtoria Anatomica dicatur,à copioſo phlegmate frigido offarctum fuiſſe,dum ſcilicet ſacculus ille oppletus magna copia phlegmatis craſſiſſimi dextrum latus occuparet. In ſolo quidem vteri hydrope, qui nimirum ex propria ipſius vteri frigida intemperie ſit genitus, quiq; adhuc vim ſuam in iecur transfundere minimè incęperit: neque ego negauerim & iecur ipſum,& reliqua viſcera omnia,& interanea vndequaque ab omni labe intacta,& ſyncera prorſus à medicis poſſe adinueniri,quoniam & hoc proditum atq; obſeruatum video ab Andrea Veſalio lib.5.cap.9. vbi de Muliere quadam
B Auguſtana textrice,refert,ſe in illius vtero ſeroſam aquam reperiſſe, ſupra 60. menſuras Auguſtanas quæ ſingulæ pendunt tres libras, nulla interim circa inteſtina præſente aqua, aut laxo in pedibus, manibusq; tumore, aut etiam viſcerum,vel alterius cuiuſdam organi ſe ſe alioquin offerente vitio. Quinimò addo quid mirabilius ex Realdo Columbo lib.15.cap. de his, quæ raro in Anatome obſeruantur,de altera Muliere,quæ cum occaſione abſceſſus in omento,ac peritonæo in hydropem aquoſum incidiſſet,eiuſdem tamen iecur & lien,neque in colore,neq; in ſubſtantia præter naturam affecta eſſe videbantur,etiam ſi in illius abdomine aquæ incredibilis copia adfuerit. Cum igitur in S. A. præter vterinum hydropem,vt ego exiſtimo,ſexui quo-
C que vtrique communis,nempe abdominis hydrops adeſſet,veriſimile fit, iecur in ea fuiſſe ex frigida dyſcraſia ita labefactatum, vt liuido etiam potuerit inde præditum eſſe colore,quippe cuius natiuus calor, ad quem ſpectat hæmatoſis,iam quaſi foret extinctus. Hinc propterea inter ea,quæ non ſunt artis,ſed prodigioſa potius habeatur,poſſe iecur in colore, & ſubſtantia probè vndique affectum apparere in ijs,qui ex hydrope obierint,excepto in fœminis vterino,& alio quouis particulari,vt pulmonario. Niſi quiſpiam fortaſſe contenderet,id ipſum quoq; fieri,ac euenire poſſe in hydrope, in quo iecur non primariò,ſed ſecundariò affici ſolet;in quo ideo morbus non adeò altas fixit radices,& inſitum in eo calidum non ita peſſundedit. Dum autem ma-
D gnum notatur fuiſſe iecur eius,excludi videtur ſuſpicio generationis hydropis ab illa cauſa,quam ponit Auicenna,quæ iecoris paruitas eſt;qua etiã pro vera ſuppoſita,ratio hæc poſſet excogitari,quia ſcilicet in paruo iecore alimentum inculcatur,& ægrè conficitur,vt hinc tandem natiuus eius calor refrigeretur,& extinguatur. Alterum ſecundi generis Quęſitum eſt; An quòd vtero gereret,temerè à quibuſdam crederetur. Aderant enim inter Cæſareæ Aulæ Medicos,qui non de morbo aliquo cogitarent,ſed de prægnatione liberè,& conſtanter loquerentur; Profectò aliqua ratione permouebantur Medici,qui de naturali fœtu,& vera conceptione aliquandiu crediderunt, ex mẽſium ſuppreſſione,tumore abdominis,qui non ita facilè ab vteri tumore diſcernitur,& habitu corporis alioquin ab initio valdè probo,ac ſano apparẽ-

te 11. facilis etenim eſt ad hanc illuſionem tranſitus, ob accidentium analogiam: Ideò medicinę practicæ ſcriptores multum laborant in ſignis, per quæ Medici legitimum fętum à concepta aqua diſtingyere valeant, nec rarò in arte exercenda videre contingit tam Medicos, quã fęminas ipſas hac in re craſſiſſimè cęcutire. Aliquando enim mulieres putantur grauidæ, quæ tempore progrediente, vel flatus, vel aquam, vel quid ſimile concepiſſe deprehendun tur, & è cõtra viſæ ſunt haud vnæ mulieres, quæ minimè grauidæ, ſed aliquo vteri morbo laborare iudicabantur, quæ tamen verum, naturalem, ac vitalē fętum ediderunt. Omitto hoc in loco referre quæ & legi, & audiui à Medicis fide dignis; at non ſilebo quæ Venetijs præſens vidi in Clariſſima, & Honeſtiſſima Muliere Domina Helena de Mocęnicis, quam quotidie inuiſebant Franciſcus Stabilis, & Benedictus Flanginus Medici tunc temporis illa in Vrbe magni nominis, eamq; tanquam hydrope tympanitide correptam curabant. Dum enim poſt alia in caſſum tentata præſidia, decoctum propinarent ex radice chinę, ligno Indo, & ſimilibus, iamq; ſeptimus ageretur menſis, quo & Medici, & ipſa, quæ tunc primùm conceperat, in tam magna cęcitate, ac illuſione verſabantur, de repentè ſuborti ſunt dolores noctuq; fęmellam pepęrit. Manè verò redeuntibus Medicis, & ſilentio vndiq; facto, dum lecto proximè accedunt, Mater ſindone remota; Ecce, inquit, hydrops, Ecce flatus mei ventris, pro quibus me quaſi interfeciſtis. Puella autem vſq; in ſeptennium morboſa ſemper vixit, tumore lienis præduro, febrę quartana, ſanguinis è naribus profluuio, alijſq; ſymptomatibus aſſiduè diuexata, quam tamen, priuſquam illa ex Vrbe diſcederem, ſanam vndiq; reliqui. Quarę in tam ambigua, ancipitiq; materia, quid mirum, ſi inter Medicos Aulicos non defuere, qui de vteri geſtatione palam loquerentur? Qua in re ſe & vere Aulicos, & non tamen indoctos Medicos oſtenderunt, cum ſcribat Hippocrates 6. Epid. *ſimilitudines vel doctiſſimis in arte viris ſepiſſimè imponunt*. Apud quem ſimiliter 4. eiuſdem operis legitur, vxorem Antigenis ignoraſſe, an prægnans eſſet, velut Himenen ſororem, quæ ex ſuppreſſis menſibus intenta habebat hypochondria. Ita in proprijs vxoribus decepti magnus illę Auenzoar, & doctiſſimus Matthæus de Gradibus, quorum primus vtero gerentem vxorem ſexto menſe, purgauit, ſecundus verò partum ad decimumtertium menſem expectauit, cũ poſteà laborare mola inuẽta ſit mulier, & optimè fuerit curata.

Quo ad alterum ſpectat Quæſitũ primi ordinis, negari non poteſt, quin rara quædam, nec ita conſueta in S. A. corpore inuenta ſint, quę nihilominus pro adeò admirandis, ac prodigioſis haud quaquam haberem, eo quòd in corporum diſſectione paſſim hodiè multò rariora obſeruantur, & ſuperioribus quoque ſæculis obſeruata fuerunt. Inter alia in frequẽtiora hic reperta, illud eſt corpus glanduloſum, in dextro ſinu cordis à circunſtante carne eiuſdem cordis diſiunctum, membrana indutum, magnitudine oui columbini. Sunt & corpuſcula illa alba, & ferè neruacea, mucoſa quadam materia illita, & obducta intra vterum. Sunt lapilli in cyſti fellea, & demùm eſt veſicula illa craſſo

humore

A humore flauo referta, quæ lieni ſuperſternebatur. Rara omnia, & ſingularia, ſed non quæ in magnam nos trahant admirationem. Quandoquidē in corde ipſo multo grauiora, & rariora ſimul inuenta ſunt. Beninuenius vidit in corde abſceſſus multos, quemadmodum & Hollerius, qui pręter abſceſſus adinuenit & calculos in ſinibus. Conſimilem hiſtoriam refert Schenkius. Fernelius obſeruauit vlcus in ſuperficie cordis, quod vlcus hominem ad tabem perduxerat. Columbus vidit & ipſe vlcera & tumores duros, præter naturam, in ſiniſtro præſertim vētriculo. Idem in diſſectione cuiuſdam medicinæ ſtudioſi coram Alexandro Petronio Romę inuenit miſero illi pericardium deeſſe, qui propterea in ſyncopem ſubinde incidebat, quo genere mali tandem exanimatus eſt: & deniq; in Cardinali Gambara vidit tumorem pręduru m oui magnitudine in ſiniſtro cordis ventriculo. Similia habentur apud Riolanum, &
B alios, quos breuitatis ergo prætermitto. In vtero autem, qui in muliere eſt velut ſentina in naui, & quaſi cloaca, in quam totius corporis excremento confluunt, mirum non eſt, reperiri interdum quædam præter naturam, in ijs maximè fęminis, quæ nunquam pepererunt, & menſium ſuppreſſionem paſſæ aliquandiu fuerunt, vt S. A. quæ etiam præ alijs ex nimia ciborum repletione & viſcerum dyſcraſijs pituitoſis, & crudis ſuccis, abundabat. Non ne ſæpè in vtero carneus latitat humor mola vocatus, qui vanam & irritam naturalis cōceptus imaginem exhibet? An non & aliquando lapides ibi gignuntur? Sic nanq; inter alios ſcribit Hipp. 5. Epid. de Ancilla cuiuſdam Lariſſæ, quæ cū
C iuuencula eſſet, ac venere vteretur, vehementer dolebat, & nunquam concepit; At cum annum attigiſſet ſexageſimum, poſt meridiem vehementibus velut partus doloribus conflictata, & poſt multum ante meridiem porri eſum, vbi dolore correpta eſt, omnium, qui antea tenuerunt, vehementiſſimo, aſperum lapidem magnitudine verticilli fuſi eiecit, & peperit. Quid quòd Hollerius in Schol. ad caput de mola; vidit ex vtero mulieris cuiuſdam animalcula quædam proiecta, ranulis ſimillima? Id quod ſimiliter de quibuſdam mulieribus Anconitanis refert Amatus. Qua de re plura ego in Opuſculo iam edito de Verme admirando ex altera narium Cæſennatenſis ciuis egreſſo.

Quare nec mirum cuiquam eſſe debet, ſi in S, A. vtero malè affecto, frigi-
D dis, & mucoſis humoribus referto, neſcio quæ corpora alba fuerint reperta, quæ quidem crediderim ego ſobolem eſſe pituitoſæ, lentæq; materiæ ibidem concretæ; cuius fortaſsè naturæ erat etiam corpus illud glanduloſum vocatum, in ſinu cordis adinuentum. De duobus lapillis in cyſti fellea nulla penitus admiratio ſit, quia eorum, in quorum veſica fellis reperti ſunt calculi, infinitus eſt numerus. Audiamus tamen Fernelium qui lib. 6. c. 5. de part. morb. & ſympt. hac de re ita ſcribit: *Calculus in cyſti ſelus plerunq; concreſcit niger, ſed tamen leuis, & qui aquæ immerſus innatat, neq; vt qui è renibus, aut veſica euellitur ſubſidet in imo.* Et paulo poſt ſubiungit. *Decrepitus quidam ſenex in iram mirè propenſus, poſt deceſſum ſine felle, & ſine cyſti inuentus eſt, in cuius ſede calculus ingens concreuerat.* Sic & Cardanus, *Vidi*, inquit, *Nobilem Bononienſem de*

Bobüs

Bobijs, cuius veſica fellis adeò tumida erat, vt lapidi rotundo in acutum velut pyro pendenti aſſimilaretur. Omitto verba facere de ijs, qui paſſi ſunt Diarrhoeā lapidoſam, vt eſt apud Pedemontanum de quodam, qui per menſem fluxum lapideū paſſus fuit, vt in eo quaſi omnis alui fex in lapides conuerteretur. Relinquo Frizimelicam Medicum Patauinum, qui poſt diuturnos colli dolores, lapidem oui gallinacei magnitudine excreuit, referētibus Capiuaceo, & Mercuriali, nec non & Pharmacopolam illum apud Beninuenium, qui poſt ventris totius dolorem, nullis cedentem remedijs, tandem conualuit, excreto per aluum calculo, inſtar oui columbini. Nullus enim ferè eſt noſtri corporis locus internus à lapide tutus, vt noſtrorum temporum obſeruarunt Anatomici. Ego Venetijs duos vidi calculos, & me præſente extracti fuerunt à celebri Chirurgo Franciſco Vidua, in ſummo pene inter glandē, & præputium, quorum prima occaſio fuit cura male adhibita gonorrheæ gallicæ, & cariei eiuſdem partis, quæ per pluresannos vſq; adeo tumida permanſit, vt ipſius penis canalis à ſupereminente, ac extuberante membrana anguſtior fieret. φύμωσι, genita. Ideò namq; vrina non niſi tenuiſſima, ac tranſcolata exibat, craſſiori parte inter glandis carnem, & præputij cutim reſtitante; quæ poſteà curſu tēporis in duos lapides rotundos, ſed latos, & ex vna parte leuigatos concreuit; quorum alter alteri incumbebat, & ex vna parte alter carni glandis, alter verò ex alia præputio tanquā per radices affixus inhærebat. Poſtremo loco pro non vulgari reponitur veſicula humore flauo plena, quæ lieni ſuperſternebatur. Quæ quidem obſeruatio opinionem noſtram de hydrope aquoſo mirum in modum confirmat, eò quòd hydropicorum internæ partes huiuſcemodi veſiculis aqua repletis, quæ ὑδατίδες à Græcis vocantur, ſcatere deprehenduntur, de quibus cum alij, tum Aretæus de affect. vteri lib. 2. cap. 1. ita loquebatur. *Alia quædam hydropici morbi ſpecies agnoſcitur talis in ea veſiculæ quædam puſillæ, crebræ, humoris plenæ, in loco, vbi aſcites fieri ſolet exeitantur. Cæterum quòd humore multo refertæ ſint, illud indicio eſt, ſi abdomen perforaueris parum admodum humoris effundes, Hacq; ſpecies leuis eſt; Vnde enim id genus veſiculæ eruperint, via non facile reperitur. Alij namq; affirmant huiuſmodi ampullas inteſtina tranſijſſe; Ego vero nunquam vidi, ideoq; ſcribendo non affirmo. Nam ſiuè ex inteſtino colo, ſiue ex ventre ferantur, qualis ſit ipſarum generationis modus, quid dicam nihil certi habeo*. Inſuper & Gal. 7. Aph. 55. meminit veſicularum harum, quæ humoris plenæ ſunt, quæq; in membrana iecur ambiente generari ſolent, & ſæpe in pecudum, boumq; iugulatorum iecinore inueniuntur. Quinimò Aetius aquam in vterino hydrope exiſtimat in eiuſmodi veſiculis, non item in vteri cauitate contineri, quod tamen non eſſe perpetuò, ac vndequaq; verum experimento docemur. Sic autem ille ſcribit. *Corpuſcula quædam veſicæ fellis ſimillima in vtero gignuntur, in quibus aquoſus morbus colligitur*. Quare, & Mauritius Cordæus Gallus in Com. ad lib. 1. Hippoc. de morb. mul. refert hiſtoriam mulieris, quæ vterino hydrope laborabat, in cuius cadauere tradit plurimas adinuentas fuiſſe veſiculas, citrino humore plenas, in

A B C D

A naſ,in vtero,corde,liene,ventriculo,inteſtinis,renibus,veſica,& alijs internis partibus. Quapropter huiuſce naturæ fuiſſe veſiculam lieni ſuperſtratam, quis dubitabit? corpora verò illa, velut tubercula quædam in vtero adinuenta,denſa valdè,atque compacta, crediderim talem ſortita fuiſſe naturam, occaſione materiæ in vtero ipſo ſtabulantis,quæ cum admodum craſſa,ac lenta foret, à debili, ac imbecillo vteri calore ſenſim, ac paulatim in eam vim ſuam exerente humidioreſque ſimul, ac tenuiores partes abſumente, duriorem illam ſubſtantiam non difficilè adipiſci, & induere potuit.

Et hæc mea eſt ſententia in Quæſitis à te mihi propoſitis de rebus ijs, quæ in diſſectione corporis Auguſtiſſimæ Imp. repertæ fuerunt,à quibus non obſcurè etiam colligitur,morbum,quo diu laborans tandem exanimata eſt,hy-
B dropem fuiſſe aſcitem,& vterinum appellatum. Tu modo eam,qualiſcunque ſit,æqui,bonique facito. Datum Romæ Kal. Februarij 1619.

Quæ ſubnectitur de eadem re diſputatio, amice, ac benigne Lector, ad me è Germania miſſa,& à viro perquam docto Thoma Mingonio Tiburtino Medico Cæſareo conſcripta,multa continet omnino digna,quæ à Medicinæ ſtudioſis attente legantur.

HISTORIA ANATOMICAE OBSERVATIONIS facta Die 14. Decembris 1618. Circa Cadauer Diuæ C *Annæ ſemper Auguſtæ de Vtero.*

VTerus autem erat valdè magnus,plenus humore pituitoſo craſſiſſimo, circa cuius latera, & corpus adhærebant ſubſtantiæ ipſius quinque corpora ſatis magna ex ſubſtãtia quadam mucoſa nerueam materiam referente, valde concreta, & ſolida ſatis; in vteri verò capacitate innatabat, vt ita dicamus quædam ſubſtantia ad magnitudinem oui anſerini ſed magni.

Dubitatur an vterus geſtaret molas.

Pro dubitationis maioris intelligentia ſeu potius ſolutione.

D Primo ponendum eſt pro certiſſimo in Sereniſſima Auguſta omnia ſigna vere geſtationis tribus fere annis ante obitum fuiſſe ita vt omnes doctiſſimos Medicos,& expertiſſimas mulieres deceperint vſque ad nonum menſem,cum motus,non ita fortis, vt par eſſe videbatur, deſideraretur,& lac in mammillis, quibus de cauſis poſt decimum exactum menſem licet Diua Auguſta, optima ſi qua alias frueretur valetudine ad ſanguinis miſſionem, ipſa quidem inuitiſſima,cum omnino crederet ſe geſtare,& ad alia oportuna remedia deuentum ſit, ſicut & reliquo tẽpore cum doloribus ventris per plures dies torqueretur, & alijs ſymptomatibus,quibus pro neceſſitate varia medicamenta fuerunt præſcripta vſque ferè ad ſecundum annum quo tempore à plurimis ijſq; doctiſſimis viris communicatis conſilijs ad fortiora medicamenta pro mala

expulſione

expulſione properauimus, quorum hiſtoria quoniam longior eſt, ſeorſim de- A
ſideranti exhibebitur ſuo tẽpore; Secundo ponendum eſt pro certiſſimo fun-
damento Sereniſſimam Auguſtam ab anno iam ante obitum ſatis manifeſtã
corporis nauem, excepto ventre, percepiſſe cũ aliàs eſſet ſatis pinguis, ac ſum
moperè cum familiaribus, & doctore qui ipſius curam ſuſceperat, fuiſſe plu-
ries conqueſtam. Tertio poſt iſtam corporis maciem, & pulcherrimæ formæ
iacturam frequentibus lipothymijs laboraſſe, vẽtris doloribus, vteri affecti-
bus, grauitate circa pubem, menſium ſuppreſſione, ſtomachi cuſionibus, &
cordialgia, conuulſionibus plerumque, & alijs ſymptomatibus fuiſſe ſæpius
correptam vna cum vomitu frequentiore materiæ phlegmaticæ, & bilioſæ,
& huius per vnum aut alterum menſem, ante obitum poſt magna animi deli-
quia, poſt magnum ſtomachi ardorem, & inexplebilem ſitim per vomitum ad B
libras ferè quindecim pluribus vicibus fuiſſe reiectas referunt. quibus poſitis;
Multitudinem illam materiæ craſſiſſimæ, & ſubſtantiam in medio innatan-
tem Arculanus lib. 9. ad Almans. c. de mola, recipit, & fatetur eſſe molam ab
humore, vt inquit, phlegmatico groſſo, & Matthæus de Gradi lib. de Affect.
mulier. c. de mola, ac Cardanus lib. 8. de Variet. c. 44. aſſerentes molas fieri per
coagulationem à frigido factam, & productam, & ſi reſpiciamus ad auctorita-
tem, & hiſtoriam Hip. quam recitat lib. de Natur. Pueri, loquens de ſal-
tatrice illa, quæ genituram ſex dierum eiecit, quam comparat ouorum albu-
mini, poſſumus facile aſſerere craſſiſſimam illam materiam naturã molæ re-
ferre quæ ex Hip. Ariſt. Galeno ac reliquis omnibus medicis conceptionem C
præſupponit: ſi verò figuram illius materiæ ac reliquorum corporum oualem
ſcilicet conſideremus ſi μόλη græcè ideſt mola per ſimilitudinem dicitur ab
oſſe ſimili ouali, quod genu ſuper imponitur, prout ab Hip. Ariſt. Galeno, &
alijs paſſim vocatur μόλη videtur ſine dubio ea materia, & corpora eſſe mo-
læ, ſic Pareus lib. 23. c. 34. Matth. de Gradi loco citato, & Alexand. de Bene-
dictis lib. 25 c. 34 de curand. morb. molas egreſſas obſeruauerunt, & genitu-
ram oui ſimilitudinem, & figuram recipere auctor eſt Hip. lib. de Nat. Pueri.

Quod autem in molis non ſit deſideranda forma carnis perfectæ auctor eſt
Lemnius lib. 1. c. 8. de Natur. miracul. aſſerens molam eſſe rudem informem
maſſam, atque inelaboratam, & Alex. de Bened. loco citato refert, mulierem D
poſt plurium, & continuatorum menſtruorum profluuium tandem molam
ſanguineam emiſiſſe, quam recipit etiam Aetius 4. tetrab. ſerm. 4. c. 25. alio-
quin enim non poſſet conſiſtere doctrina Marcelli Donat. lib. hiſtor. med. mi-
rabil. in hiſtoria eius mulieris, quæ plures molas carneas, ipſe dicit, eiecit, &
duras, quæ tamen, addit, aeri expoſitæ ſoluebantur in aqueam ſubſtantiam, ſi
perfectæ carnis rationem. & formam intelligeret, & fortaſſe deſumpſerunt
ab Hip. lib. de ſterilibus, & lib. 1. de morb. mul. aſſerente, *ſi mola vna caro
fiat mulier perit, &c.* & infra addit. *ſin multæ*, ideſt carnes, *et per pudendum
perrumpit ſanguis, copioſus, & carnoſus*, σαρκῶδες græcè, *& ſi moderatè fiat*

ſeruatur

A *ſeruatur mulier, ſin minus profluuio correpta perit,* & cæt. Ex quo textu Hip. col-
ligitur dari molā ſanguineam, nā præſupponit molas plures ſubeſſe, *& ſi ſan-
guis*, inquit, *carnoſus* σαρκώδης, de quo intra latius, *perrumpit*, &c. *non alia ra-
tione certe ſeruatur mulier quam poſt molæ depulſionem*. nec alterius rei emiſſæ fa-
cit mentionem, niſi ſanguinis σαρκώδεος, neq; poteſt hoc intelligi de ſangui-
nis effluuio, alioquin enim non adderet, *profluuio correpta perit*, ac propterea
per Hip. videtur dari mola ſanguinea, neque in molæ ratione conſtituenda,
deſiderari perfecta forma carnis, quod confirmat Salius in adnotat. ad c. 1 1 2.
Pract. Altimaris, & Lemnius lib. 4. c. 1 9. de occult. Natu. mirac. & Ludouic.
Mercat. lib. 3. de morb. mul c. de mola, quibus in locis plures differentias mo-
larum ponunt; cum enim natura eo in caſu deprauatè, & impotēter operetur
B non mirum eſt ſi incertę atq; difformes actiones ſemper obſeruentur. Sed ne
in re tanti momenti ac pręſertim in caſu propoſito ducamur tantum opinio-
ne, videamus quid primi illi cæterorum Magiſtri nempe Hip. Ariſt. & Gale-
nus ſtatuerint in molæ definitione; primus Hip. lib. de ſterilibus, & lib. 1. de
morb. mul. dicit *ſi mola caro una fiat*, & cætera, quibus in locis ſemper vtitur
hac voce σάρξ, ſicut etiā Ariſt. 4. de hiſtor. animal. c. 7. in hiſt eius mulieris quæ
ſe grauidā putauerat, & poſt trienniū diſſenteria correpta *peperit carnē*, inquit
σαρκὰ *quam molam dicunt*, & Gal. lib. 1 4. de vſu partium c. 7. dicit molam eſſe
carnem σαρκὰ informem; ſemper itaque dicti auctores vtuntur eodem termi-
no; cum alioquin græci pro carne ſignificanda habeant etiam κρέας, qui verò
C in græcorum auctorum cōmentarijs perlegendis curioſus fuerit. animaduer-
tet eſſe magnam differentiam inter σαρκὰ, & κρέας. Nam σάρξ, eſt genericum
quid, & pro carne limacum etiam accipitur; immò Dioſcorid. lib. 1. cap. 80. &
Theophraſt. lib. 6. de Plant. cauſiſ. c. 11. accipiunt pro pulpa fructuum quo-
rumcumque. Atheneus lib. 14. Dipnoſoph. c. vltimo vbi loquens de Mima
edulij genere dicit continere carnem κρέας ſanguinem, inteſtina, & cæteras
partes animalis.. Sed ne tam longè petamus, argumenta, Hip. idem homo
grecus optime hoc diſtinxiſſe videtur lib. de affect. *carnes* τα κρέα, inquit, *coctæ
& perectæ quidem imbecilliores ſunt*, *&c*. & lib. de. Victus ratione in morbis
acutis eodem modo ſemper loquitur ſermonem habens de veris carnibus; &
D lib. de Carnibus vbi tractans de cordis perfecta ſubſtantia, & carne, dicit con-
tineri multum glutinoſi, & frigidi quod calefactum à calido caro κρέας, dura
euaſit; ſed paulo inferius cum genera, differētias, & principia epatis, lienis, &
cæterarū partiū addit *eadem quoq; ratio eſt de carnibus* περὶ σαρκῶν *frigidū qui-
dem*, inquit, *carnem* σαρκὰ *conſtituit, condenſauit, & fecit*, ita etiam loquitur lib.
de oſſium natura. ſed clarius adhuc lib. 2. de victus ratione diſtinxit tractans
de carnibus bubulis aſſerit, *& ore aſſumptæ carnes* κρέα *graues ſunt, eademque*,
vt habet verſio latina, ſed græcè. καὶ αἱ ὑγιαίαι σάρκες, *& ſanguis, & lac* quam
ſententiam patientius adhuc exponit ſubdens. *quorum autem animaliū lac te-
nue, ac ſanguis ſimilis, eorum quoque carnes* σάρκες *conſimiles exiſtunt*. Atque ex
his clariſſime patet qualis ſit differentia inter κρέας, & σαρκὰ, & quod σάρξ ſit
quid

quid analogum ad omnem ſubſtantiam coagulatam, & denſam: patet etiam A
quam male, & confuſe ab auctoribus pleriſq; latinis definiatur mola per car-
nem, cum definitio ſecundum omnem Philoſophiam debeat conſtare termi-
nis proprijs, & qui cum definito conuertantur, & propterea non mirum eſt
ſi longius hactenus multi à veritate, & vera Hip. Ariſtot. & Galeni doctrina
abſint qui per carnem intelligunt veram rationem carnis in mola conſtituen
da; ſed proximè mihi videtur attingere eorum doctrinam Iacobus Ruffus lib.
5. mulieb c. 3. deducens nomen molæ à perſica voce *moli*, quod informem, &
rudē maſſam ſignificat. ſic Lemnius locis ſupra citatis, & idē videtur Galenus
græcus auctor nobis inſinuare quando definit molam, vt magis explicaret
ſuam ſententiam. & oculis noſtris veram molæ naturam ſubigeret ne contin
geret error, non contentus, quod mola ſit caro σάρξ addit etiā *ἀδιάπλαςον in-* B
formis, & otioſa; ſed cum mola præſupponat omnino conceptionem ex Gal.
14. de vſupar. cap. 7. & ab eodem, & reliquis auctoribus, vt optimè etiam re-
citat And. Laurent. lib. 8. c. 5. ſuæ Anaton. quatuor conſtituantur geſtationis
termini nēpè *γόνη κύημα ἔμβριον παιδίον*; dignū eſt ſpeculatione pro maiori di-
ſtinctione molæ, & dictorum confirmatione, quærere in vtro horum gene-
retur mola. Rem abditiſſimam duce Hip. facile perſcutabimur qui lib. de na-
tura pueri ita aſſerit, *cum vero genitura in membrana continetur*, & cętera: addit
inferius, *ex delapſo, & concreto materno ſanguine caro σάρξ generatur.* ex quo lo-
co facile colligitur quod σάρξ Hipocrati ſit coagmentatio ex ſemine, & ſan- C
guine menſtruo conflata nondum ab opifice ſpiritu, & formatrice facultate
dearticulata: ſed clarius adhuc ſe Hip. explicat inferius, dicens. *Verum eo vn-
de digreſſi ſumus reuertamur, cum caro σάρξ producta fuerit tunc ſanguine in vte-
ro increſcente etiam ipſæ membranæ, præcipueque externę augentur, & in ampliores
ſinus diſtenduntur, & quicquid ſanguinis à matre deſcendit, & caro σάρξ ſpirando
attraxerit, & in incrementum ceſſerit, quodque utile fuerit in membranarum ſinus
ſecernitur, quæ vbi in ſinus excauatæ fuerint, & ſanguinem exceperint tunc recte
χωρίον* ideſt *ſecundæ* latinis appellantur, quam ſententiam fideliter ideo totam
deſcripſimus vt manifeſtius appareret veritas generationis molæ, & fit tunc
in primo illo termino conceptionis, quod clariſſimis verbis aſſerit idem Hip. D
lib. 2. de morb. mulier vbi dicit molam eſſe ex genitura craſſa.

Ex quibus clariſſime patet ſi velimus ſententias, & doctrinam Hip. Ariſt.
& Galeni ſectari in vera mola cōſtituenda nullam omninò deſiderari formā
carnis, & Sereniſſimam Auguſtam, molas plures geſtaſſe quod adhuc clarius
probabitur. Copioſiſſima namque illa materia phlegmatica meſenterio oc-
cluſa, vtero ex parte anguſtiori incūbens, conſtituerat neceſſario cauſam quā
Ariſt. 4. de Gener. Animal c. 7. requirit in generatione molæ, nempè caloris
debilitatem in vtero, neque alia etiam cauſa quam idem Ariſtot. requirebat,
deſiderabatur, nempè affectiones vteri, nam certiſſimum eſt D. Auguſtam à
pubertate laboraſſe morbo virgineo, & alijs plurimis vteri paſſionibus, men
ſtruorum etiam copiam quam idem requirebat. & Hip. lib. de ſterilibus, ar-
guit

A guit complexio ſanguinea, vita ſedentaria, plenior victus ratio, & menſtruo-
rum repurgatio pro ratione non copioſa, licet poſt thermalium aquarum
vſum externum per aliquot menſes ante conceptionem, copioſius, & ſtatu-
to tempore effluxerit, quibus omnibus cauſis ſimul concurrentibus, ſecunda
ab Hip. deſiderata neceſſariò etiam debuit acceſſiſſe, nempe debilitas ſperma
tis virilis, quod etiamſi præſtantiores cõditiones habuiſſet, & robur, debuit
ſine dubio ob omnium cauſarum, & fortium concurſum uis illa, & energia
prolificandi extingui in ipſo tempore geniture τῆς γονῆς, & in molam degene
rare. Durities vero illa corporum Ariſtoteli σκληρότης ideſt *calloſitas* prouehit
à cruditate materiæ cruda autem ea eſſe idem 4. Meteorolog c. 2. aſſerebat,
quæ à calore naturali euinci concoquendo ac ſuperari non poſſunt, ac pro-
B pterea addit 4. Gener. anim. c. 7. *in mola coctio quidem fit ſed non quætunque ſed*
tantum μόλυνσις ſcilicet eorum, quæ multorum, & hæterogeneorum humo-
rum congerie perfectè concoqui non poſſunt; ſed difficultatem, & laborẽ ca-
loris natiui vteri in eo opere non poterat Ariſt. melius exprimere quam ver
bo illo δυσθανατεῖν natura poſt longam elaborationem, & pugnam cogatur
tandem ſuccumbere emoriendo; & alienam ſubſtãtiam, & molam produce-
re; extranei enim nihil in eo diuino opificio admittit; ſed ſimpathia conue-
niens, affabre perfectum, & commenſuratum operi oculis ſed proprijs viri-
bus perfectum, coinquinatum vt prophanum, omnino excludit, ſelectiſſima
tantum coagmentat, & quæ per vniuerſi corporis tot anfractuoſa organa
ſtudioſe perfecerat in ſui conſeruationem perpetuam quatenus poteſt, ex-
C primit, & pro ſymbolo confert vt amicabili fermentata pugna, genera-
tio perficiatur; at ſi contrariæ intercedant condiciones; ſtudio tamen gene-
rationis illecta, opus, quidem aggreditur natura, ſed concoctio illa termina-
tur in ſimilem duriciem corporum, quę molas eſſe tum rationibus dictis, &
duritie, & calloſitate ipſorum apparet, cum etiam ex loco, adhærebant enim
circum circa valde tenaciter ſubſtantiæ ipſius vteri, imò Martinus AcalKia
lib. 2. de morbis mulierum c. 24. vocat molas viuentes, quæ ita agglutinatæ
ſunt uteri cotylidonibus, & ita cum vtero conueniunt, & ſuis ligamentis, vt
vix ab eo ſeparari poſſint. Præterea Galenus lib. 1. de ſemine c. 2. *ſicut* inquit
famelicus ſtomachus cum ſuo fundo aduenienti cibo occurrit, & cum reliquo corpore
D *amplexatur, & continet, ita uterus in concubitu concurrente præſertim amore mu-*
lieris, deſiderio prolis habendæ, & inſurgit, & commouetur, ac plerũque ὀργᾷ*, ac ſi-*
cut ceruus narium vi ex cauernis terræ ſerpentes, ſemen emungit, & attrahit, & to-
to corporis ambitu complexatur, & retinet, vt optime iterum docet Galenus lib.
1. de ſem. c. 4. & explicat etiã Cordæus Remus comment. 6. in 2. li. de morb.
mul. quod genitura per cotylidones ſicut rami ex trunco arboris, & contine-
tur, fouetur ac nutrimentum recipit: hinc Hip. 5. Aphor. 45. ſtatuerat ſi pro-
pter muccoſam materiam iſta vteri cõplexio impediretur, fieri abortum; ſed
quinque illa corpora cum valde adhærerent ſubſtantiæ, & corpori vteri vt
debuerint vi excindi nõ referebant vllo modo ſua figura, ſoliditate, & duritie

muccum, alioquin cum iã certiſſima fuerit geſtatio debuiſſet ſubſequi abor- A
tus, quare fatendum omnino eſt eſſe illa corpora molas, & ex eo ſaltẽ genere quod refert Hip. lib. 2. de morb. mul. vbi ponit curationẽ molæ ex genitura corpulentia adhereſcente ὑπὸ inquit γονῆς ὑπεχομένης, & ſi conferantur ſupra dicta omnia ſymptomata quibus Diua Auguſt. fuit ſatis vſque ad mortem conflictata, & cauſæ generationis molę repetantur ſatis ſuperque vnicuique licet leuiter exercitato in affectibus mulierum cognoſcendis, & curandis patebit ſaltem illa quinque corpora fuiſſe ueras molas niſi ſophiſta velit rei clariſſimæ aduerſari.

QVAESITVM PRIMARIVM IN B

eadem Sereniſſima Auguſta, quæ diu vtero gerere credita, vi tandem morbi interijt.

I.

An ex molis tantummodo, vt Aulæ Cæſareæ Medicus Clariſſimus autumat, an potius ex hydrope vteri, & abdominis, ut mea eſt ſententia obierit.

Quæſita ſecundaria quadraginta Tria.

I.

Cur, & qui nam Medici interſe facilè diſcrepant.

II. C

Cur docti, & æquè ſtudioſi Medici ſibi ipſis non difficulter conſentiant.

III.

Cur de nomine lis interdum ſubeunda ſit

IV.

Cur hydrops morbus ſiccus vocetur ab Hippocrate.

V.

Cur hydropes omnes inuicem complicentur.

VI.

An, & qui ὕδωρ, & φλέγμα differant.

VII. D

Vtrum ad hydropis eſſentiam conſtituendam referat, an humor pituitoſus craßus ſit, ac lentus, an fluidus, & aquoſus.

VIII.

An, & cur ὕδωρ, & φλέγμα promiſcuè vſurpentur apud Hip. Platonem, & alios Græcos.

IX.

An maior ſit frigiditas in Aſcite, quàm in Anaſarca, vbi Valleſii opinio non recipitur.

X.

Cur pituita φλέγμα dicatur, cum frigida ſit, & φλέγμα ἀπὸ τοῦ φλέγειν deducatur.

Cur

A

XI.

Cur aqua vocetur ab Ariſt. friabilis, cum lentoris expers non ſit.

XII.

Cur ὕδωρ apud Ariſt. perperam de aqua intercutem ſuſa Gaza verterit.

XIII.

Cur Hip. aliquando per τὸ ὕδωρ atrum humorem intelligat

XIV.

Cur lien aquæ domicilium, & caput pituitæ fons dicatur.

XV.

Cur Hip. in curanda leucophlegmatia medicamentum laudet, quod hydragogon vocat, non phlegmagogon.

B

XVI.

Cur ſecto vtero S.A. aqua non apparuerit, ſed phlegma craſſiſſimum.

XVII.

Cur in naturis frigidioribus, et humorũ frigidorũ colluuie, vel nulla vel puſilla ſit febris.

XVIII.

ἀκατάθετον in medicinam introducere quid ſit.

XIX.

An vterinus hydrops ſemper eſſe debeat cum febre.

XX.

Cur vterus S.A. tam amplius eſſet, cum nunquam concepiſſet.

C

XXI.

An, & cur abdominis, & vteri hydrops à ſuppreſſis menſibus, aut iiſdem immoderatis contra Peredam oriri poſſit.

XXII.

An vterus diu laborare, imò etiam è mulieris corpore extrahi queat, alijs illæſis viſceribus, & ea quoque aliquamdiu ſuperſtite remanente.

XXIII.

An ſola iecinoris magnitudo ad hydropem arcendum, paruitas verò ad eundem producendum ſufficiat.

XXIV.

D *An in iecinore, & corde magno, maior, vel minor, quam in paruo ſit caloris, et ſpirituum copia.*

XXV.

Cur iecur hominis maius ſit, quam cæterorum animalium, quorum tamen corpora hominis magnitudinem non excedant.

XXVI.

Cur edaces, ac timidi maius alijs iecur habeant.

XXVII.

Cur lienis magnitudo in S.A. hydropem gignere potuerit

XXVIII.

An iecoris color ad liuidum vergens euſdem viſceris frigiditatem arguat.

XIX. A

Cur liuidus color non ſemper caloris extinctionem in parte liueſcente ſignificet.

XXX.

An, & cur iecur in colore, & ſubſtantia ſimile naturali hydropis cauſa eſſe poſſit.

XXXI.

Cur vomitus hydropicorum, & aquoſa eorum materia citrinum præſeferant colorem.

XXXII.

An, & cur habentes calidum iecur, calidique homines interdum fiant hydropici.

XXXIII.

Cur vt Elementorum, non item humorum reciproca ſit generatio.

XXXIV.

Cur hydropicorum corpora bilem quoque acumulent. B

XXXV.

An, & cur calculi etiam duriſſimi ab imbecillo calore efficiantur.

XXXVI.

Vtrum bilis craſſities pendeat à cauſis à Galeno, an ab Auicenna allatis.

XXXVII.

Cur hepar etiamſi ſcirrho non laboret, hydropis cauſa eſſe poſſit.

XXXVIII.

Cur copia, & qualitas alimenti pituitoſos gignant humores.

XXXIX.

An pituita non ſolum de quarto humore, ſed etiam de cruditate ventriculi prædicetur. C

XL.

Cur in curatione hydropis educenda ſit prius aqua, quam intemperies corrigatur.

XLI.

An ex partium naturalium inſita proprietatè vnà cum vberiore alimento citra caloris paupertem gigni poſſit materia cruda.

XLII.

Cur, & quando ad proprietates confugere oportet.

XLIII.

Cur corpuſcula in S. A. vtero admonita ad verè molas referri minimè poſſint. D

A

AD EVNDEM.

MIſiſti ad me non ita pridem, Lodouice nobiliſſime, breuem quandam, ſed ſcitè, & affabrè deſcriptam Hiſtoriam Anatomicæ obſeruationis factæ circa cadauer sereniſſimæ Auguſtæ, quæ non multis ab hinc menſibus obijt; mihi pariter iniungens, vt illa diligenter perluſtrata, quid de cauſa obitus eiuſdem cenſerem, præcipuè verò, an ex obſeruatis in cadauere, de natura, & idea morbi, cum quo diu impari vi pugnãs exanimata tandem vita cedere coacta eſt, certi quicquam elici poſſet, ad te libere more meo quam primum reſcriberem; Cumque ad id melius præſtandum quæſiuiſſem ego de ſymptomatibus ſaltem potioribus illã
B vitæ tempore diuexantibus, de corporis habitu, ac temperamento, nec non de ijs, quæ ad viuendi normam pertinent, reſponſum fuit, per plures menſes creditũ, & à Medicis, & ab obſtetricibus vtero fœtum geſtari; ventrem totum valdè extuberantem fuiſſe, cum tamen supernæ partes admodum graciles redditæ forent, menſes quoque à multo tempore vndequaque cohibitos delituiſſe, ad hæc prǽditam corporis habitu pleno, & obeſo, antequam ſcilicet ægrotaret, doloreſque in ventre, & euomitiones quam frequentes pati cõſueuiſſe, & demum in viuendi norma fuiſſe ſolitam non parum delinquere, cum opulenter viueret, & largiori cum cibo, tum potu quotidie vteretur. Quibus auditis, & cognitis, nec non omnibus, & ſingulis in Hiſtoria Anatomica perpẽſis; mox arrepto grapho
C opinionem meam tibi per epiſtolam miſi, quæ ſtatim ad Germanos aduolauit. Interim en Diſputatio à magno illius Aulæ Medico, vt mihi ſignificabas: neq; enim vlla aderat ſubſcriptio; docta certè, & eleganti ſermone cõcinnata, in qua non modò non dubitatur de molis in vtero, ſed conſtantiſſimè aſſeritur, & molas ibi latitaſſe, & ex illis omnino, nec ex vllo alio penitus morbo Auguſtiſſimã Imp. perijſſe. Paulo poſt ab eadem plaga, & ab eodem enata fonte epiſtola Romam tranſmittitur tibi ſimiliter inſcripta, qua viſa miratus ſum non parùm, virum Excell. mihi etiam de facie notum, perlectis meis à te ad eum miſſis literulis, bile quadam æſtuante ſuccenſum, vel ad ipſa ſi non iurgia, ſaltem ſcommata deſcendere. Quæcunque ſcripſi, & ſcis optimè quamobrem ſcripſerim, hoc eſt,
D non vt de illius fama detractum quicquam vellem, ſed vt tibi, cui plurimũ debeo, morem gererem in ijs quæ pro meo ſenſu ad clariorem rei dubiæ, & controuerſæ dilucidationem efferri poſſe videbantur: quare tuæ nunc partes erunt de huiuſce rei veritate amicum Medicum commonefacere; ne, ſi lubet, vlterius in me excandeſcat, cum ego iam pridem in animum induxerim meum etiam prouocatum in conuiciandi certamen deſcendere nunquam velle, in quo quidem ſcio per Philonem, victorem victo deteriorem fieri. Quod meæ contradicatur opinioni, nullo vnquam tempore ægrè tuli, nec in poſterum quoad vixero moleſtè feram, minimè ignorans, nulla alia via ad veritatem accedi poſſe, quam falſarum opinionum confutatione, vt fuit Ariſt. ſententia primo ad Eudemum.

Quæ veritas ſi vt Gal. ait primo Aph. primo *eſſet inuentu facilis, tot, ac tanti viri, qui illam perquiſierunt, nunquã fuiſſent in tam cõtrarias ſectas diſpartiti.* Doleo ſanè vicem medicam, mi Ludouice, dũ Plinij in Romanos Medicos nota in dies magis, magiſque aſtruitur: *Nemine idem cenſente, ne videatur aſſertio alterius*; culpâ, & vitio non omnium, quia Viri adſunt probi æquè, ac docti, inter quos virum clariſſimum licet abſentem libentiſſimè pono, ſed aliorum quorundam, quos noſti, qui quaſi noui Attali, amethodi, & amuſi (tales enim, ſi non eorum λόγος, tales, ſi non quæ emiſere opuſcula, abundè manifeſtant, detractor ipſe vocer) in ſtudioſos homines debacchari non verentur, popularem ventum quærẽtes, ſeu famam ſibi, quæcunque illa ſit, apud vulgum, & imperitos ex ſola bonorum obtrectatione aucupantes. Minuitur tamen ex parte dolor ipſe, quia ita fert hodie humana conditio, ita imò ſemper tulit, ex quo primi noſtri Parentes inobedientiæ crimine eam commacularunt. Audi obſecro ſapientiæ fontem in Eccl. cap. 4. *Rurſum contemplatus ſum omnes labores hominum, & induſtrias animaduerti patere inuidiæ proximi*; quare non in re medica ſolùm id mali contingit, ſed & in alijs omnibus, quæ ſub ſole ſunt; vt in ſumma quæcunque huius mundi homines ſequuntur, ferè cuncta ſint maledicentiæ, & coniurationes. Vtinam controuerſiæ, quę ſæpè, inter medicos oriuntur, indagandę, ſolius veritatis gratia, & in communem vtilitatem promouerentur; ſic enim res omnis, & cum ipſis, & cum ægris laudabilius, & fęlicius ageretur, nec ita vbique locorum calumniam vſq; adeo grauem pateretur ars tota, vt hinc amplius medicina eſſe non videatur; neque enim verum eſſe creditur, quod variat; nec ita facilè mortales, quod artificum eſt, in diuinam artem refunderent, conſiderantes etiam rectè eruditos in diſciplinis, qui magna cum diligentia, & dexteritate exercentur, ſæpe falli, propter rei naturam, & imbecillitatem humani ingenij, quod magnitudinem artis non aſſequitur; ſed hi ſciant, quemadmodum Ptolemæus de diſciplina non longè diſſimili affirmat lib. 1. præd. Aſtron. *iniquum eſſe arti adſcribere errata, quæ ab imbecillitate profeſſorum oriuntur.* Mehercle præſens diſceptatio perpulchra eſt, & digna, in qua mentis acies intendatur, quoniam præter ſplendidiſſimi ſubiecti rationem eadem prorſus frequentiſſimè in curandis mulieribus cõtingunt, in quibus videas medicos interſeſe magnopere altercari, & pro ſuo vnumquemque ſenſu acriter dimicare, adeo verum eſt illud:

Qui velit ingenio edere nullus erit.

Illud tamen ſilere hac in re nolo, Medicos illos, qui ſolo veritatis amore, longe odio, & liuore ſemotis, interſe diſputant, dummodo etiam in literarum ſtudijs æquè, ac ſolidè ſint verſati, facilè acquieſcere, nec in valdè remotas abire ſententias. Scitum eſt .n. apud Platonem, *ſemper inter ſe conſentire eos, qui aliquid ſciunt; quandoquidem neque ſciri poteſt, niſi quod verum eſt, neque in quaque re verum eſſe amplius vno poteſt.* Id ipſum autem euenturũ omnino ſpero in præſenti re dubia, & controuerſa cum Viro clariſſimo atque eo magis, quia, vt ego nunquam hucuſque aſſerui, corpora illa, quæ in vtero S. A. ſtabulabantur, ad molas nõ poſſe referri, ſi tamen non adeo ſtrictè, vt aiunt, nec adeò exquiſitè molæ nomen

accipiatur,

A accipiatur,ſed tantummodo corpora fuiſſe quædam ex materia pituitoſa, viſcida,& craſſa,qua vterus ille vndique plenus erat, compacta; ita fore non diffido, quin idem re ipſa intimius conſiderata libenter conceſſurus mihi ſit, morbum, & vteri, & abdominis ad ambarum partium hydropem, & ad hunc proximiorē martis cauſam redigi indubitanter poſſe, ſi pręſertim præter nomina, & vocabula ipſa, rei quoque eſſentiam, cui magis eſt incumbendum, inſequi voluerimus.

Sediam obſecro ad ſuſceptam materiam ſtylum conuertamus, in qua, vt cū ordine procedam.afferam prius quæ nam aduerſum me, meamque priorē epiſtolam excogitata fuerunt, ad ſingula interim reſpondens, deinceps verò vberius,dum opus erit, aperiam quā probabilis,quàmq; vero conſona valdè ſit ſen

B tentia propria aliàs exarata. Suadet ergo ſibi Vir doctiſſimus ſatis ſuperq; probaſſe ī ſuperius allata diſputatione S.A.ex vteri molis utiq;obijſſe,& meā de hydrope aſcite,ac uterino ſentētiā nullis rationib.nulliſq; hiſtoriæ anatomicæ fundamentis ſuffultā,ſed ſolis coniecturis ad libitum, uel etiam ex aliorū diſcurſu, & relatione confectis,penituſque aereis inhęrentem,nullo pacto,nulloque modo perſiſtere poſſe,& initio ducto ab uterino hydrope aſſerere non dubitat, huiuſcemodi opinionem uideri repugnare rationi, experientiæ,& auctoritati,ideoque ita in me incipit.

Nulla ratio occurrit,qua craſſities illa tam intenſa phlegmaſis in vtero reperti rectè, & verè poſſit dici de aquoſo humore,qui hydropem vterinum conſtituit, vt probabitur,quod ſi idem aſſeratur eſſe aqua,& phlegma,reſpondendum erit Hip. lib. de Genit.

C *Humidi,inquit,quatuor ſunt ſpecies, ſanguis, bilis, aqua* ὕδωρ, *& phlegma* φλέγμα, *à quibus morbi fiunt, & indicantur; idem etiam repetebat ad verbum lib. 4. de morbis, ſed clarius adhuc lib.de affect. diſtinguebat dicens pituitoſis* ὁκοῖσι φλεγματώδεις *medicamenta exhibe,quibus phlegma ſcilicet purgatur* τὰ ὑφ᾽ ὧν φλέγμα *hydropicis verò à quibus aqua* τοῖσι δὲ ὑδρωπιῶσι τὰ ὑφ᾽ ὧν ὕδωρ. *Nec argumentum, quod contra poſſet afferri de leucophlegmatia infirmat hanc ſententiam, nam idem Hip. lib. 2.de morb.tractans de leucophlegmatia deſcribit etiam eiuſdem curationem. Quod ſi aluus,inquit,non turbetur,medicamentū deorſum exhibe,ex quo purgetur aqua* ὕδωρ, *non dicit* φλέγμα. *eandem etiam veritatem agnouit Poeta Lyricus lib.2.carm.dicens.*

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops
D *Nec ſitim pellit niſi cauſa morbi*
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Quin & latinus Hip. libr.3.cap.25. exponens leucophlegmatiæ curationem, incidendum,inquit,eſt ſupra talum quatuor digitis in parte interiori, qua per aliquot dies frequens humor feratur,&c. qui quidem,quod ſit aqua,& non phlegma, teſtis eſt Hip.2. de morb. Ità ſanè, inquit,in aqua intercutem,ſiquidem ſurſum vel deorſum per venas perſpiratio fiat per morbi initia ad crura, & pedes aqua ὕδωρ *fertur, aut* ὕδρωψ, *quod idem eſt apud Hip. & curioſus paſſim animaduertere poterit. Quod autem* ὕδωρ *dicatur ſemper de re liquida, & non craſſa,imò & pro aqua ipſa potabili patet 4. Aph. 19. & 6. Epid.*

& 6. Epid. vbi habetur. Aqua vorax, Græce eſt, ὕδωρ βορὸν ſic lib. de Aere, aquis, & A
loc. paſſim. neque Hip. doctrinę ſectator dubitabit idem ὕδωρ vſurpari etiam pro liqui-
do, & morboſo humore, & aqua, ſic namque lib. de nat. pueri, & lib. de nat. mulier. lo-
quens de peſſo purgante applicando præſertim, inquit, quod aquam ὕδωρ ducit, & lib. de
flatibus proponens hydropis generationem, cuius inquit, cauſa manifeſta eſt; quod ſta-
tim erumpit aqua ὕδωρ; & de nat. mulier. ſi in vteris, inquit, aqua ὕδωρ ſuboborta fuerit;
& paulo infra addit, tractans de hydrope vteri, ſubinde in eis aqua ὕδωρ tanquam in
vtre fluctuat: ſic Hip. paſſim vtitur eodem termino, qui cum aſſumatur ſemper pro li-
quida re, & morboſa aqua ſignificādā, nulla videtur ratio excogitari poſſe, quæ de phleg-
mate illo craſſiſſimo in vtero Cæſareo reperto dicatur. Hactenus ille; qui in nominum
diſquiſitione tempus parum vtiliter in ſui tutelam conterit, & nomina magis,
quam res ipſas facere videtur. Dicebat enim Plato, aſſertore Gal. 4. de vſu par. B
13. *Sapientia, ac doctrina abundantiores ad ſenectutem peruenire, qui nomina negligen-*
tes rebus eſſentialibus ſeſe addicunt; & à Gal. ipſo millies damnantur, qui litem de
nominibus gerendo vitam tranſigunt; Attamen aliqua videtur excuſatione di-
gnus, vt potè qui apud Ariſt. 1. Elench. legerit: *Qui nominum vires ignorant, &*
ſe ipſos ſæpe numero, & alios quoque fallunt; nec non apud Gal. 1. de diff. pulſ. *Oc-*
cupatio circa nomina eſt inuitis nobis neceſſaria. Vnde velimus, nolimus, de nomini-
bus, & vocabulis interdum litē ſubeamus oportet. Aſſertio mea fuit, & eſt, mor-
tis cauſam extitiſſe hydropem abdominis & vteri, quem ſi aquoſum appellaui,
non alia de cauſa factum à me fuit, niſi vt contra diſtingueretur à cęteris hydro-
pis ſpeciebus, quarum altera ſub leucophlegmatiæ, & altera, ſi ventris tumorē
reſpicimus, ſub tympanitis, ſed ſi vteri extuberantiam, ſub inflationis nomine C
comprehenditur; at non ità anguſtè, & exquiſitè meum ſermonē accipi velim,
vt in vtroque hydrope aquoſum ſolummodo, & morbum humorem liquidum
repertum fuiſſe ſignificet, quando ex tranſmiſſa hiſtoria facillimè cognoſcere
potui, in vteri, & abdominis cauitatibus copioſam in primis, & craſſam, ac vi-
ſcidam pituitam ſtabulantem eſſe adinuentam, & nemo etiā mediter in arte ver-
ſatus ignorat, omnes hydropis differentias in quouis hydrope præſertim con-
ſummato ſimul adeſſe. Quis enim vidit vnquam tympanitem à flatulento ſpiri-
tu intra ventris loca concaua collecto, abſque aſcitis miſcella, & leucophlegma-
tiæ rudimento? Imò, vt rectè dixit Cælius Aurelianus, niſi flatus multæ aquæ
permiſtus inueniretur, hydrops uocari minimè poſſet. Quod ſi Hip. 4. Aph. ij. D
hydropem morbum ſiccum appellat, hoc facit, non quòd ullus ſit ſiccus hy-
drops, ſed quod alteri comparatus, non ità humidus eſt. In ſumma, ubi aqua, &
humor frigidus, ſiue craſſus, ſiue liquidus, ibi flatus eleuantur, & ubi flatus, &
ſpiritus, ibidem, & materiā, ex qua oriuntur, ſubeſſe neceſſe eſt. Cognouit hoc
etiam Plato in Timæo, ubi de lucophlegmatia loquens, eiuſque origine, colli-
quationem eſſe ait carnis tenerioris una cum ſpiritu factam; quæ ex humidita-
te lento circūfuſa intumeſcit; qua de re legatur inter alios Paulus Aegin. lib. 3.
cap. proprio. Hæc autem ideò attuli, ut omnibus, qui hæc mea legerint, abundè
pateat, ſi uteri hydropem aquoſum uocaui, non propterea me negare, quin &
flatus,

A flatus,& multo magis craſſa lentaque pituita ſenſui manifeſta,in S. A. vtero ad-
eſſent. Quia verò phlegma illud nõ intra vteri ſubſtantiam erat imbibitum, ſed
in cauita e tantummodo ſubſidebat,propterea libuit ad aſcitẽ potius, ſeu aquo-
ſum hydropem appellatum redigere, quàm ad albam pituitam, ſub qua carnes
craſſiori potiſſimum phlegmate imbutæ,ac enutritæ apparent. Viſum nihilo-
minus eſt viro egregio,nec in eo ſugillare,quod aquam,& phlegma confunde-
re videar, neſciens apud Hip. & alios aliud omnino eſſe ὕδωρ, & aliud φλέγμα.
Quod ſanè ſi tantummodo penes modum tenuioris, aut craſſioris ſubſtãtiæ in-
telligatur,non inuitus ibo in eius ſententiam, ſed ſi mentis acies ad rei naturam
vertatur,cognoſcent vtique omnes, nullius penitus momenti eſſe litigium cir-
ca nomina hoc in loco ſuſcitatum. Pro me namq;ſatis ſuperque eſt,pituitoſum
B humorem nominari à veteribus, in quo humiditas, frigiditaſque dominantur,
& hoc imprimis,& maximè ſcatere corpora illorum,qui hydrope quouis labo-
rant;cuius etiam generatio, præter externas cauſas, quas ad id mali genus pari-
ter concurrere nemo eſt,qui ignoret, accepta refertur frigidioribus intempera-
turis partium nutritoriæ œconomiæ inſeruientium, inter quas non ignoramus
principem locum hepar tenere. Ad hoc ſiquidem viſcus tam bonorum, quàm
malorum humorum prouentus,& ſcaturigo maximè pertinet. Differentia verò
illa, quam ego viſus ſum non magni facere inter pituitam aqueam, & pituitam
craſſam,an ea ſit,quæ ſuſpicionem de hydrope in vtero longe arcere valeat, in
poſterum vel à medico alterius opinionis iudicium feratur; etiam ſi in hoc me
C magis arguit quod probati quique medicinæ ſcriptores, vbi de vterino hydro-
pe verba faciunt, nunquam phlegmatis, ſed aquæ ex vtero proiectæ memine-
runt,& ideo ità ille ſubiungit. *Preterea ſi quorumcunque ſcriptorum monumenta de
hydrope vteri legantur, que hactenus in lucem prodierunt, nulla poſteritati teſtantur,
phlegma ne dum craſſiſſimum in vteris fuiſſe repertum. Rhaſis. 15. contin. cap. 4. refert
de lotrice pannorum, quæ cum grauida ſe reputaret, poſtea inquit multum aquæ croceæ
per vterum miſit. Iacobus de partibus cum ad lib. tertium ſen. 21. tract. 25. narrat ex
generoſa N. Domina poſt omnium rerum ad partum neceſſarium apparatum, partus tẽ-
pore multum aquæ ſolum ex vtero effluxiſſe, & idem ibidem addit hiſtoriam eius mu-
lieris, quæ ſe geſtare per tres annos putauerat cui tandem niſi aquoſus humor prodijt.*
D *Marcellus Donatus Hiſt. med. mirab. lib. 4. ca. 21. adducit hiſtoriam de quadam mulie-
re, quæ vtero ſe gerere credebat, & poſt a varia ſymptomata, & mortem ſecto cada-
uere, vterus fuit aqua plenus Eraſtus par. 4. diſput. aduerſus Paracel. refert de Virgi-
ne, quæ in vtero aquam collegit auditu, & tactu perceptibilem, cum ad latus decubitus
fluctuaret, cum aliàs optimi eſſet corporis habitus, & integra frueretur valetudine.
Reſque addit, oſtendit aquam in utero ſine noxa hepatis coaceruatam fuiſſe. Iacobus Oe-
teus lib. obſeru. prop. affert hiſtoriam leproſa, quæ omnia geſtationis ſigna referebat, cũ
verò longius protraheretur partus, poſt multorum ſymptomatum tormenta, & medi-
camentorum vſum, tandem obijt, in cuius vtero ſcatebat multa aqua citrina putrida,
cum hepar, & reliqua viſcera optimè ſe haberent. Sic Oeta Auguſtanus refert in hiſto-
ria eius mulieris, quæ in hydropem incidit, & quæ nunquam conceperat, fluxu tamen*

menſtruo-

menſtruorum bene reſpondere, niſi ab anno ante obitum, poſt quem exciſo vtero, erupe- A
runt aquæ citrinæ perlucidæ lib. 70. et Hyeronymus Faber affert etiam hiſtoriam cuiuſdam mu-
lieris, quæ poſt partum, adeo tumidum retinuit ventrem, vt omnibus videretur alter
adhuc fœtus ſubeſſe, nihil tamen apparuit, inquit, deinceps, ſed poſt iteratam conceptio-
nem, & partum, ventre adhuc ad magnam amplitudinem protuberante obijt, & poſt
ſectionem vteri effluxit aquæ cruentatæ incredibilis copia, vteri vero ea videtur eſſe
capacitas, vt puer decem annorum deliteſcere poſſet. Idem etiam patet in hiſtoria, quam
Crucius ipſe affert de muliere Auguſtana, & alijs, vt patet; hucuſque ille. Quantū
igitur ad obiectionem de nomine ſpectat, quàm parum valeat pro hydrope de-
negando non dubito, quin omnibus manifeſtiſſimum ſit; reſpondeoque nihil
penitus ad hydropis eſſentiam conſtituendam referre, ſi humor qui peccat, &
morbum facit, aquoſus, pituitoſuſuè, ſeu phlegmaticus humor appelletur, dum B
modo virtute & qualitatibus inter ſeſe minimè diſcrepent, ſaltē primarijs, quæ
ambobus frigidæ, & humidæ inſunt. & tam hic, quam ille hydrops, ſi de interna
tantum origine loquimur, ab imbecillo, & valde imminuto calore cum hepatis,
aliarumque dictarum partium, tum ipſiuſmet vteri male affecti, & refrigerati
progignatur, vt de omnibus hydropicis paſſim à meliori ſchola creditur. Vnde
etiam factum eſt, vt Ioannes Zecchius in ſuis conſult. con. 39. loquens de vteri
hydrope in fęmina honeſtiſſima probum, decentemq; adhuc colorem retinente,
& cum notis bene valentis iecinoris, ità ſcripſerit: *Cauſam interiorem, & proxi-*
mam ſiue ſtatuamus aquoſum humorem, ſanguinis nimirum mēſtrui diu retenti, nulla-
que viſcida aquoſæ pituitæ copia referri ſerum, quod pelliculis quibuſdam in vteri capa- C
citate adunatis continetur, ſiue ſecundum Arabes cauſam hanc referamus in aquoſam hu-
miditatem inter vteri tunicas conceptam, aut in humorem quemdam pituitoſum vteri
ſubſtantiæ inhæreſcentem tumoris inſtar teſtes exercentis, vt vt ſit, hæ differentiæ cu-
rationem non variant; quibus è verbis quanti faciat Vir præclariſſimus in hydro-
pe vteri, vtrum aquoſa in eo ſit, & ſtabuletur humiditas, an humor pituitoſus
vtero ipſi adhærens, quiuis facile iudicabit. Vtrum verò maior ſit receſſus à na-
turali ſtatu, & conſequenter calor ſit magis labefactatus in hydrope aſcite, in
quo aquea pituita prædominatur, an in leucophlegmatia, & Anaſarca, in qua
craſſior pituita abundat, res eſt, quæ paulo poſt quam breuiſſime enodabitur;
nunc ſufficit diſcrimen penes magis, & minus vocatum ſpeciem non variare, & D
in ſingulo quoque hydrope diutius perſeuerante alios vnà ſimul complicari.
Quare in præaddućto loco Zecchius ita pariter ſcribit: *Sed præter affectionem*
hanc valdè ſuſpicor, perilluſtrem mulierem vteri iugiter inflatione laborare. Etenim,
vt ventris hydrops aquoſa à tympanitide rarò ſeparatur, ità & vteri hydrops infla-
tionem ferè ſemper ſibi iungit. Altimarus autem de maiori, aut minori frigiditate
pituitoſi, vel aquei, & feroſi excrementi verba faciens in de med. hum. corp. ma-
lis. cap. 91. vbi docet à frigidiori iecinoris intemperie leucophlegmatiam fieri,
quam aſcitem, ſubiungit. *Quantò etenim pituitoſum excrementum ſeroſo, ac tenui*
humore frigidius exiſtit, tanto anaſarca, quæ ex iam dicto pituitoſo excremento excita-
tur, à frigidiori intemperie generationem habebit, quàm aſcites, qui ex ſeroſo excremen-

to pro-

A *to produeitur*. Cui, & ego nunc aſſentiēdum magis, eſſe puto, quam Valleſio, qui lib. 4. acut. 4. Epid. comm. 42. anaſarcam minorem habere frigiditatem, quam alias hydropis differentias memoriæ proditum reliquit. Quod verò ὕδωρ, & φλέγμα promiſcuè non rarò vſurpentur, quodque à me cum ratione aqua pro phlegmate poſita ſit, probabo quam facillime, etiam per doctrinam Hip. cuius loca in hac re aduerſum me allata intimius erant conſideranda. In primis enim frequentiſſimum eſt apud Hip. imò, & apud Platonē in Timæo, nomine aquæ, pituitam intelligi: vnde Hip. 2. de mor. vbi ſcribit Vuam fieri quando ſumma pars gargareonis aqua repletur, meam clare confirmat opinionem. Ibi namque ὕδωρ, & non φλέγμα legitur, cū ex altera parte licet columellæ affectus ab omni poſſint humore fieri, caſus nihilominus vuæ à pituita maxime oriatur, quodq;
B ibi Hip. aquam pro pituita ponat, ante me etiam notauit Mercurialis in ſua Praxi cap. de Tonſillis, & vua, ſubiungens & ipſe hoc eſſe apud Hipp. frequentiſſimum. Preterea quorſum putamus Hip. 1. de natura hom. 2 ſ. dum vult humores noſtri corporis elementorum primorum, ex quibus fiunt, & ſpeciebus, & naturæ proportione reſpondere, ſtatim addere, bilem igni, ſanguinem aeri, pituitam aquæ, & atrum humorem terræ ſimilem eſſe? Sic & Gal. non vno in loco dum ſanguinem, ſeu ſanguinariam maſſam vino ex muſto expreſſo comparat, & in vino tradit quatuor ſimul ſubſtantiæ diuerſæ partes reperiri, florem, fęcem, & aqueam partem, & vineam, non ne pituitam aquæ ipſi vult proportione reſpondere? Id quod ſimiliter legitur apud Alexandrum 2. probl. 94. Ex quibus apparet, ne floci quidem fieri debere, ſeu ὕδωρ ſeu φλέγμα pituita vocetur. Quid ſi,
C cum videam Virum egregiū vocabulorum ethymo tantopere addictum, ac tantam inter aquam, & phlegma differentiam collocare (vnde, & infra ex craſſiſſimi phlegmatis circumcirca iecur ſtabulantis multitudine, iecoris ipſius caliditatem ſe probare poſſe putat) in eam venirem ſuſpicionem, vt etiam cogitet, & omnino velit, quod ὕδωρ, & φλέγμα, ſicuti diuerſa ſunt nomina, ita quoque diſſimilis eſſe temperiei, contrariæque naturæ? Nam ſi vim nominis ſolam conſideramus, primo intuitu quid aliud vox hæc φλέγμα præſefert, quam flammeū calorem, & veluti phlogoſim quandam, & accenſionem? Deducta eſt enim ἀπὸ τοῦ φλέγειν, in qua etiam ſignificatione dictio eadem eſt apud Hipp. 2. prognoſt. tex. 06. niſi tamen quibuſdam magis placeat, quod legitur τοῦ φλέγματος
D legendum fore τῆς φλεγμονῆς. Quinimò nonnulla quoque poſſunt excogitari pro hac parte confirmanda, & in primis quia Ariſt. in lib. de ſen. & ſenſ. aquam friabilem eſſe ſtatuit, ſed friabilitas lentori contrariatur. Inſuper multa eorū corporum, quæ lenta ſunt, aquæ cōtraria inueniuntur, ſed ita phlegmati craſſo, vti exempli gratia, viſcum, quod lētum omnino eſt, & tamē calidi eſt tēperamenti, lentum quoque ſimul oleum, & pingue omne, vti, mel, pix, & reſina, quæ tamen cum caliditate non humiditatem, ſed ſiccitatem coniunctam habent. Ad quæ ità breuiter. Licet pituita à Græcis *phlegma* appellata humor omnino ſit frigidus, attamen apud illos nomen obtinuit rei eſſentiæ contrarium ſignificans, quod videns Alex. Trall. lib. 12. cap. 2. aut alij potius apud ipſum, dixere, id factum

eſſe,

eſſe,quia cum humidus ſit,& craſſus,valde idoneus eſt ad obſtruendum, & pu- A
treſcendum,ſed hæc ratio parum veriſimilis eſt,quoniam nõ omnis,& quæuis
pituita merito ſubſtantiæ apta nata eſt vt obſtruat, quia quæ tenuis, & liquida
exiſtit;vix poteſt obſtruere, & omnis pituita merito temperamenti ineptiſſima
eſt omnium,vt accendatur;ideoq; rectius cenſere putantur qui φλέγμα κατ᾽ἀντί-
φρασιν dictũ exiſtimant,eo quod cum frigidiſſimum ſit,difficillime omnium ac-
cendatur.Præterea quod in noſtro corpore toto glutinoſiſſimum eſt,id pituito-
ſum eſſe ſcimus, veluti nihil in eo glutinoſum reperiri, quod expers pituitæ ſit;
vnde nullus in nobis albus humor,qui lentorem in ſe nõ habeat; vt de eius na-
tura generatim lentor ſit,quod ſi Hip. ad finem lib. de nat. hom. inter humores
viſcidiſſimam eſſe atram bilem ſcripſit,cum tamẽ ſciamus eam,& ab Hip. ipſo,
& à Platone ſimiliter comparari terræ, quæ inter elemẽta ſuapte natura expers B
eſt omnis lentoris,fortaſſe dicendum cum Gal. ſpuriam illã eſſe libri illius par-
tem,nec talem ſententiam Hip. eſſe. Illud certè verum eſt,etſi lentor omni com-
petat pituitæ,nihilotamen quandam pituitæ differentiam in hoc ab alijs diſtin-
ctam dari, quæ cum cęteris eius ſpeciebus glutinoſior ſit, viſcidæ,& lentæ,ap-
pellatione inſignitur, ſed naturam, atque temperiem genuinam minime relin-
quit; ſi verò Ariſt.aquam friabilem vocat,id non abſolute intelligit, ſed quate-
nus comparatur oleo,quod adeò lentum, craſſum, & continens eſt; vt nullo cũ
humore miſceri patiatur; alioquin enim velut in nullo præter aquam elemento
glutinandi vis agnoſcitur, nihilq; noſtris in rebus compactum ſine aqua eſſe po
teſt,ita quæ ex ijſdem glutinoſa ſunt, aquam referunt; qui ſane lentor ex aquæ
non frigiditate eſt, ſed humiditate,cuius ſolius munus eſſe conſtat ſicca, & ter- C
rena coniungere; Hinc ceſſat admiratio,cur non in ijs tãtum,quæ exiguum ha-
bent calorem reperiatur,quemadmodum in pſyllio,& malua,ſed etiam in mul-
to calidioribus,vt in piſce,reſina,& melle, quorũ licet aliqua ſint poteſtate ſic-
ca, vtpote in quibus terrenæ ſimul partes multæ ſunt, humida tamen actu ſub-
ſtantia apparent,quæ ſi fortè pereat,& reſoluatur,vna quoque, & lentor euane
ſcit,veluti in vetuſtiori pice,reſina,& cera quotidiè animaduertitur. Ad Hip.ve
rò loca in quibus,& ὕδρωψ habet, quod ſeroſum quid ſignificat,potiſſimum ve
rò ſeroſum cruentumque illud excrementum , quod mulierum partum præce-
dere ſolet,cuius mentio eſt Hip. ipſi in lib.de nat. foet. nec non & Ariſtot. 7. de
hiſt.anim.cap. 9. quanquam eius non aſſecutus ſententiam Theodorus Gaza D
aquam ſubter cutem fuſam conuertit;& ὕδωρ,per quam uocem aquam à phleg
mate diſtinguere videtur,quomodo reſpõdebimus? Per τὸ ὕδωρ,de quo hic ſer-
mo,Hipp.intelligere voluiſſe atrum humorem,cuius receptaculum lienem eſſe
ſcribit lib.4.de morb.ex quo quidem humore illius uiſceris tumores maxime gi-
gni non ignoramus præſertim verò etiam, ſi conſideremus eundem Auctorem
ſcribere ὑδρῶπα febres facere neque fortes,neque diuturnas; cum ex altera par-
te ſciant omnes,bilem atram,& craſſiſſimam eſſe,& febres,neq; imbecillas,neq;
ſolutu breues efficere, huius tamẽ aquei humoris fons,& receptaculũ cũ liẽ eſſe
dicitur,intelligi hoc debet præter naturam, quoniam ſecundum naturam atri,

& me-

A & melancholici humoris ſedes habetur, quomodo, & caput pituitæ metropo-
lis, & origo vocatur; quod ſecundum naturam pars non eſt ad tale excipiendũ
excrementum genita. Scio non deeſſe qui dicunt, ſcriptorem illum atrũ humo-
rem nõ cognouiſſe, quod falſum puto, vel nomine bilis, tum flauam, tũ atram
accepiſſe, per ὕδωρ verò ſeroſam, & aqueam ſanguinariæ maſſæ ſubſtantiã ſi-
gnificaſſe. At mihi magis probatur per eiuſmodi vocem, melãcholicum ipſum
humorem intelligi, quem per τὸ ὕδωρ deſignare nobis voluit, quia, vt alibi di-
fuſius enarraui, vbi ater, & melancholicus viget humor, inſiti uis caloris clan-
guet, ex quo melancholici omnes pituitoſis quoq; & aquoſis humoribus vn-
dequaq; ſcatent. Non ergo ex citatis Hip. locis tam conſtanter concludẽdum
erat, phlegma apud Hip. de craſſa ſolum, & lẽta, qualis vitrea eſt, pituita effer-
B ri? Certe de tenui quoq; & fluida materia frigida apud eum, & alios phlegma
accipi dubitandum non eſt, nemoq; non in dies videt noſtro in corpore liqui-
dam pituitam a capite ad pectus, & ventrem labi, ibiq; inſpiſſari, & concre-
ſcere. A calore enim quantumuis debili ſoluta in vaporẽ parte tenuiori, quod
relinquitur craſſeſcit, vt quæ in pulmonibus, & articulis hæret diutius, inter-
dum lapideſcit, velut in veſſica, & vtero ipſo, a quibus partibus aliquando ex-
creti ſunt lapides ab huiuſmodi potiſſimũ materia ortum habẽtes. Quid quod
phlegma ipſum craſſum frequenter eliqueſcit, & in aqueam ſubſtantiã dege-
nerat? Vnde quæſo factũ putat Vir Excell. vt Hip. in curanda alba pituita, ſeu
leucophlegmatia medicamentum proponat hydragogon, nõ phlegmagogõ?
C Ex hoc ſolo æſtimet vnuſquiſq; quanti faciat Hip. differẽtiam paulo ſupra al-
latam inter pituitam aqueam, & non aqueam, in quem ſimiliter ſenſum credi
debet a nobis, eũdem. 7. Aph. 25. ita ſcripſiſſe. *A pituita alba correpto, ſi alui pro-
fluuium ſucceſſerit vehemens, tollit morbum* Sed quomodo hic hydrops diarrhea
ſoluitur vehementi, vel, vt interpretatur Philoteus, diuturna? *Quoniam*, vt idẽ
ait, *euacuatur cauſa morbum faciens*. Et quod de aquoſo alui profluuio Hip. ſer-
mo præcipuè intelligendus ſit, colligo ego quam facillime ex eiuſdem doctri-
na in coac. prænot. vbi pro leucophlegmatia vniuerſe ὕδρωπα ponẽs, ſic loqui-
tur. *Incipienti hydropi alui profluuium ὑδατῶδες ſine cruditate morbum ſoluit*. Hinc
docemur, in omni hydrope, & præſertim in Aſcite, & Anaſarca verã eſſe Hip.
D ſententiam, vt propterea parum referre ſcribant Hollerius, atq; Iacotius, ſiue
hyderum dicas, vt in Coac. ſiue λευκὸν φλέγμα, vt in Aph. Quamobrẽ idẽ Hip.
2. de mor. iam cit. in curatione leucophlegmatiæ, ita etiam tradit; *Huic ſi quidẽ
venter ſua ſponte turbatus fuerit in principio morbi, proximus ſanitati eſt, ſi verò nõ
turbetur, medicamẽtũ deorſum purgãs dato, a quo aqua purgetur*. Qui locus, & ipſe
pro me mirificè ſtat, cũ per eũ clarè cognoſcatur ad hydropis ẽt vterini eſſen-
tiã, ex qua recta pẽdet curatio, cõſtituẽdã, minimè obſtare, ſi quę in vtero lati-
tat pituita, dẽſa ſit, & craſſa, aut liquida, & fluida; licet hoc frequentius contin-
gat. In leucophlegmatia. n. ſi nominis vim ſolã, & nõ rei naturã ſpectemus, nõ-
ne potiſſimũ φλέγμα, & nõ ὕδωρ peccat? Nihilo tamẽ in ea Hip. medicamentũ
laudat, à quo profluuiũ aquoſũ fiat: In vtero autẽ earũ mulierũ, quæ vere vte-
rino hydrope laboraſſe dicũtur a varijs medicinę ſcriptoribus, quis putat, ſolã

& merá ad fuiſſe aquã? Imò nec in S. A. phlegma ſolũ craſſũ fuiſſe iudico, ſed A
& phlegma aqueũ, nec tamẽ cõtra oculatũ ſenſum me velle pugnare credẽdũ
eſt; quoniã ſi ſecto vtero talis humor nõ apparuit, ob id fortaſſe euenit; quod
aquoſa materia tenuior, partim per diaphoreſim reſoluta eſt vi chymicorũ in
primis medicamẽtorũ, partĩ per os cũ vomitu, & per ſedẽ iniectione tot enema
tũ, partim vero ẽt ad vrinæ vias demãdata fuit, vt hinc iatrochymicus, q in li-
teris eſt, crediderit alias, ſe eã à molis liberaſſe copioſis emictis vrinis. In Bione
tumor lienis prædurus nõ niſi per vrinã copioſã ſolutus diſparuit. 1. Epid. Quã
to magis id cõtingere potuit in tumore vteri aquoſo, vt multorum ẽt teſtatur
obſeruatio? Cur in fluore muliebri diuretica tantopere vtilia ſunt. In ſumma
libenter conceſſerim, ſtabulantem in vtero pituitam a prædominio craſſam,
denſamque fuiſſe, non tamẽ abſq; etiam tum craſſorum flatuum, tum aqueæ B
materiæ miſcella, vt ſenſus in tot alijs poſt obitum indicauit. Scriptores vero
illi de aqua tantummodo, vt pote prædominãte, & ex vtero prompte dilaben-
te verba fecere. Ad alia mox veniamus, quæ hunc in modum ſe habent. *Præte-
rea Hip. lib. de nat. mul. tractans de hydrope vteri, & libr. 4. de mor. inter præcipua
eius affectus ſigna affert febrem, idem etiam repetebat lib. de mor. mul. & alibi paſ-
ſim, in hydrope vterino recognoſcit febrem, qua S. A. non laborabat. Secundò idem
Hip. eiſdem in locis inter ſigna pathognomonica huius affectus, tumorem ponit circa in-
feriorem hypogaſtrij, & pubis regionem, quo omninò caruit D. A. & adeo vt Dona-
tus Fraduoldus Chymicus hoc deceptus crediderit, nihil in matrice ſubeſſe ac molam
ſuis medicamentis fuiſſe depulſam, & per vrinam, quod inter reliqua deliramenta* C
*chymicæ ipſius eſſe recipiendum iampridem, & ante obitum D. A. publice ſemper te-
ſtatus ſui, & Sereniſſimo Ferdinando II. Bohemiæ Regi* (Hic nũc eſt Auguſtiſſimus
Imperator, quem Deus Omnipotens Chriſtianorum Orbi diutiſſime ſeruet
incolumem) *Tertio, idem Hip. eiſdem in locis inter ſigna pathognomonica etiam re-
fert eſſe fluctuationem vteris, inquit, aqua oppletis ſubinde in eis aqua vt op tan-
quam in vtre fluctuat, quod nunquam D. A. perſentijt, atque chymicus animaduertit,
neque apparet, vel adinueniri poteſt ratio, qua poſſit vnquam talis fluctuatio prædi-
cari, vt logicè loquar, de phlegmate illo craſſiſſimo. Neque cauſæ vterini hydropis
quas afferunt literæ ex Hip. & Aetio ſatisfaciunt, & ſi quæcunq; mulieres quæ occul-
tatione menſtruorum laborant, conſequenter etiam, & hydropem vterinum paterentur,* D
*tur, infinitus ferè eſſet talium infelicium fœminarum numerus, at hoc experientia ma-
nifeſtiſſime repugnat; meritò igitur talis cauſa reijcitur, ſi ſola conſideretur pro ſimili
affectu generando*, & cæt. Quod S. A. febre careret, quoniam ita refertur, nõ eſt
cur ĩ dubiũ vertã, eo magis, quia & ego ijs facile aſſentior, qui animal interire
poſſe exiſtimant citra febrem ipſam, ſeu id intelligatur de naturali, ſeu etiã de
violenta morte, licet negari haudquaquam poſſit, in naturis frigidioribus, &
in humorum frigidorum multitudine febrẽ ſæpe latitare, ac veluti ſepultã vix
dignoſci. Quo reſpiciẽs Hip. 1. Aph. dixit *febres in ſenibus non adeo acutas eſſe, vt
in iuuenibus*, quoniã ſcil. ſenilia corpora frigida ſĩt, & quia etiã, vt addi poteſt,
frigidis omnino ſcatent humoribus, vnde hiſce de cauſis Auicennas ſimiliter
ſenũ febres vocabat occultas; cũ quibus pariter facit, & Auerr. qui iuxta eun-
dem

A dem ſenſum ſcripſit, *calorem præternaturalem menſurari menſura caloris naturalis.* Quin imò Hip. ipſe 2. de mor. dum inter ſigna hydropis febrem collocat, ex altera parte impoſſibile eſſe tradit, vt febris magna fiat, & diuturna in aqua; quia aqua illi contraria eſt: idcirco nõ temerè hoc in loco aliqua haberi poteſt de febricula ſuſpicio, eo magis, quia ex vtero ipſo tanquam ex auerno lacu prauas auras in principalia viſcera, & cor præcipuè expirari conſueuiſſe ſcribit; præterquamquod additur, in ventre ſupra vterum magnam bilis copiam cum aquoſa copulata materia ſtabulari ſolitam fuiſſe, & inexplebilẽ ſimul adfuiſſe ſitim in diſputatione refertur. Quod ſymptoma quam proprium etiam, & peculiare ſit hydropis, & maximè aſcitis, vel lippis, & tõſoribus notiſſimum eſt. Verum, ne videar alicui inuehere, & introducere rurſus in medicinam paſſio-
B nem illam iam a Galeno exploſam in Arte parua, quam vocat ἀειπάθειαν, ideſt ſempiternam paſſionem, quæ eſt læſio vix ſenſibilis, cum per eundem ſciamus morbum eſſe læſionem ſenſibilem, dabo & ipſe libentiſſimè nullam penitus in S. A. adfuiſſe febrem, & Hip. in vterino hydrope eam notaſſe. An ex hoc propterea concludendum, illam vterino hydrope laborare non potuiſſe? Nollem Virum egregium tam cito obliuiſci hiſtoriæ ex Veſalio a me relatæ, cuius & ipſe meminit, aut ſaltem alterius, quã ipſemet recitat ex Thoma Eraſto lib. 4. Diſput. in Paracel. dico de Virgine, quæ vtero aquam collegit tactu, & auditu perceptibilem, cum ad latus decubitus fluctuaret, alias optimi corporis habitus, & integra valetudine fruẽte. Quoad Hip. vero, dixerim illum more ſuo in
C adductis locis fuiſſe locutum, notando ſcil. id, quod aliquãdo contingere obſeruauit; quid ni vt plurimum, & maiori ex parte? quia apud nos contrarium perſæpe apparet, nemoque è medicis eſt, qui perquam frequenter in medendo non animaduerterit, multas mulieres hydrope vterino laborãtes cum ſuſpicione etiam geſtationis in vtero, in quibus ne minima quidem reperitur febris imò nec vlla prorſus alia moleſtia. Quod præterea venter totus S. A. protuberaret, tu mihi, Ludouice amatiſſime, conſtãter affirmaſti, ita vt etiam de vteri regione tumidiori a nemine poſſet dubitari, in muliere præſertim, cui menſes a tam multo tempore reſtiterant, in cuius cadauere circa vteri, & abdominis partes copioſa admodum humorum colluuies fuit adinuenta; & quæ demum
D credita eſt à medicis, & obſtetricibus vtero gerere, vt iam ad magnos Principes de hac re literæ cõſcriptæ fuiſſent. At in literis poſtremo exaratis negatur, vllum adfuiſſe tumorẽ ad vteri, & hypogaſtrij loca; cur ergo ab omnibus medicis tamdiu creditum eſt, illam vtero gerere, nulla apparente hypogaſtrij extuberantia? venter enim hoc in caſu ſolet eſſe plenus, & tanquam prægnantis, vt Hipp. & Paulus aſſeuerant. An hallucinatio potius ex maiori Epygaſtrij, quam hypogaſtrij tumore? alioqui enim quanta fides habenda ſit huic teſtimonio, & relationi, quiuis dignoſcat ex eo, quod a medico ipſo ſcribitur. *Vterus erat valde magnus, plenus humore pituitoſo craſſiſſimo.* Norunt etenim omnes ex Anatomica obſeruatione, vteros in cunctis mulieribus, quæ nunquam conceperunt, puſillos admodum eſſe, quemadmodum in

vetulis,atque virginibus,ob rationes à Gal.allatas 14.de vſu part.4. Variat ſi A
quidem vteri magnitudo pro ætate,temperie, venereorum vſu, muliebri pro-
fluuio,corporis proceritate,atque fœtura. Vnde hic ergo tanta vteri magnitu-
do,niſi à materia inibi copioſè collecta, atque etiam,ni fallor, magna ex par-
te flatulenta membranoſum vterum hincinde diſtendente, modò cum dolori-
bus,vt ex literis colligo, modò ſine illi,pro vt ſcilicet confertim, & ἀθρόον, ali-
quando, vel ſenſim adeò, & paulatim interdum fiebat alteratio, vt vel nulla,
vel obſcura ſolum ab ea ſentiretur mala ſenſatio. Quo ad fluctuationem, dico
hanc pro uario in latera decubitu in tumore tãtummodo vteri verè aqueo per-
ceptibilem eſſe,non ità in præſenti,quam multo maior craſſioris, quam liqui-
dæ pituitæ portio efficiebat;quod verò deniq; ſuſpectæ ſint alteri medico cau-
ſæ huius hydropis ex Hipp. & Aetio a me relatæ, nimirum propter menſium B
occultationem, eo quod infinitæ propemodum ſint fęminæ, in quibus men-
ſtruæ cohibitæ purgationes hunc ipſum nihilominus affectum nunquam fa-
ciunt,vereor ſanè multum, ne ſophiſtam hic agere potius velit, quam philo-
ſophum. *Qui autem ſophiſtice loquitur, odibilis eſt, & omni ſapientia defraudatus,*
vt legitur in Eccleſiaſt. cap. 37. ſed cur obſecro cauſam non affert tam vanæ
opinionis? Receptum eſt enim iam mille ab hinc ante retro ſeculis apud rei
medicæ ſcriptores, euacuationes omnes tam violentas, & præternaturales,
quam ordinatim,& ſecundum naturæ inſtitutum prodeuntes,ſi præter ratio-
nem,& citius quam par ſit deliteſcant,& cohibeantur,ſęuiſſima inuehere ſym
ptomata, vitioſorum humorum palyndrome facta,& inter illa, cachexiam, & C
hydropem omnem adeſſe; quare nulla eſt apud Hip. & Gal. decantata magis;
Cur id ergo veriſſimum quoque non erit in naturali hæmorrhoidum (quod
de Traiano refert Dion Caſſius) & præcipuè menſium purgatione retenta?
ſub qua ſi hydrops abdominis paſſim fit in mulieribus cur non,& vterinus,vt
iam ex Hipp. & Aetio oſtendimus? quando quidem Hipp. ipſe 5. Aph. 57. ità
ſcribit. *Si menſtrua immodicè fluunt, morbi accidunt, & ſi ſupprimuntur ex vtero*
morbi eueniunt. Quod etenim inter morbos,qui ab huiuſmodi cauſa oriuntur,
hydrops maximè ſit, inſtar omnium eſſe poteſt Gal. auctoritas non ſolum 5.
de loc. affect. 7. ſed etiam 2. de natural. facult. 8. vbi hæc leguntur. *Si quidem*
ex diuturnis hæmorrhoidibus retentis, aut immodica vacuatione hominem ad extre- D
mam frigiditatem ducentibus non ſemel, aut bis, ſed ſæpe iam aquas intercutem colle-
ctas vidimus, quemadmodum etiam mulieribus tum menſtruæ purgationis omnimo-
da ceſſatio, tum immodica vacuatio, cum ſcil. vehementer ſanguinis profluuio labora-
uerint, hydropem accerſiuerunt. Quorum verborum teſtimonium ſi Pereda Vir
alioqui oculatiſſimus attentè conſideraſſet vna cum quotidiana experiẽtia in
ſuis ſchol. ad Paſchaſij Meth. cur. morb. cap. de hydrope, dubio procul non
ſcripſiſſet immoderatam menſium vacuationem, nec hydropem, nec cache-
xiam efficere. Quandoquidem ſi Gal. de cur. rat. per ſang. miſſ. capit. 19.
dicere videtur, mala illa ex huiuſmodi menſium purgatione minimè fie-
ri, eo quod ſecundum naturam fit, quis non videt, eum non loqui de
illa

A illa ſanguinis menſtrui vacuatione, quæ tum copia, tum tempore naturæ ordinem, ac limites tranſiliat: Immoderatæ ſi quidem illius ſanguinis excretioni ſuccedere cachexiam, & hydropem ſæpe teſtatur idem Gal. & in dies a nobis obſeruatur, quemadmodum certo conſtat apud omnes, nemine ambigente, eadem ſuppreſſa purgatione vtrumque vitium ſuboriri. Cur me ergo hac in re arguit Vir. Eccellentiſſimus, & cauſam hydropis à me poſitam, & ab omnibus libentiſſimè receptam reſpuit? Vnde rurſus aſſero hanc ſolam, & vnicam cauſam validiſſimam eſſe ad hydropem omnem in fœminis omnibus progignendum, ſed multo magis in ijs, quæ otioſam, & ſedentariam vitam degunt, nec non lautè, & opipare viuunt, largiori cum cibo, tum potu frequenter vtentes, veluti in re noſtra manifeſte refertur. In huiuſmodi enim mulieribus, cibo
B labores, imò natiuum ſuperante calorem, ingens variorum excrementorum cumulus hic, & illic colligitur, quæ excrementa ſi fortè fortuna, cotyledonum via obſtructa, ad ſupernas partes remeare cogantur, facilè per uenas ad hepar delata, inſitum illius vis ceris calorem, æque ac numeroſa ligna modicum ignem; extinguere poſſunt. Quod ſi fit, vt eſt communis omnium medicorum ſententia, in membro tam calido, in quo nimirum ſanguis cum cęteris humoribus gignitur, & elaboratur, cur non etiam in vtero, in quo exilior valdè calor, & ex menſium diuturna in eius locis cohibitione quaſi obrutus eſt, & extinctus, idem contingere poterit? Vt enim ex illo, quod eſt ſanguinis officina, labefactato hydrops magis vniuerſalis, ità ex hoc altero valdè inferiori malè affecto, ac debilitato hydrops tantum particularis, & proprius oriri ſolet.
C Ideo nodum in ſcirpo quærit, qui veritate non acquieſcit. Nullus autem è medicis eſt qui leuiter etiam phyſica delibauerit axiomata, cui non clare pateat, ab vna, & eadem efficiente cauſa varios, & diuerſos produci poſſe effectus iuxta ſcil. variam, atque diſſimilem ſubiecti rationem, vt propterea ex eo, quod multæ fęminæ menſium ſuppreſſione laborantes hydropem minime incurrant, nullo pacto eſſet inferendum, prædictam cauſam habere non potuiſſe locum in generatione hydropis. S.A. de qua præſertim ſcribitur, ſecundum partes quaſdam propenſionem habuiſſe ad frigidorum omninò humorum productionem, & nemo non nouit quotidiano experimento, in pluribus fęminis menſium occultationem frequentiſſimam eſſe cachexiæ, & hydro-
D pis cuiuſcunque occaſionem. Ecce ergo, mi Ludouice, quantum in ſe roboris habeant oppoſitiones, quæ contra meam ſententiam de vterino hydrope excogitatæ fuerunt. Nunc ad hydropem abdominis probandum deſcendere oportet, qui in hiſtoria Anatomica abs te mihi tradita adeò clarè deſcribitur, & eluceſcit, vt miratus ſim magnopere, quamobrem Vir doctiſſimus, qui huc illam manupropria conſcriptam miſit, nunc nobis contrarium perſuadere conetur. Videbunt ex hoc omnes, quanta cum ratione, quantaque cum veritate obijciat mihi, quod ſolis imaginarijs coniecturis, & relatis ab alijs rem aſtruxerim verò è diametro oppoſitam. Ponamus itaque prius eiuſdē verba, quæ in eadem hiſtoria leguntur, è quibus, diſpercam, ſi vix vnus è mille me-

dicis reperiatur, qui non dicam, negaturus, ſed ne tãtillum quidem dubitaturus A
ſit de abdominis hydrope in S. A. *Hepar erat ſatis magnum, coloris ſubrubri, aut po-*
tius liueſcentis lien erat ſatis magnus, ſed ſubſtantia naturalis erat, per eius verò longi-
tudinem superſternebatur veſicula plena humore flauo craſſo. Inteſtina naturaliter ſe
habebant, ſed meſenterium ferè totum computreſcens videbatur, & quaſi ſacculus cũ
longo collo vtero incumbens, oppletus magna copia phlegmatis craſſiſſimi, liuidi, non val-
dè fœtentis, quod etiam regionem hepatis, & latus dextrum offarciebat. Cauitas autem
abdominis erat etiam oppleta humore ichoroſo flauo, qui vna cum ſupradicto phlegmate
aſcendit ad libras 24. Quibus luce meridiana clarioribus minimè obſtantibus, ad
te nunc tamen idem Medicus per hæc verba ſcribit: *Ex ſupradictis hiſtorijs etiã*
in literis ipſi narratis apparet manifeſtiſſimè ex malè affecto vtero poſſe mulieri mortẽ
inferri, licet hepar, & reliqua viſcera ſatis benè ſe habeant; in S. A. hepar fuit ſatis ma- B
gnum, & ſi ipſius paucitate ex Auic. ſuboriri poteſt hydrops, & aſcites, videtur etiam
neceſſarium, quod ipſius magnitudo optime inhibere talem affectum poſſit, neque argu-
mentum deſumptum ex hiſtoria Anatomica infirmat hanc concluſionem, qua refert, he-
par fuiſſe ſubrubri coloris, ſed potius liueſcentis, vt ex terminorum intelligentia patet
clariſſimè, & quam inanis ſit concluſio ex leui aliqua diſpoſitione ad perfectum habitum
illata. Hepar, vt teſtantur literæ ex relatione fuit quoad ſubſtantiam ſatis naturale; ſi
colore liueſcens erat, quomodo liuebat. Quare extinctio caloris natiui concluditur? Par-
tes externæ noſtri corporis percuſſione plerumque liueſcunt, ſine vlla tamen ipſarum
frigiditate, & caloris natiui extinctione, ſicut etiam, & cadauer ex aliqua parte, in qua
nullus fuit affectus, ac propterea ipſi cauſa mortis non tribuitur. Sed quæſo quis vnquam
in cadauere requiret floridum, & naturalem colorem partium, & præſertim in D. A. C
tot ſymptomatibus per annum ingraueſcente, & tandem vi, & ſæuitia morbi è viuis
ſublata? Præterea ex hiſtoria allata in tractatu noſtro de mola apparet D. *A. ante obi-*
tum per plures dies, & vices ad libras ferè quindecim materia bilioſæ euomuiſſe, qualis
ergo extinctio caloris innati hepatis cum tanta bilis ſcaturigine? Inuerti quidem, & ſu-
buerti oportet naturam ipſam totam, ne dum alicuius partis, & omnia medicinæ decre-
ta vt deceptoria reprobari, & expungi, ſi tanta bilis ſit frigiditatis ſoboles, imò ex infar-
ctura illa copioſiſſimi phlegmatis, & craſſiſſimi circa hepatis regionem, & circumcirca
ipſius corpus quicunque in rebus naturalibus verſatus poteſt in tanta bile colligere, vel
mortem D. A. nullo modo ratione hepatis refrigerati contigiſſe, vel ſi ipſius cauſa fue-
rit, quærendum ſtatim eſt, quare nulla aquæ copia in abdominis capacitate fuerit reper- D
ta, quæ hydropem omnem conſtituerit, vt ſatis ſupra probatum eſt ex Hip. in lib. de nat.
puer. Cel. lib. 3. cap. 21. hydropis, inquit, communis eſt humoris nimia abundantia. Are-
tæus, fœdus inquit corporis habitus in aquam colliqueſcens hydropem conſtituit lib. 2.
de mor. Cron. cap. 1. ſic Gal. 4. acut. 3. & 5. de loc. aff. 7. & Ariſt. 7. hiſt. anim. cap. 9.
Cælius Aurel. lib. 8. de mor. Cron. Stephan. Athen. in com. ad 2. prognoſt. & in ſumma
quicunque hactenus de hydrope ſcripſerunt. De phlegmate autem craſſiſſimo iam ſupra
fuſius probatum eſt, nullo modo poſſe recipi in generatione hydropis; neque etiam
humor ille ichoroſus flauus, vt habet hiſtoria Anatomica; nam reſpectu phlegmatis
vix tertiam partem dictarum 24. *librarum ſuperabat*. Hæc ille. Quod vterus
ad ali-

A ad aliquod tempus malè affici poſſit, imo diu etiam laborare proprio hydrope, firmis, & integris manentibus primarijs viſceribus, nunquam profectò a me negabitur, haud ignorante hepar ipſum, quod eſt membrum adeò præſtans,& eximium,& cuius operationes toti animanti neceſſariæ admodum ſunt,non raro magnis morbis conflictari aliquamdiu ſolere,citra noxam tamen reliquo in corpore effatu dignã,vt propterea in medicina exercẽda quotidie appareat, quã verũ ſit illud de hepate Galenicũ axioma; *Morbi hepatis tardiſſimè enecant.* Quare,ſi hoc traditur membro tam nobili αἱματώσεως officina,& cum corde,ac cerebro tam magnam habẽte communionem, quanto magis id credere fas erit de ſeruili parte? ſic enim ab Ariſt.x.de hiſt.anim.uterus appellatur,vt potè ad ea expellenda fabrefactus, quibus tanquam inutilibus, & ſu

B peruacaneis expurgari corpus debet, quique demum ſpeciei potius propagandæ,quam indiuiduo conſeruando inſeruit. Quin imò etiam ſcripſit magnus ille Auenzoar lib.2.tract.5.cap.4.*vtero extracto,mulierem viuere,neceſſaria enim*,inquit,*non eſt matrix ad vitam indiuidui*; Qua de re mirabiles extant in quorundã Neotericorum libri hiſtoriæ,& ego Rauennæ ſimilem rem obſeruaui in iuuene alioquin optimi habitus,floridiq; coloris, cui poſt varia ſymptomata circa vteri ſitum,& partes,cui ille alligatur, viſa eſt de repente matrix ipſa ad media fœmora prolapſa,tumore veluti ſcirrhoſo, & ad ſphacelum deducto, cum fœtore intolerabili quæ a Cæſennatenſi chirurgo intra paucos dies, me vidente, ab illæſis chordis,quibus colligabatur, ſeparata vndequaq; fuit, muliere ad annum ferè vſque ſuperſtite remanente,laborauit diu febre duplici tertiana, a qua de-

C nique magno cum ardore, ac delirio iugulata fuit. Præterea hiſtoriæ allatæ ex Veſalio,& Eraſto de mulieribus,quæ licet vterino laborarent hydrope,ſanæ tamen alioquin in omnibus erant,perbelle rẽ hanc illuſtrant. A magnitudine vero,& paruitate hepatis deprompturn argumentum, ex eo, quod ego Auicennæ teſtimonio dixerim, hepatis paruitatem aliquid conferre ad ipſius hepatis refrigerationem,& conſequenter ad hydropis ortũ,nullius,vt alia,apud me eſt momenti quia ſola paruitas ad hydropem gignendum non ſufficit, vt nec ſola amplitudo ad hydropem ipſum arcendum;Quid ſi ingenioſus aliquis, ducto à ſimili argumento diceret,quod de corde non ſolum Ariſt. 3.de part. anim. 4 ſed & idem Auicenna x. 3. cap. de Anat. cord. per illa verba: *Et ſi quæ animalia ſunt*

D *magni cordis,et cum hoc ſunt timida,vt lepores,& cerui,cauſa in eo eſt,quod calor eorũ eſt paruus,& exiccatur ex eo plurimum, quare non calefacit integrè, quæ autem paruũ habent cor,& cum hoc audaces ideo ſunt,quoniam caliditas in ipſo eſt plurima, & coarctatur,& fit vehemens.* Verum quia ex Gal. Doctrina ſtatui aliter poteſt, nimirum,quod vt ex venarum amplitudine,& amplo iecore,eiuſdemmet iecoris caliditas arguitur, ità & cordis magnitudo caliditatem ipſius demonſtrare videtur, quoniam calidi eſt dilatare, ideoq; animalia magnum cor habentia animoſiora cenſentur,modo caliditas reſpondeat cordis amplitudini, ſi quidẽ audax, & fidens animus non ex magno,aut paruo corde enaſcitur,ſed ab excellenti calore,& ſpirituum copia demus propterea,& nos hepatis magnitudinem eiuſdẽ

viſceris

viſceris non frigiditatem, ſed caliditatem potius ſignificare, dum tamen intra A
propriæ naturæ,& inſitæ craſis limites continetur,libentiſſimè etiam cōcedam,
hepar S. A. magnum valdè & amplum fuiſſe, cum pleni, & obeſi eſſet habitus,
& ſenſus ipſe doceat, hepatis magnitudinem homini, quam cæteris animalibus
eſſe ampliotem. Vnde Auic. ipſe 14.3.cap.1. tradit, *maius eſſe hominis iecur, quā*
aliorum animalium, quorum corpus magnitudinem hominis nō excedat. Cur? quoniam
fortaſſe in homine magna ſanguinis copia in halitum digeritur, cum calidæ,&
humidę ſit temperaturæ cutem habeat rariorem, multum laboret, ac exerceatur;
namque vt ſanguis ipſe facilius regeneretur, ampliori iecore opus illi fuit. Ad-
debat eodem in loco Auicenna, *timidis, & belluonibus maius ineſſe iecur, quam cę-*
teris hominibus. Ex quo obiter notari poteſt cauſa, ob quam S. A. edax admodū
erat, quæ præcipua fuit iecoris ipſius amplitudo, iuxta Auicennæ & aliorū ſen- B
tentiam; licet & alias adduci poſſe non negauerim, prę ſertim verò aliquam me-
lancholici humoris à magno liene ad ventriculum regurgitationem, nec non
ventriculi ipſius frigidiorem naturam, ex Gal. doctrina in Arte parua. Sed cur
obſecro, & edaces, & timidi maius alijs iecur habentes magis appetūt? An ideo
quia maxima in illis fit reſolutio mediante iecore? In pauidis ſanè, cum frigi-
diuſculum cor habeāt, a iecore ipſo potiſſimum reſolutionem fieri oportet. Sed
antequam ab hac ipſa re diſcedam, ſilentio minimè inuoluā, quod ſi hepatis ma
gnitudo ad pręcauendum hydropem valet, vice verſa lienis, a quo ſepiſſimè hy
drops rudimenta ſuſcipit, amplitudo pro hydrope accerſendo ſummoperè facit
eodem Auicenna auctore, quia ſcil. vbi magnus eſt lien humorem melancholi-
cūm copioſius attrahit, quo attracto, fiunt poſtea in eo grandiores tumores, à
quibus refrigeratur iecur: prꝗterquamquod cum viſcus ſit ſuaptè natura frigi- C
dum, vbi maius erit conſequēter magis refrigerabit hepar, nimirum per venas,
frigiditate venis cauæ, aut gibbæ partis iecinoris, & inde eius carni, ſeu paren-
chymati impertita; quo quidem refrigerato, hydrops ſubſequitur. De qua hy-
dropis generatione apertè locutus eſt Gal. 2. progn. comm. 1. inquiens. *Cū lien*
per longos morbos duritiem contraxerit, ad cōſenſum ſubinde agit iecur; quo ſenſu in-
telligendus Galenus eſt, ſi aliquando ſcripſit à liene hydropem fieri, vt 3. Aph.
22. & vbi videtur hydropem à ſplene pendentem diſtinguere ab eo, qui iecoris
vitio enaſcitur, quemadmodum, & quando 2. progn. comm. 2. hydropem à ie-
core, paucitate, & ariditate deiectionum, ab altero, qui à liene oritur, diſcerni
aſſeuerat. Non etenim hinc deducendum, fieri interdū poſſe hydropem, etiamſi D
hepar minimè afficitur, quoniam a quacunque parte affectio eiuſmodi originē
habet, nunquam prius hydrops eſt, quam iecori ſit inflicta noxa. Quantum ad
argumentum à colore hepatis liueſcentis deſumptum, & hoc video cenſeri ab
altero medico pro infirmiſſimo, ſed quam rectè, & argute poſthac ipſe viderit.
Putat igitur ex tali colore male me arguere de imbecilliori hepate, ex eiuſdem
caloris innati proſtratione, cum partes externæ noſtri corporis percuſſione ple-
rumque liueſcant, ſine vlla tamen ipſarum frigiditate, & caloris natiui extin-
ctione, cum etiam cadauer ex aliqua parte liueſcat, in qua nullus fuit affectus, &

cui

A cui propterea mortis cauſa non tribuitur, accedente maxime quod in cadauere
partes flo:idum, & naturalem calorem amittunt, præſertim quando uitæ tem-
pore corpus vndique fuerit à varijs morbis cruciatum. Non me latet, vt à po-
ſtremo exordiar, in corporibus præcipue morbo lõgo, & ſæuo cõſumptis viciari
partes omnes, adeò vt nõ modo genuinum colorem, ſed ſubſtantiam, figuram-
que propriam à naturali ſtatu valde immutatam præſeferant. Vnde etiam Ana
tomici omnes in ſectione corporum celebranda meritò illa quærunt cadauera,
quæ talia ſint reddita ex morte ſubito, & repẽte ſuborta, cuiuſmodi ſunt laqueo
ſuſpenſa, aut in aqua ſubmerſa. Attamen ex altera parte ſcio non temere talẽ
colorem in hepate S. A. notatum fuiſſe, & in literis deſcriptum. Si quidem con-
ſtat apud omnes, colores cum, & ipſi ad rei ſubſtantiam declarandam non obſcu
B re conducant, haud ità contemnendos eſſe, vt putatur, quãdo ſigna etiam ab il-
lis deprompta ſoleant medici magnifacere, non ſolum in viuis, & vna ægris
corporibus, iuxta mentem Hip. 2. progn. t. 9. *Si digiti, ac pedes omnino nigreſcunt,
minus peſtiferi ſunt, quam ſi liueant*; ſed etiam in cadaueribus veneno maxime in-
teremptis, vt videre eſt apud Gal. 6. de loc. aff. In cadauere autẽ, in quo abũdãs
ſanguis frequenter ob reſolutam facultatem ad varias partes elabitur, maculæ
nigræ conſpiciuntur, quia ſanguis ipſe è venis egreſſus nigredinem nanciſcitur,
in cuius propterea cute color ſubiacenti humori correſpondens conſimilis ap-
paret; verum non eſt par ratio, vt patet, veluti nec de partibus externis ob per-
cuſſionem liueſcentibus; imò dum hæc opponuntur, non probè teneri videtur
C liuidi coloris originem multiplicem, non vnam, & eandem perpetuo eſſe, cum
re vera pluribus naſcatur de cauſis, iuxta quas varia nobis ſolet indicare. Porrò
in contuſis, aut quouis modo à re aliqua duriori percuſſis partibus maculæ illæ,
quæ vibices, & communi vocabulo ab Hip. & alijs ἐκχυμώματα vocantur, quaſi
humorum dicas effuſiones, ad quas ὑπώπιον, aut ſugillatio refertur, manifeſte
efflorefcunt, vt inter alios ſæpe experiuntur, quicunque paruæ pilæ ludo oble-
ctantur, & ij, qui ſe pugnis petunt; ſed à cauſa longè diuerſa ab ea, qua liuida
pars aliqua ex morbo, ſiue in intimis, ſiue in extimis, pendere ſolet, nimirum ab
effuſione ſanguinis facta in ſubcutaneis partibus, quia tunc à materia quapiam
grauiori capillares, & exiles venulæ in illas partes deſinentes contunduntur, &
D quaſi dilacerantur, exilit ex huiuſmodi venulis per illas pertuſiones ſanguis, qui
effuſus primo diſpergitur per tenues particulæ meatus, ſicque vibices quædam
rubentes conſpiciuntur, quæ deinde, niſi citò effuſus humor digeratur, & vacue
tur in liuores mutantur, dum ſanguis ibi moram trahens in grumum liueſcit, ex
quo ſubinde etiam locus ille niger euadit. At vbi pars aliqua quantumuis exter-
na poſt variorum humorum confluxum, poſtque ſubortam in ea inflammatio-
nem ad liuidum colorem tendit aut iã liuida eſt, non ne id plerunque à ſpirituũ
exolutione, & caloris extinctione prouenit. Id ipſum in gangrenis, & ſpha-
celis ſæpiſſime apparet, quæ ſi partem occupent cum nobilioribus conſentien-
tem, cui dubium inde primo ſcaturiente labe poſſe mortem euenire? Quod ſane,
vt non ignoras, menſibus præteritis expertus eſt Vir doctrina, & morum probi-
tate

tate in vrbe celeberrimas, & Antiſtes Reuerendiſſimus Alexander Maggius A
Bononienſis;in quo inflammatio derepente in ſcroto,pene,& inguinibus exorta paucarum horarũ ſpatio liueſcere incępit,ità vt partes illæ dicto citius emori viſæ ſint,ſcarificationes, inciſiones, & ex acerrimo deinde aceto ſalito ablutiones nullatenus ſentientes;quarum partium extinctio,nobilium, quæ in intimis ſunt,præſertim verò cordis,viuificum calorem ad interitum deduxit. Neſcio an quid ſimile Critoni in Thaſo apud Hipp.contigerit 1. Epid. 3. in cuius pedis tumore ſubrubro puſtulæ quædam nigrę,circiter talum cernebantur. Inſuper in Pleuriticis male affectum latus, quod antea ſcil. inflammatione obſeſſum erat ab interiori tamen parte, ſæpè liuor manifeſtè inficit, ita vt veteres ea de cauſa pleuriticos quaſi ſyderatos,ſeu veluti ſydere percuſſos appellarent,autore Hip.ipſo;a qua quidem parte obitus originem inchoare quis ignorat? ſed B
hæc clarius in Cteſiphone hydropico, & Anaxenore in Abderis apud eundem Hip.7.Epid.Quod ideò dico,vt conſtet à qua parte etiam externa liueſcit cadauer,inde ipſi mortis cauſam,ſecus ac ſcribitur,non nunquam accedere. Dũ hepar dicitur fuiſſe ſubrubri,aut potius liueſcentis coloris, ex hoc ego, vt ex alijs multis; collegi hepatis intemperiem ad frigidum vergiſſe potius quam ad calidum,ex quo tamen vno ſigno, niſi tot alia adfuiſſent, nõ ſtatim de hydrope opinionem inijſſem,ſed in tam clara,& euidenti ſindrome ſymptomatum aquæ intercutis,addito,& altero hoc de ſubrubri, aut potius liueſcentis hepatis colore, facilius mihi fuit confirmari magis in ſententia de hydrope, præſertim abdominis,quoniam de mente Gal.& aliorum primæ notæ, vix datur talis hydropis ge C
neratio citra frigidiorem iecoris intemperiem,& liuidus color frigiditatis ſoboles eſſe dicitur tam à medicis,quam à philoſophis; vnde Gal.5.Aph.17.vna cũ Hip.teſtatur liuores ex refrigeratione fieri,& Ariſt.8.probl.19.quærens qua de cauſa qui rigent liuidi efficiantur; reſpondet, quoniam ſanguis appulſu frigoris gelaſcit, gelatus autem nigreſcit propter caloris inopiam. Rubeus quidem color calidam oſtendit temperaturam, ſubruber verò ſi non frigidam, nec certè ipſam adhuc calidam, vt patet ex Gal. 3. Epid. comm 3. ſed quanto minus,ſi iam liuidus exiſtat? Niger etenim color,cui valde proximus,& affinis eſt liuidus,eorum eſſe ſolet, quæ corrumpuntur, quemadmodum ruber perfectionem indicat,aſſertore Ariſt.in lib.de color.Quæ profectò,ni fallor ego,opi- D
nionem alterius medici exiſtimantis iecur fuiſſe impenſe calidum,& quaſi retorridum,non minimum infirmant,ſi ęqua lance ponderentur. Veruntamen,ſi ex eodem Ariſt. opuſculo colligat aliquis, quod & experimento ipſo quotidie cernimus,nigrum colorem ab igne aerem & aquam comburente fieri,vnde & cõbuſta omnia nigreſcunt,velut ligna,& carbones,igne extincto; dixerim, quod, etiam dato, hepar nigrũ,& admodum torrefacti carbonis extitiſſe, meam omnino corroborat ſententiam,dum nemo è medicis ignorat,hydropem etiam a calida cauſa priuatiuè,vt vocant,generari,qualis eſt hydrops,qui acutis ſuccedit febribus; ſed quando vnquam tantus in iecore calor fuit obſeruatus ſaltem in eo, de quo ſermo? Quod vero denique hepatis ipſius ſubſtantia foret incorrupta,

& natu-

A & naturalis, vt refertur, nihil penitus aduerſum me concludit, quia mihi ſat eſt,
hepar fuiſſe iam dicta intemperie malè affectum, quomodo etiã crediderim cen
ſendum eſſe apud Realdum Columbum, cap. de ijs, quæ raro in Anatome obſer
uantur, de muliere quadam, quæ cum ex abſceſſu in peritonæo hydropica eua-
ſiſſet, & magna aquæ copia in eius abdominis cauitate fuiſſet reperta, iecur ni-
hilominus habuit in colore, & ſubſtantia ſanis vndequaque ſimile. Argumen-
tatur præterea Vir Eccellentiſſimus contra hepatis frigiditatem, & hydropem
abdominis ex abundantia bilis, quam vocat, quæ a S. A. per vomitum pluries
reiecta fuit, quantitate quindecim librarum, addens hoc magis, magiſque poſſe
probari ex infarctura illa copioſiſſimi phlegmatis, & craſſiſſimi circa hepatis
regionem & corpus; quaſi elici ex hoc debeat (ita accipio verba eius) calorem
B in hepate concluſum adhuc factum fuiſſe maiorem; ex quo propterea copioſiſ-
ſima bilis, & phlegmatis circumambientis craſſities enata calidiorem illius in-
temperiem nobis quoque ſignificarent, & deinceps hydropem negat, eo quia
in abdominis cauitate nulla aquæ copia fuerit reperta; ſed dubitans, ne quis ſta-
tim cum ratione obijceret, phlegma craſſiſſimum, & humorem ichoroſum fla-
uum valdè copioſum, de quibus apertiſſima in Anatomica hiſtoria, idcirco taci
tè reſpondens, ait, ſe iam abunde ſupra probaſſe phlegma nullo modo poſſe re-
cipi in generatione hydropis, & quod humor ille ichoroſus flauus reſpectu
phlegmatis vix tertiam partem dictarum librarum 24 ſuperabat, quem quidẽ
humorem ichoroſum flauum vult eſſe portionem bilis in hepate calidiori par-
C tim ex ſe, partim ex chymicis aſſumptis medicamentis progenitæ; Tandem pro
ſua parte, proque intenſa hepatis caliditate arguit ex duriſſimis lapillis in cy-
ſti fellea adinuentis, & ex bile craſſiori: ad quæ omnia, & ſingula quam facilè
ſit reſponſum dare, ex proximis iam iam intelliges. In primis itaque quod de bi-
le copioſa obijcitur, friuolum æſtimo, duplici nomine, vno quidem, quia vomi-
tus qui ad aſpectum, & ſenſum viſus biliosi apparebant, non vndequaq; biliosi
erant, ſed maiori ex parte tenuiori phlegmate conſtabãt. Modica enim bilis co-
pioſa cum aquea & alba materia commiſta, maſſam illam totam adeò inquinat,
& alterat vt vndique & colorem, & ſubſtantiã bilis præſeferat. Imò Vir doctiſ-
ſimus hic ſuo ſe gladio iugulat, quoniam non ſolum ex Rhaſi, ſed etiam è recen-
D tioribus, vt Iacobo Oetco, & alio neſcio quo Auguſtano Medico refert ex vte-
ris non nullarum mulierũ, quæ hydrope vterino indubitanter laborabant, abun
de nimis effluxiſſe aquam, ſed quæ citrini eſſet coloris. An ergo bilis erat, quæ
illis in mulieribus vteri hydropem efficiebat? Ad hæc qui nã è medicis diu verſa
tis in arte exiſtit, qui in medicina facienda varijs hydropicis ſenſu ipſo non ani-
maduerterit aquam, aut ſpontè ex vmbilico prodeuntem, aut per paracenteſin
eductã, in colore bilem dilutam præ ſe ferre? Taceo, quod idem medicus tale ali-
quid clare ſignificat, quando ſcribit, humorem illum ichoroſum flauum, eſſe
portionem bilis dilutioris tamẽ coloris redditæ ex ablutione phlegmatis illius
circa illas partes reſtagnantis.. *Ecquis etiam*, inquit, *non audebit affirmare illum*
(& loquitur de humore ichoroſo flauo in ventre adinuento) *eſſe portionem eius*
bilis

bilis per vomitum reiecta ab hepate calidiori cum temperamento naturali genita, & a A
medicamentis chymicis calidioribus per efferueſcentiam ad illas etiam partes diffuſæ dilutioris tamen caloris reddita ex ablutione, ut ita dicam, phlegmatis illius circa illas partes reſtagnantis? Quid pro me, & pro ipſa rei veritate clarius, fortiuſque? Vomitus etenim illi, qui in S. A. fiebant ſimiles fuiſſe videntur deiectionibus, quæ ab Hipp. & Gal. 3. Epid. comm. 2. in hiſtoria vxoris Oiceti ὑδατοχολώδεες vocantur, quæ ſpecie, & forma bilioſæ ab æſtu, tenuiores, & aquoſæ a cruditate. Quin imò in coac. prænot. Holerius probat deiectiones bilioſas, & mucoſas hydropis eſſe prænuncias; ſed ne a vomitu diſcedamus, cum & in S. A. ſymptoma hoc frequentiſſimum fuerit, quis vnquam vidit tam copioſam bilem ſinceram in fœmina potiſſimum minime febriente per vomitionem rejjci? Vomitiones ſiquidem illæ aut ſynceræ erant, aut permiſtæ ſero; ſi primũ, cum ſynceræ biles præ- B
ſertim copioſæ, & ſæpe reiectæ vomitus magnum indicet medicis incendium in partibus, quæ ſunt circa ventrem, quis obſecro crediderit id ſine febre fuiſſe, vt aſſeritur? Si ſecundum, vt magis credo, nihil ex eo contra me probatur. Præterea eodem in opere Hipp. nõ ne aperte ſcribit bilioſos ex multis, quæ colligunt crudaceis in hydropem incidere? An non etiam, vt ſupra dicebam, a calida cauſa hydrops, pro cuius curatione audent aliqui cum Tralliano frigida commendare? Non ne Cardanus tueri conatur hydropem omnẽ à calidiori ſemper hepatis intemperie prouenire? Sane poſt hepatis ipſius inflammationes, & poſt acutas febres non raro hydrops enaſcitur, licet id potius contingat, aut quia ab intenſo quoq; calore vitiata hæmatoſi, aquoſa in iecore humiditas pro ſangui- C
ne gignitur, aut alia magis de cauſa, quam inter alios explicat Stephanus Athenienſis 2. progn. quatenus videlicet calor præter naturam calorem iecoris natiuum diſſlat, & ſubinde iecur refrigerat, cuique alteratricem vim debilem reddit, non aliter, ac in febribus, & in æſtate facultates fiunt debiles ab externo calore. Quare dato etiam, ſed neutiquam conceſſo, corpus, de quo ſermo, aliàs fuiſſe bilioſum; & in hepate caliditatem ex calidioribus quoque medicamentis fuiſſe adauctam, neque ex hoc mea infirmatur ſententia, vt patet; ne dicam in naturis calidioribus, ex vitę erratis in largiori præſertim, & frigidiori cum cibo, tum potu, hydropem ſæpe excitari. An non etiam videntur interdum homines bilioſi cum ætate, tum vitæ inſtituto mutari in pituitoſos, quẽadmodum, & morbi ali- D
qui calidi in frigidos, vt per exemplum phrenitis in letargum? Quid quod Hip. ipſe 3. de rat. vict. in acutis tex. 38. aceti vſu bilem in pituitam conuerti aſſeuerat? Nec interim dicat alter me ità loquentem forte concedere, cum humores proportione reſpondeant elemẽtis primis, a quibus ortũ habent, ſicut in elemẽtis ipſis mutari vnũ in aliud quoduis põt, & ſolet, ita quoq; & humores; Neq; enim me latet humorum generationem eſſe rectam, & non reciprocam, vt elementorum, quodque in humoribus iam concoctionem paſſum eſt, amplius recrudeſcere non poſſe ita vt minus ſit concoctum; at fieri nihilominus poteſt, vt temperata feruidi, & bilioſi corporis alicuius caliditate frigidorum vſu, corpus quod antea largiorem bilis copiam producere ſolebat, refrigeratum, pro bile

pituitam

A pituitam reponat; adeò vt vel diſſipata, euacuataque per ſenſilem, aut inſenſilem euacuationem aliquam bile, vel retuſa eius àcie permiſtione pituitæ frigidarum rerum vſu iam affluentis, homo, qui antea bilioſus & præcalidus erat, pituitoſus, & frigidior fiat; voluti morbus, qui antea bilioſus, tandem pituitoſus, vt in tractanda phrenitide aliquando cernitur, in qua ſi topica, frigidiora, & humidiora temere ad cohibendam inflammationem præſcribantur, vice, & loco phrenitidis lethargia ſæpe creatur. Gal. 8. meth. 7. vbi de temperamenti naturalis in acquiſititium mutatione verba facit; multa habet rem hanc totam corroborantia. Ratio autem de elementis, & humoribus nullo modo par eſt, quia corporum illorum, quæ miſta ſunt, generatio fit media concoctione, quo modo non fit in elementis; præterquamquod elementorum ipſorum non B eſt vnum alio prius tempore, ſed in humoribus pituita ſanguinem tempore præcedit, ſanguis bilem flauam, & hæc atram; qui ordo præuerti non ſolet. Præterea vidi ego, & viderunt quoque alij non ſemel hydrope aſcite laborantes cũ vrinis fuluo admodum colore ſuffuſis & cum puſtulis in cute efloreſcentibus, ex acri, bilioſoque ichore progenitis: & ideo fruſtra cogitat Vir excellentiſſimus hydropicos bile carere, heparque in illis vndequaque eſſe ita frigefactum vt nulla penitus in eo bilis. Conſtat enim quam frequenter in hepate hydropicorum euenire, quod in cinerum aceruo obſeruatur, in cuius peripheria cinis vtique frigidus perſentitur, ſubtus verò, & in centro igniti latitant carbones; ſic enim, & in hepate externum parenchyma frigida affectum eſt in- C temperie, a qua chylus in ſanguinem non probum, & purpureum, ſed prauum, & omnino pituitoſum commutatur; in interiori vero parte ingens valde calor æſtuat, qui tenues, & bilioſos progignit humores. Hinc Auicen. 16. 3. tract. 3. capit. 11. ſitim quandoque cum materia phlegmatica, & cum frigida diſpoſitione eſſe ſcripſit, imò de ſignis loquens cholicæ phlegmaticæ in fine capitis hæc ponit verba; *Et non oportet, vt decipiatur aliquis propter id quod forte fit de ſiti, & inflammatione, & rubedine aquæ, & exiſtimet, quod ægritudo ſit calida.* Ex quibus vnuſquiſque videat quantæ ſit energiæ argumentum; cui tanta habetur fides ab altero medico. Copia phlegmatis circum circa hepar etiamſi craſſiſſimi, cur feruidum hepar D indicare debeat, & ſimul hydropis generationem prohibere, ego quidem non video. Nam ſi idcirco illius patefacit caliditatem, quia obſtruendo, & ventilationem impediendo calorem in eo adaugere valet, dicatur, hanc cauſam multo magis inſitum calorem poſſe obruere, ſicque hydropis occaſionem inde oriri potuiſſe quam maximam; vt patet omnibus ex eo, quod qui longas & effatu dignas illo in viſcere obſtructiones ab humorum craſſitie patiuntur, tandem in id mali genus incurrunt. ſi verò quia eſſet craſſiſſimum, ob id velut ab intenſo hepatis calore phlegma illud craſſiorem ſubſtantiam acquiſijſſe, calore nempe ipſo tenuiores abſumente partes, quis neſcit, non ſolum a calore valido, & exurente id fieri potuiſſe, ſed etiam ab ipſamet frigiditate priuatiue ſaltem, ſi non poſitiue, ne

in corpore viuente, quo ad partes, ſi non humores, actualem frigidita- A
tem collocare velle videar. Accedit, quod huiuſmodi craſsities, & viſciditas
ex parte quoque materiæ, & obiecti, vt aiunt, improportionati, videlicet ex craſ-
ſis, glutinoſiſque alimentis prouenire conſueuit. Ad hæc pro mea conuellenda
opinione ſubiungit Vir Excellentiſſ. in abdominis cauitate nullam aquæ co-
piam fuiſſe adinuentam, quod ſi verum eſt, quæcunque hactenus dixi, & pro
viribus ſcripſi, iam pro non dictis, & ſcriptis habeantur; quinimo ſtylum depo-
no, manibuſque proprijs illi coronam paro. Audiamus ergo quæcunq; ille ſcri-
bit in Anatomica hiſtoria, ex qua ego ſi inanes colligo coniecturas, iudicium ſit
aliorum. *Inteſtina, inquit, naturaliter ſe habebant. ſed meſenterium fere totum com-*
putreſcens videbatur, & quaſi ſacculus cum longo collo vtero incumbens oppletus ma-
gna copia phlegmatis craſſiſſimi, liuidi, non valde fœtentis, quod etiam totam regionem B
hepatis, & latus dextrum offarciebat. Cauitas autem abdominis erat etiam oppleta hu-
more ichoroſo flauo, qui vna cum ſupradicto phlegmate aſcendit ad libras 24. Hæc ille
qui nunc etiam in literis huius exaratis, vt vndique ſuam ſtabiliat opinionem,
notat, *S. A. multo tempore ante obitum colicis doloribus excruciatam, vi purgantium*
medicamentorum adeo magnam pituitæ copiam excreuiſſe, vt ad 60. vſq; libras aſcen
derit, quo tamen tempore hydrope non laborauit aſcite, imò bene conualuit, & ſana fuit;
Dum hęc & conſimilia in literis leguntur, nulli profecto inde erit dubiũ, quin in
cauitate abdominis, & inteſtinorum tanta in copia ſtabularentur frigida, & hu-
mida excrementa, quanta ad hydropem perfectam efficiendum ſatis ſuperque
eſſe poſſent. Quod ſi poſt copioſam, & vitream pituitã per enemata, & cathar- C
tica potiſsimum educta rurſus conualuit, cum nec ante hydropica iam foret,
reſpondeo etiam vere hydropicis, & de quibus nulla eſt controuerſia, ab initio,
& morbo incipiente, ſi ventris profluuium ſuperuenerit, quod aliam cauſam,
vt ventriculi cruditatem non habeat, non difficulter ſanari, vt experimento, &
Hipp. teſtimonio notiſsimum eſt; vnde pariter videmus a principio hydropis,
formis adhuc, & integris viſceribus, per hydragoga medicamenta ægros ſani-
tati reſtitutio, dummodo per vitæ errata iterum in ijs morbus minime pullu-
let; nondum enim fixa, & hectica iecoris, & circumſitarum partium eſt diſpo-
ſitio illa, præ qua frigida aſsidue gignatur materia, etiamſi alimenta per quam
proba ſint, & euchyma, vt ſæuiente vlterius morbo frequentiſsimè contin- D
git. Accedit, quod intemperaturæ ipſæ partium quarumcunque non affa-
tim exurgunt, ſed cum tempore, & ſenſim fiunt, quoniam dyſcraſia quædam
eſt alteratio in tempore facta, cuius tamen effectus ictu oculi efferri poſſunt,
iuxta illud Hippoc. *morbi paulatim collecti aceruatim apparent*, Quamobrem
libentiſsime etiam dabo, quod S. A. tempore, quo phlegma vitreum,
& copioſum excernebat, hydropica adhuc non eſſet, nullo in ventre
tumore extuberante, nullaque cœterarum partium macie ſeſe offerente, &
cauſam vitreæ pituitæ maiori ex parte refundendam eſſe in eiuſdem errata
in largiori cum cibo, tum potu, nec non etiam, vt ſcribitur in literis, in
naturalem illarum quandam partum proprietatem; ſed non ne talis, ac

tantus

A tantus humor in prima illa regione iugiter, & abunde accumulatus vici-
ni iecoris calorem infringere, eique propriam, hoc eſt frigidiſſimam
qualitatem communicare potis fuit? Præterquamquod hepatis innata calidi-
tas extingui ab eodem humore potuit, eo quo iam diximus modo. Quod calculi
illi duo duriſſimi in veſica fellis vna cum bile craſſa adinuenti internam hepatis
caliditatem vſque ad vltimum vitæ S. A. tempus neceſſario indicent, ridiculum
prorſus eſt, quaſi ad lapides intra noſtrum corpus quauis in parte gignendos
neceſſaria ſit magna & exurens caliditas, nec, vbi craſſa, & lenta ſunt excremen
ta, a miti etiam, ac tepido calore fieri poſſint. Non ne infinitis, vt quorum in ve-
ſica vrinaria quotidie duriſſimi lapides ex craſſa lentaque materia concreſcunt,
cum tamen blandus, & exiguus illius partis calor exiſtat? Nec veriſimile ſit, bi-
B lem illam, quæ iam craſſa fuiſſe dicitur, & intra cyſtim colligebatur, in tãta vi-
cini phlegmatis lenti multitudine, expertem penitus illius fuiſſe. Quod ſi hoc
non ſatisfacit, reſponſum addatur calculorum ortum in S. A iampridem, & mul
to ante tempore, quam iecur frigidam contraxiſſet intemperiẽ inchoaſſe; quod
ſi exemplo conſpicuo, & in morbo conſimili roborandum eſt, ſciat Vir egre-
gius, annis præteritis in Sereniſs. Ferdinando Medices Magno Hetruriæ Duce
poſt obitum inuentos fuiſſe in bilis folliculo plures lapillos præduros, & colore
atros, cum tamen in vẽtriculo, & partibus circũſitis per magna aqueæ, & phleg-
maticæ materiæ copia etiam cum adſtantium admiratione fuerit adinuenta,
quemadmodum tunc temporis Florentia Rauennam mihi ſcripſit Blaſius Ber-
C nardus Foroliuiẽſis, vnus è medicis Magni, & Sereniſſimi illius Principis. Craſ-
ſitiem bilis, qualis eſt in vitellina, tribuit Auicenna humoris frigidi & craſſi, vt
pituitæ, vel melancholiæ permiſtioni. Alia tamen fuit Galeni hac de re ſenten-
tia comm ad 2. prognoſt. *Contrarijs* inquit ille *cauſis humor craſſior redditur, vel
frigore cogente, vt pituita, vel calore reſoluente, vt bilis vitellina.* Sic Ariſtot. 4. me-
teor. craſſum tam a calido, quam a frigido generari conſtituit; quia nimirum
partibus reſolutis tenuioribus, ideſt ſero bilioſo, & craſſiore remanente ex na-
turali bile fit vitellina, vt idem Gal. ſcribit lib. de atra bile; ad hanc vero reſolu-
tionem efficiendam exuberans requiritur calor. Vtra ex his opinionibus vera
ſit (licet poſtrema Gal. mihi magis probetur, pro qua fuluus color cõtra Auicẽ-
D nam pugnat) meæ aſſertioni admodum fauet, quia ſi cũ Gal. ipſo craſsities in il-
la bile a vehementiori calore oriebatur, vel de anteacto tempore, vt de lapillorũ
ortu aſſerui, vel de calore extraneo in ibi ex obſtructionibus ſuperaducto intel-
ligendum. Quæ rationes militabunt quoque pro hiſtoria ſenis bilioſi ex Ferne-
lio a me relata. Quid ſimiliter dicendum de hoc alio argumento, quo probare
poſſe ſibi ſuadet, integrum, & bene valens hepar fuiſſe, quod nullus in eo ſcir-
rhus, non ὑδατίδες, nec alius denique ſimilis hepatis affectus, quaſi iecinoris,
& cæterorum membrorum tonus a morbis tantummodo inſtrumentarijs, aut
in mala compoſitione, non item à morbis ſimilaribus, ſeu in intemperie vo-
catis diſijci queat. Morbum verò ſimilarem iecoris S. A. quid amplius potuit
propalare vberrimo perfrigidi humoris prouentu, qui certè abſque hepatis

F 2 ipſius

ipſius compaſſione tandem eſſe non potuit? Quid quod atrophia illa in ſuperſ- A
nis partibus apparens, in muliere aliàs pleni, & obeſi habitus, mire indicat quãdam iecoris atoniam, ſi contrariorum contraria eſt ratio? Nam vt tempore integræ ſanitatis, viſcus illud in S.A. non modo amplum, ſed optime temperatum & cum Empedocle polyhæmatos erat, quod inter alia clare oſtendit plenus ille habitus corporis tam floridi, tamque probe nutriti; ita ex aduerſo ab eo tempore, quo frigida intemperies ſenſim eſt inrroducta, cacochymus, & piruitoſus ſanguis in eo genitus hydropem, & atrophiam inuenit; ita vt atrophia ipſa non tam in præpeditam anadoſin, quam in vitiatam hęmatoſin propter allatas cauſas referenda mihi eſſe videatur. Si vera foret Eraſiſtrati ſententia, hydropem ſemper fieri a ſcirrho iecoris, hoc eſt fieri non poſſe hydropem niſi iecoris ſcirrhus adſit, vim in me aliquam alterius medici ratio haberet, ſed cum falſa ſit, B
eamque refellat Gal. ipſe 2. de facul. natural. 8. qui illam inſequuntur è meliori ſchola diſpungendi ſunt. Deſinat autem Vir Excellentiſſimus mirari, quod ex veſica illa aquoſa materia flaua referta, quæ lienis ſubſtantiæ ſuperſternebatur, meum de hydrope ſenſum confirmare etiam voluerim, quoniam huiuſmodi ſignum cum tot alijs coniunctum efficaciſſimũ eſt, eo quia in omnibus fere, qui aſcite hydrope intereunt, veſiculæ illæ aquoſa turgidæ materia, ſeu alba, ſeu citrina, ſeu denique alterius coloris, & in liene, & in alijs intimis partibus frequẽtiſſime inueniuntur; vt in Epiſtola primum ſcripta aliorum quoque teſtimonio comprobatum eſt. Concludens verò tandem ſic ait. *Quare conſitendum omnino eſt, prouentum illum materiæ craſſiſſimæ phlegmaticæ non ex refrigerato partium natu-* C
ralium vel reſoluto calore ſubcreuiſſe, ſed potius ipſarum proprietate quadam innata cum adiuncta plenioris victus ratione inordinata, & ſedentaria vita. Neque tam certum eſt, vt ſibi perſuadet Crucius, vel repugnat medicorum placitis, & omnibus rationibus, tantum pituitæ generari poſſe ſine vllo vitio hepatis. Vniuerſalia enim, vt dicebat Gal. 13. metho. 11. in multos errores deducunt medicos, niſi particularium naturæ coniungantur, & Polycleti etiam, vt dicitur, regula aliquando vtantur. Principio ſane, & cęteris omnibus hucuſq; enarratis maior coronis eſſet, ſi quæ occaſione dictorum verborum notanda occurrunt, omnia, & ſingula hoc in loco recenſere vellem, vnde ne in volumen Epiſt. creſcat quam briuiſſimè reſpondebo Mea de origine humorũ pituitoſorũ, qui in varijs corporis partibus S.A. D
inuenti ſunt, opinio fuit, & eſt, quod partim eſſent orti è ciborũ multitudine, & qualitate ſimul, partim ex naturaliũ membrorũ nempe vẽtriculi, & iecinoris intemperaturis frigidioribus, non neglecta tamen in vterino morbo vteri ipſius diſcraſia aliqua ad frigidum vergente, præ qua ſimiliter proprium alimentum in conſimilem naturam permutaret, vt cuicunque particulæ inditum eſſe nemo ignorat. Hic ergo cum fuerit meus in priori epiſtola ſenſus, quemadmodum verba eius clare ſonant, videamus nunc paucis quanta cum ratione Vir egregius me increpet, quaſi rem dixerim medicinæ placitis penitus contrariantem, nec ſciam vniuerſalia dogmata cum ſpecialibus affectionibus ritè coniungere, & amicus videar potius normæ Lesbiæ, quam Polycleti regulæ.

Quod

A Quod itaque alimenta in maiori copia quam calor ſubigere poſſit aſſumpta pi-
tuitoſas gignant materias, nemo dubitat, quoniã ex illorum multitudine depra-
uatur coctio, & malæ coctionis pituitoſi, & crudi humores ſolent eſſe ſoboles.
At ſi accedat talis vſus ciborum, qui facilè in pituitam vertantur, qualia frigida
quęque ſunt, & humida cibaria, nec non craſſa, lenta, atq; viſcida, inde certe ma-
ximus pituitoſorum ſuccorum prouentus expectandus eſt; & hæc vſq; adeò ve-
ra ſunt, vt Gal. explicans quomodo pituita hyeme vigeat, cum ſi vim innati ca-
lidi hyemali tempore intra viſcera reuocati expendamus, parum rationi conſen
taneum videatur, vt hyeme pituita abũdet, qua tempeſtate coctió maxime obiri
conſueuit, ad iam ſignificatam alimentorum naturam pituitæ in hyeme prædo-
minium reducat; imò quæ ibidem affertur ratio de frigore in vẽtriculo calorem
B magis cogente, ſed in reliquas etiam penitiores partes peruadente, vnde etſi in
ventre ipſo cibi conficiantur, non conficiuntur tamen in iecore, aut venis per
corpus vniuerſum diſtributis, videtur, & hic locum habere, natura ſcil. regionis
in qua S. A. degebat, conſiderata, iuxta Gal. mentem 1. Aph. 2. Hoc ſiquidẽ eſt,
quod præter Hippocratẽ in lib. de aere, aquis, & locis, & Ptolom. in præd. Aſtr.
ſcripſit quoque Iulius Firm. *Temperatura corporum, naturam regionis inſequuntur.*
Verum, ne longius a re noſtra abſcedamus, generatio pituitoſæ & phlegmaticę
materię, qua inteſtina, & partes circũm hepar, vterique, & abdominis cauitates
abundabant, è gemino fonte ſcaturire potuit, nimirum ventriculo, & hepate fri-
gidioribus, nec non ab externis cauſis, maxime vero cibis quantitate, & qualita-
C te valdè noxijs. Attamen quia multum nomina curari video, nullomodo ſilen-
dũ eſt, me hoc in loco veluti in Epiſtola iã exarata tã de proprie ſumpta pituita,
quã de crudis humoribus, & primarũ viarũ cruditatibus ſermonẽ meũ intelligi
velle. Quod .n. pituità a me ẽt vocetur primę coctionis cruditas, nulli debet eſſe
mirũ; non ſolũ quia veteribus vſitatũ fuit oẽm humorẽ frigidũ humidũ pituitã
appellare aſſertore Gal. 2. de dif. feb. c. 6. ſed ẽt quia Ariſ. 1. de gen. Anim. c. 18. &
Gal. ipſe 3. de temper. & comm. in lib. Hip. de nat. hom. nominatim vocãt ven-
triculi cruditatẽ. Quinimò Gal. ĩ lib. de atra bile ſic ait. *Prima coctione fit pituita in
uentriculo ex alimento crudiore, quã cũ calor in ſanguinẽ mutare poſſit, non fuit neceſſe,
vt bili, & mlancholici, ita pituitæ repugnandæ proprium inſtrumẽtum a natura fabri-*
D *cari.* Quod vtraque membra iecur videlicet, & ventriculus ad pituitæ generatio-
nem concurrant tam notum eſt, quam quod notiſſimum, & quoad hepar, ex eo
primum probatur, quod fruſtra Gal in lib. art. paruæ inter inditia frigidioris ie-
cinoris copioſam pituitam connumeraret, quodque veluti ad bilis procreatio-
nem facit illius viſceris caliditas, ſic ad pituitam generandam eiuſdem requiri-
tur frigiditas; ſcimus enim, quod aucta ſupra temperamentum caliditas flauam
parit bilem, frigiditas verò pituitam, vt propterea in tam magna pituitoſæ ma-
teriæ abũdantia de iecinoris alteratrice potentia ad frigidiorẽ qualitatẽ mutata
nemini verendũ ſit; ſed ne in re meridiana luce clariori tempus cõterere videar,
ad ventriculum venio, cuius etiam culpa, & vitio pituitoſi ſucci noſtro in cor-
pore cumulantur eiuſdem Galeni teſtimonio lib. 6. Epid. com. 1. tex. 5. vbi hæc

ita habentur. *Inter initia itaq; pituitoſi uomitus fiunt; huiuſmodi enim ſuccus in ven-* A
triculo creatur, plerunque multitudine ac multo magis, ſi iſti craſſi, naturaq; pituitoſio-
res exſtiterint. Hinc non obſcure cognoſcitur, voluiſſe Galenum ad pituitæ pro-
creationem concurrere tam ciborum quantitatem, qualitatemque, quam mem-
brorum, inter quæ ventriculum ponit, intemperiem, de qua re etiam fuſius 2. de
facul. natur. Quæ cum ità ſe habeant, expendamus modo quæ contra ſcribũtur.
Cõcluditur ibidem, vt ex verbis iam ſupra poſitis apparet materiam illam craſ-
ſiſſimam phlegmaticam in S. A. *non ex refrigerato partium naturalium vel reſoluto*
calore ſubcreuiſſe, ſed potius ex ipſarum proprietate quadam innata cum adiuncta ple-
moris victus ratione inordinata. Quod pituita impropriè ſumpta copie ſe gigna-
tur ex ventriculi imbecillitate, & alimentis pituitoſis, abſque quo iecur ad eius
procreationem concurrat, non inuitus conceſſerim, iuxta Gal. mentem, præſer- B
tim 2. de alim. facul & 3. de cibis boni, & mali ſucci 23. vbi docet, molliores pi-
ſces pituitam verè dictam progignere, Oſtracoderma verò, & quicunq; piſces
duram habent cutim, & carnem tenacem, crudos potius humores, ſeu crudita-
tes; innuẽs pituitam verè dictam in hepate vna cum cęteris humoribus, crudio-
res verò ſuccos in ventriculo, & prima coctione produci; ſed ex altera parte, ſi
quis conſiderabit vitia primæ coctionis, vt eſt receptiſſimum apud omnes me-
dicos axioma, neque in ſecunda, neque in tertia coctione emendari, & frigidiſſi-
mam materiã, qualis vitrea eſt pituita, quæ in partibus naturalibus S. A. reper-
ta fuit, vbi diutius, & magna in copia in aliqua cauitate moram trahit, non illius
ſolum partis, ſed & proximarum temperiem vitiare (vnde ne ab hydrope rece C
dam, ſciunt omnes, vnam è cauſis, ob quas medicinæ practicæ ſcriptores aſſerũt
in eo morbo curando neceſſarium prius eſſe abdominis aquam educere, quàm
ad hepatis, & cęterarum partium naturalium intemperies corrigendas deuenia-
tur, hanc eſſe præcipuam, ne aquoſa illa materia abdominis per partium vocatã
continuitatem iecur ipſum magis refrigerando morbum augeat) profectò ſta-
tim affirmabit, impoſſibile omnino eſſe, vt, ſi non a principio, ſaltem non valde
poſt, hepar quoque ad conſimilem affectionem demigret, quo quidem ita prius
per conſenſum læſo, & informato, magna deinceps pituitæ copia vndequaque
inſurgit totumque corpus frigidis, ac pituitoſis repletur humoribus, qui ad va-
rias eius partes demandantur, & ad vterum ſane per venas cum cęteris excre- D
mentis, quæ ibidem retenta, vt in caſu noſtro contigit, num valeant in vtero hy-
dropem concitare, accedente maxime eiuſdemmet vteri frigidiori intempera-
tura, aliorum ſit iudicium, ad cauitatem verò abdominis per loca non adeo ſen-
ſibus noſtri peruia de quibus ego in hydropis enarratione vberius ex meliori
ſchola; qua in parte vbi abunde collecti ſunt, ſeu aquei tantummodo ſint, ſeu ſi-
mul etiam craſſiores redditi, facile hydropem ibi quoque excitare poſſunt, quẽ-
admodum in S. A. accidiſſe, dubitari neutiquam poteſt, ſi vera ſunt quæ Vir do-
ctiſſimus Romam ſcripſit; qui, ne in ſcopulum incideret, a quo eius infringere-
tur opinio, pro vero, & apud omnes recepto axiomate ſupponit, pituitosã ma-
teriam craſſiſſimam genitam non ex partium naturalium frigiditate, ſed illarum

innata

A innata proprietate quadam cum erratis in ratione victus plenioris. Quid hoc obſecro,& vnde hæc noua emergit ſcientia? Non imbecillus,& imminutus calor,ſed inſita proprietas partium naturalium pituitoſos progignit humores.

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Dum enim meam magis roborare ſententiam veretur, a ſaniori doctrina declinans,ad proprietatem tanquam ad Aſylum confugit;Reſpondeat pro me Puteanus,imò & Gal.ipſe 3.de præſag.ex pulſ.ſcribens. *Eorum,qui nihil docent, duplex eſt inſtitutum,quidam ad proprietatem,quæ exprimi nequeat confugiunt; alij proferunt quidem nomina,tamen quæ ſignificant,non obſeruant, nec quam illis ſignificationem attribuant,interpretantur.* Contra quæ nihilominus poſſet aliquis cũ Theophraſti clypeo tueri. *Qui de omnibus ſcientiam quærunt,ſimul cum ratione ſcientiam*
B *tollunt.* Sed hoc de rebus omnino abditis,& quarum ratio ab humano intellectu aſſignari vix poteſt, intelligitur, nullatenus veritatem habet in re adeò ab omnibus confirmata, & apud quoſcumque medicos recepta. Quod ſi dixerit per innatam proprietatem partium naturalium ad pituitoſa excrementa gignenda intelligere ſe voluiſſe,earundem habilitatem, propenſionem, aut quid aliud ſimile,iuxta fortaſſe Gal. ſententiam 2, de diff. feb. *Magnam in morborum generatione occaſionem præbet corporis paſſuri habilitas*; reſpondebo, habilitatem hanc ex proprio oriri temperamento, & ex ipſamet partium natura, & ſenſu, quo dixit Hip.in morbis eos minus periclitari,quorum naturæ morbus ipſe cõuenit; vnde cõſtat, pituitoſos magis à pituitoſis,biliosos magis à bilioſis morbis infeſtari.
C Hoc autem ſi fatebitur,fateatur ſimul neceſſe eſt, pituitoſæ materiæ prouẽtum in S A.præter externas cauſas,ex frigida etiam partium naturaliũ diſcraſia emanaſſe, & ad hanc ipſam cauſam redigendam penitus eſſe innatam quam attulit partium proprietatem.Pro coronide tandem ponit,molas latitaſſe in vtero, ex illiſque,& non alijs morbis S A.vita fuiſſe defunctam. Ad quæ ſic ego pro corona potius.Corpora illa in vtero adinuenta ex frigida quadam. & mucoſa materia compacta, nũquam ad vera, & exquiſitas molas referri poſſe,ſed ſolummodo ad molas,quæ non ſint vere tales,cuiuſmodi plures ſunt apud Foreſtum, & Scenkium, nec non illæ, quæ ex quibuſdam medicinæ ſcriptoribus in diſputatione citatis ſub nomine molæ comprehenduntur, & hæc veritas clare colligi-
D tur ex doctrina Hipp.Ariſt.& Gal.atque etiam traditur ex illorum teſtimonio a neotericis multis primæ notæ præſertim ab Altomario,Capiuacco,& Maſſaria qui omnes nullam aliam veræ molæ differentiam agnouiſſe videtur,quam carneam,vt per eos nihil ſit aliud legitima mola,niſi informis caro vtero concepta eo prorſus modo,quo docuit Hip.ipſe lib. 1.de morb.mul. & de ſterilitate,dum ait: *Molæ conceptus hæc cauſa eſt,cum multi menſes exiſtunt,& morboſum ſemen exceperint, non conceptus ſit rectus; & venter plenus veluti prægnantis.* Quid quod etiam dato,corpuſcula illa fuiſſe vere molas, ex hoc pariter mea de hydrope, ac morte ipſa inde ſuborta ſententia ample ſatis confirmatur? Cur? Quia, vt ex Paulo Aegineta elicitur cap. de mola, ea maxime de cauſa interficere mulieres molæ conſueuerunt, quod hydropem in ijſdem generant; ne dicam ex Hipp.

Ariſt. & experimento ipſo ſatis ſuperque conſtare, molas in vtero diutiſſime geſtari, dico vſque ad quartum, quintum, decimumquintum, decimumſeptimum, & vigeſimum annum, imò, & aliquando etiam toto vitæ tẽpore, vt ex hoc ſolo non ità facile foret pronunciandum. Sereniſſimam Auguſtam intra adeo breue tempus ex ſolis molis in vtero latitantibus, & non ex alijs morbis vitali aura fuiſſe priuatam. Quibus hunc in modum, ruditer a me cõcinnatis finem vndiq; facio diſputationi huic contentioſæ, in qua meum qualecunq; ſit ingenium vlterius exerceri minime patiar, ſeu vicero, ſeu victus ero, quando vel vincẽdo per lætitiam magis magiſque non adducar, vt in contendendo perſeuerem, vel victus non enitar, vt quod amiſi recuperẽ. Agant in hoc alij quod in omnibus certandi generibus euenire ſolere ſcribit. Ariſt. quodam in problemate. *Inter pugnandum quamquam quis inferior eſt, tamen ceſſare minime patitur* Habes, mi Ludouice, quæ pro mea tutanda ſententia aliàs exarata tibi reſcribenda operæ pretiũ duxi, nulla alia de cauſa, niſi, vt vtriuſque uoſtrum Amicus Medicus clariſſimus cognoſcat, meam de re controuerſa opinionem non eſſe ità ſine rationibus, & probabilibus coniecturis, & argumentis, vt ipſe literis mandauit. Tu interim fac bene valeas, & me ames. Datum Romæ Kal. Auguſt. 1619.

QVAESITVM PRIMARIVM IN CIVE, AC MERCATORE Veneto nullam in coitu voluptatem percipiente.

I.

Cur hic vir, etiam ſi iuuenis, & ſanus, omni prorſus venerea deſtituatur voluptate, & an aliqua ad id genus infortunij præſcribi poſſit curatio, & quæ.

Quæſita ſecundaria quinque.

I.

An detur caluitium præter quam a ſiccitate.

II.

An teſtium, & ſcroti actualis frigiditas ſemen valeat incraſſare.

III.

Cur tam ſuauis delectatio ſit in concubitu.

IV.

Cur in gonorrhoea nulla, in Venere frequentiori modica delectatio ſentiatur.

V.

Cur detractis teſtibus homines euirentur.

Ad

A

Ad præclariſſimos Medicos Bononienſes, ac præceptores eruditiſſimos.

Fœlicem Caſtellium, Vincislaum Lazarum, Aeneam Vizanium, Iulium Cæſarem Claudinum, & Flaminium Rotam.

Cluis, idemque Mercator Venetus Viri ſapientiſſimi, in Veneris congreſſu ea prorſus voluptate priuatur, quæ ab omnibus ſuauiſſima perſentitur, cum nihilominus in menſa eiuſdem Veneris exercendæ cupiditatem cũctis animantibus ingenita teneatur,
B virile membrum erigat, ſemenque copioſum emittat. Quòd in fortunij genus (ita enim appellare mauelim, quam vel morbum, vel tale aliquid) cum ferat vir egregius ab vtero, atque primordijs ſuæ conſtitutionis, vereor ſane multum, vt medicæ artis adminiculo voti cõmpos fiat. Quæ namq; obſecro in partem mutatio præſidiorum ope introduci poteſt, quæ eiuſdem partis vitiũ ex alicuius exuperantis qualitatis prędominio in vtero congenitum emendet? Quia tamen medicamẽta, quibus in hanc vſque diem vſus eſt, aliqua ex parte ei contuliſſe viſa ſunt, ideo fore ſperat, vt, ſi non ſolum eadem repetantur, iuxta illud Celſi: *Sæpe pertinacia iuuantis malum corporis vincit*, ſed multo magis ſi adhuc præſtantiora excogitentur, non modo in dulci illa (ſed non ipſi) pugna fortior
C euadat, verum etiam ſibi incognitam, ac inexpertã delectationẽ nanciſcatur. Quare, me hortante, & auctore, ad vos ipſos Medicorum noſtræ tempeſtatis facile principes, tanquam ad ſacram anchoram confugit, qui vna cunctis à me relatis, docte, more veſtro, & accurate expenſis, quid nam hac in re agẽdum ſit, libere conſulatis; quod vt quam primum faciatis, vos etiam, atque etiam rogo. Interim ego non ignorans hominis, cuius eſt iucunda curatio, naturam primo eſſe inquirẽdam, quam iccirco Artis principium vocat Hip. lib. de loc. in Hom. quonam temperamento præditus ſit præſens vir, vobis ante omnia indicabo. Verum quia humanum corpus, vt ei plures facultates, ac functiones conueniũt, ita plures partes diſſimili modo temperatas habeat oportet, ex vna illarum par-
D tium temperie pronunciare de toto corpore non licet, ſed adeundæ ſingulæ ſunt, æſtimandumque quo temperamẽto ventriculus quo pulmo, quo cerebrũ, quo iecur, & cor, & reliquarum perſe vnaquæque ſeorſum ſit. Ita namq; de vniuerſi corporis temperamento, & natura probabiliorem ſententiam ferre licebit. Quemadmodum enim totum nihil aliud eſt, quam ſuæ partes vnitæ, ac ſimul ſumptæ, ſic temperamentum totius nihil eſt aliud, quam temperamẽti partium omnium vnio. At cuiuſcunque partis ſubſtantiam, atque temperiem velle ſcrutari, lõgior res eſſet, quam præſens requirat occaſio, cum præſertim mihi ſermo ſit cum viris in Arte verſatiſſimis, quibus ſumma tantum rerum capita ſignificare ſatis, ſuperque eſt. Ideo reliquis omiſſis, de cerebro tantum, corde, iecinore, ac teſtibus ſermonem faciam, a quibus tanquam primis deſumptæ notæ plerunque

runque

runque ſufficiunt, veluti proditum eſt in Arte parua. His enim partibus affe- A
ctis, illico vniuerſus homo coafficitur. In hoc autem haud negligens etiam eſſe
debeo, quoniam conſulendum a vobis eſt pro viro qui longè abeſt, & ægrotā-
ti abſenti, quam difficulter conſiliū detur docet. Gal. in conſ. 1. pro puero Epil.
Et quia vitium hoc iam dictarum principalium partium culpa potiſſimum ena
ſcitur, eo quod ſemen tum a reliquo toto corpore, tum præſertim a cerebro, cor-
de, hepate, ac teſtibus promanat. Accedo ergo ad explicādam cerebri naturam.
Membrum hoc calidum humidumque habet, cuius temperiei notæ ſunt quam
euidenti Timæ, quod enim calidum ſit, illud ipſum oſtendit, quia pili totius capi
tis ſubflaui ſunt, oculorum venæ magnæ, narium recrementa mediocriter con-
cocta, & demum, quia caluēſcit. Caliditati copioſa adnectitur humiditas, vti ſi-
gnificant nobis capillorum mollities, plenitieſque, ſuperfluarum humiditatum B
ex illa parte prodeuntium multitudo, linguæ motus in voces articulate profe-
rendo non liber, non expeditus. Vnde in τραυλισμόν incurrit, immodicæ humi-
ditatis gratia: cui vitio plerique Venetorum ſunt obnoxij. Cerebrum etenim Ci
uis huius multo permadeſcit humore eiuſdemque prægrauatur copia, qua de re
Gal. 3. Aphor. 12. Tandem quia vt in boreali conſtitutione promptius ſe habet
ad omnia, ſic vice verſa in Auſtrali capite repleto ſenſus oēs hebetes, & ad ope-
randū ſegniores eſſe affirmat. Vnde igitur caluitiū ſicitatis effectus cū Galeno?
Ipſi viderint; ego quidem vel in pororum cutis, ac ſuturarum raritatem, per quā
cauſa pilorum materialis per inſenſilem trāſpirationem euaporet, vel in acrem
qualitatem aliquam vi caloris contractam, quę capillorum radices erodat, libē- C
ter cauſam referrem, licet a poſtrema cauſa caluitium improprie dicatur, eo mo
do, quo vſus eſt Hipp. 6. Aphor. 34. *Quibus caluis varices fiunt magnæ, ij rurſus
capillati fiunt*; quando quidem vere caluities fit propter humorum inopiam, ob
vitiatos autem humores alopecia potius vel ophiaſis contingit, aſſertore Gal.
lib. 1. Catat. 4. & Alopecia quidem ſi ſecundum ampla loca, ophiaſis vero ſi cir-
culatim excidant pili, quorum neutrū hic obſeruatur. Cor in calore a tēperato
modice diſtat ad frigidum paullulum inclinans, in humiditate vero multum. Ei
namq; pectus magna ex parte glabrum depileue ineſt, arteriarum pulſatio mol-
lis, eſtque ad actiones, ſeu negotia peragenda non ita promptus, & animo mini-
me ferus, licet ad iram procliuior. Iecur valde calidum eſt, & humidum, & cum D
Empedocle polyæmatos, vt ex venarum noteſcit amplitudine, quæ multo ſan-
guine extuberant. Quare etiam ſingulo quoque anno ſemel, & aliquando bis
ſanguis præcalidus ad cutim protruditur, ibique effloreſcunt phlyctænæ, ac pu-
ſtulæ cum rubeæ tum multa ſanie, & humidiori materia perfuſæ, quæ, ni fallor,
vt effectus, ita ſigna ſunt caldi, humidiq; iecinoris. Vnde & carnoſum, ac plenū
habitum ſortitus eſt, corporiſque proceritatem; Teſticulorum denique, & cir-
cumiacentium partium craſis frigida vſque adeo eſt, vt vel ipſe P. affirmet frigi-
ditatem illam ſenſu tactus perſentiri; quamobrem ad Veneris menſam per quā
rarò accedit, & ſi aliquando ad eius cibaria deguſtanda naturali cupiditate in-
uitatur, penis erigitur quidē, ſed non ita valide, vt diu poſſit erectus permanere;
ideo

A ideo breui ſemine proiecto flaueſcendo caput ſubmittit. Frigiditatem conco-
mitatur etiam humiditas; nam multum ſeminis foras emittit,quod tamen hu-
midum,liquidumq; non eſt, vt ſolet eſſe eorũ, qui huiuſmodi ſortiti sũt teſtiũ
naturam,ſed craſſius,tamquam a calore coagulatum. An ingens frigus,quo par
tes illæ actualiter participant,vim habet ſperma in vnum cogendi. Nam & ip-
ſius ſcrotum humiditate quadam craſſiori quaſi ſuperaddito in volucro conte-
gitur,qui effectus eſt frigoris excrementitias ſuperfluitates illarum partiũ con-
gregatis. Quibus ita ſe habentibus de natura partium præcipuarum, reliquum
eſt,vt qua ratione fiat in actu venereo omnium ſuauiſſima voluptas,perquira-
mus. Ita enim difficile minime erit adæquatam cauſam adinuenire,ob quam vir
præclarus ea delectatione priuatur. Ariſt.ergo 4.probl. 16. quærens qua de cau
B ſa res omnium ſuauiſsima ſit concubitus, & vtrum neceſsitate impellantur ad
concumbendum animantes, an rei cuiuſpiam gratia genus hoc libidinum datũ
ſit; Reſpondet; *An ſuauiſſime quidem concubimus, quoniam, aut toto ex corpore ſe-
men prufluit, vt aliqui volunt; aut quia quamuis non toto ex corpore, tamen per eam
partem ſe promit in qua meatus oẽs, venaq; oẽs applicentur,& coeant. Cum igitur uo-
luptas ſimilis in libidine,atque in prurigine ſit, efficitur pariter, ut corpus geſtiat uni-
uerſum. Prurigo enim ſeceſſio humoris ſpirituoſi incluſi contra naturam eſt; genituram
vero ſeceſſionem humoris eiuſmodi eſſe ad rem naturalem conſtat ſuauis autem tum
ex neceſſitate,tum rei cuiuſpiam gratia concubitus eſt. Ex neceſſitate inquam,quod via
omnis pertinens ad rem naturalem ſuauis eſt.ſi modo a ſenſu percipi queat. Rei vero cu-*
C *iuſpiam gratia eſt, vt ortus ſit animantium perpetuus; facit enim voluptas, vt ani-
mantes ad coitum ardentius excitentur.* Prima cauſa dulcedinis in concubitu poni-
tur ab Ariſt.de mente,& ſententia aliorum, quod ſimiliter apud eũdem legitur
1. de Gener.animal.cap. 17.dum ſic ait. *Sunt qui dicant id ex toto corpore prouenire
quibus autem argumentis probent, vt ſemen ex vnaquaque corporis parte ſecernatur,
quatuor ferè numero ſunt. Primũ vehementia voluptatis: magis enim ſuaue eſt,quod
idem amplius ſit effectus,amplius autem eſt,quod omnibus membris,quam quod paucis
accidat.* Licet autem ratio hæc,quæ priore loco recenſetur, Philoſopho non pla-
ceat,ab eodem tamen refertur infra probl. 22. in quo quærit, quare qui concũ-
bunt reſolui, atque languere magna ex parte ſoleant; ſubiungit enim: *An quod*
D *ſemen omni ex parte corporis ſecretio eſt, &c.* Attamen quam erronea ſit ita exiſti-
mantium opinio vel præſens vir clare nobis demonſtrat,in quo, vt iam iã oſten
ditur,aliunde penitus, quam ab illa cauſa venerei oblectamenti carentia enaſci-
tur. Ne dicam quod ſi ideo perciperetur voluptas, quia ſemen a toto effluit non
ἀθρόως, ſed ſenſim,dũ ab vna in alteram partem ſemen illabitur,corpus oblecta-
tione geſtiret, nam vix credi poteſt derepente a ſingulis partibus in teſtes, & è
iaculatoria vaſa ſemen ipſum deriuari. Iccirco ad alias duas cauſas deſcendamus
oportet,quæ etiã a Gal.proponuntur,ac dilucide explicantur lib. 14. de vſu par.
cap. 9. ibi enim fuſiſsime docet. Gal. cur cum vſu partium genitalium voluptas
quidem maxima ſit coniuncta, cupiditas autem oeſtro ſtimulans in omnibus
florentibus animalibus vſum præcedat,& cauſam non tantũ principaliſsimam

illá eſſe vult, quam natura machinata eſt, quò genus in perpetuũ maneret incor- A
ruptum, ſed etiam materialem, atque inſtrumentariam. *Non enim, inquit, obid tantum quod Dij, qui animalia effinxerunt, voluerunt aut immenſam venereorum cupiditatem eſſe ingenitam, aut ingentem voluptatem eſſe coniunctam, protinus cupiditas, ac voluptas animalibus acceſſerunt, ſed ex materia atque inſtrumentis ad ea ipſa appoſitè comparatis*, & quæ ſequuntur; cum quibus faciunt, quæ ponuntur ab Ariſt. in altera cauſa, quam ipſe magis amplectitur, dicens quod ſi ſemen a toto corpore non decidat, tamen per eam partem ſe promit, in quã meatus omnes, & venæ ſeſe indunt, ac vna coeunt, eſtque fortaſſe illud idem, quod Hip. multo ante Ariſt. ſcripſerat ad initium lib. de genit. hiſce verbis. *Habet autem res hoc modo, venæ & nerui ab omni corpore in pudenda vergunt, quibus dum aliquantulum teruntur, & caleſcunt, ac implentur, veluti pruritus incidit, ex hoc toti corpori voluptas,* B
atque caliditas accedit. Ex ipſa autem anatome diſcere vnicuique fas eſt, quæ ſint venæ, nerui, atque arteriæ, quæ ad ſeminis iaculationem concurrunt, vnde oriãtur, & qua in penem deſinant. Quæ tamen omnia Viris, ac Præceptoribus eruditiſſimis quam notiſſima eſſe nõ ignoro, quemadmodum & illud, quod a quibuſdam ponitur, vbi foramina illa cribroſa ſupra glandoſum corpus ad radicem penis exiſtentia nimis dilatata ſunt, & ampliata, vel etiam, vt magis placet in caſu noſtro, ob nimię humiditatis redũdantiam relaxata delectationem veneream imminui, quia in illorũ meatuũ anguſtia detineri magis ſemen ſolet, & proinde titillare, ac titillando cõfertim exire, quod non euenit dilatatis, ſeu relaxatis foraminibus. Sed, vt clarius meam explicem ſententiam, tria, quantum animaduer- C
tere potui, ad huiuſmodi delectationem gignendam requiruntur, cauſa materialis, formalis, & partium genitalium ſenſus exactus. Cauſam materialem ſtatuo ſemen ipſum ſeroſæ humiditatis particeps, quæ quidem ſeroſa materia ſua acrimonia, & mordacitate poteſt maximè omniũ partes genitales excitare, voluptatemque præbere non aliter ac quãdo humores acres ſub cute ſunt coaceruati; titillant enim tunc, ac pruritum ſuſcitant, ſuoque motu voluptatem inducunt. Formalem voco ſpiritus calidiores a cerebro in primis, corde, teſtibuſque ſemini impertitos, per quos veluti turgens, ac ſpumans vndequaque perfuſum dum genitalia membra acerrimi, & exquiſitiſſimi ſenſus affatim ſuo motu titillat, & velut pruriginem infert, vniuerſo corpore in ſympathiam tracto, inſignẽ D
eidem dulcedinem communicat, iuxta etiam Gal. mentem loco cit. quo ſcribit. *Quando ſpiritus multus, ac calidus expirare gliſcit, incredibilem quendam voluptatis exceſſum afferre exiſtimandum eſt.* Id ipſum quam verum ſit, ex eo pariter cognoſcitur, quod ſemen ſine ſpiritibus, quale per gonorrhœam effundi ſolet, nullam voluptatem parit, & eadẽ ex cauſa fit, vt qui Venerẽ frequẽter exercẽt, & ſępius coeunt, minorẽ ſentiãt delectationẽ, quia ſpiritus languidiores & pauciores. Verũtamẽ hæc duo nihil efficiunt, non accedente genitaliũ partiũ ſenſu exquiſitiſſimo, & earundem veluti compacta ſubſtãtia; ſic.n. iiſdem titillatis partibus, & redactis, quæ diſtendebantur, vaſis in naturalem ſitum, conſtitutionemque, ingẽs voluptas percipi poteſt. Si quis autẽ à me quærat, cuius nam culpa ex adductis

A cauſis præſens vir hac ipſa voluptate priuetur, illico formalis cauſę, & partium genitalium non exacti ſenſus vitio, id totum in eo fieri reſpondebo, nam materialis cauſa inculpate ſe gerit in illo adeſt enim copia ſeminis, cui etiam aſſociatam eſſe illam ſeroſiorem humiditatem, inde fit veriſimile, quod iecur eius præcalidum eſt, in quo propterea, & multi bilioſi humores neceſſario gignuntur, qui vna cum copioſo ſanguine, quo vndique corpus eius abūdat, cum iſti acriorem qualitatem in eo producunt, quæ & ſemini addita illud acrius reddit ad tentiginem cum voluptate gignendum. Quamobrem, quod hic vir cauſarum a me relatarum culpa careat in Veneris congreſſu voluptate, facile eſt ex ſupra iactis principijs conijcere. Nam ſpiritus a cerebro prodeuntes ſunt quidem calidi, ſed eiuſdem membri nimia humiditate obtunduntur, qui verò a corde exeunt frigi-
B diuſculi, a teſtibus nil ſpirituum, caloriſve ſemini cōmunicatur, quippe qui frigidiori intemperie euidentiſſimè laborans. Vnde vir mercator in ſuis actionibus muliebrem potius, quam virilem naturam præſefert. Cur? Quia in teſtibus natura poſuit fontem vnum caloris, vt argumento ſunt eunuchi, qui detractis teſtibus euirantur, ac ex natura virili in muliebrem degenerant. Ex quibus omnibus eliciendi in primis forent ſcopi ante oculos in curatione habendi, & iuxta eos deinceps proponenda eſſent varia, ac multiplicia medicamenta è triplici Medicinę fonte hauriri ſolita; ſed hoc munus erit D. D. V. V. ad quas hunc in finem hæ meæ litterulæ ruditer, & volanti ſtylo exaratæ mittuntur a P. ipſo, mihique ſatis eſt in præſenti, illa tantum capita breuiter percurriſſe, quibus la-
C tiſſima vnicuique pateat via ad rectam curandi methodum, & præſentanea magis auxilia, quæ nunc ego deſcribere, ac proponere ſuperſedeo, vt illud vitem quod ex vteri adagio circumfertur: *Noctuas Athenas.* Valete diu fęlices, Vincentiumque veſtrum omnium olim obſequentiſſimum diſcipulū ſolito amore proſequi dignemini. Datum Venetijs 1603.

Vir prædictus dum cupit eſſe ſalax, & varijs medicamentis, quæ tam tam ponētur, & alijs tum a Medicis, tum & à mulieribus, ac empiricis præſcriptis Veneris ſtimulos & illecebras quæritat, omniaque tam intrinſecus aſſumpta, quam extrinſecus adhibita calida admodum forent, ſcabie primum magna, & vniuerſali corripitur, mox ab ea curatus in dyſenteriam incidit, a qua vna cum febre inſauiente circa trigeſimam diem vitali aura priuatus obijt.

D

Reſponſum Medicorum Bononienſium.

Actio coeundi omnibus modis vitiari poteſt, prout, & penis erectionem, & ſeminis eiaculationem lædi contingit: quare, cum in egregio viro erigatur penis, eiaculetur, aut potius eijciatur ſemen, & hoc ipſum copioſum ac craſſum, citra tamen voluptatem, & delectationem, actionem prædictam ea ratione vitiari ſtatuimus qua inſigniter imminuitur, quoniam in ſeminis eiaculatione quod præcipuum eſt, delectatio videlicet deeſt, quamquam etiam, & deprauatam eādem actionem nos vocare poſſe putamus, quatenus non ſit ſecun-

dum debitum morbum, videlicet cum delectatione, & voluptate. Vtcunque tamen ſit, laborandum circa generationem huius ablatæ voluptatis; Ablata igitur hæc voluptas eſt actio læſa, ergo neceſſario depēdet a vitio vel organi, vel obiecti, vel vtriuſque; in noſtro autem caſu ratione vtriuſq; vitiari haud dubitamus, quod inde manifeſtum reddatur, exordio ſumpto ab organo; Organum igitur ſunt partes genitales, in quibus, & facultas, & natura ipſiuſmet organi eſt perpendi, facultas duplex, cōmunis, & determinata, communis eſt facultas animalis, pręcipuè vero imaginatio, quę eſt principium omnium actionum in corpore factarum, vbi enim hæc auertitur ab alio obiecto, eſt in cauſa, quod quælibet actio, & proinde actio etiam coeundi non bene procedat. Facultas vero determinata eſt, quę potiſſimum ad partes ipſas genitales attinet, ipſiſque communicatur ex partibus principibus mediante ſpiritu, & calore innato, hæc enim ſiue non ſuſcipiatur ob denſitatem partium genitalium, ſiue non mittatur; vel quia alio auocatur, vt in timore & odio; vel quia viæ, per quas fluit, ſint impeditę; vel tandem quia ſpiritus idonei, & copia, & qualitate in partibus principibus, ob aliquem earum affectum præter naturam non gignuntur. In noſtro egregio Patiente, nec vitio imaginationis, nec vitio facultatis determinatæ pro maiori parte malum prædictum contingere refertur, quapropter circa naturam organi verſandum. In organo igitur duo conſiderantur, temperies, & ſtructura. Quantum ad temperiē, hęc omnino ineptiſſima eſt in hoc patiente ad actionē coeundi, quando narret partes proprias genitales frigidas ab eo perſentiri, nec valde àd venerē ſit propenſus, frigiditati iungitur humiditas, quod ſuadet excrementum quoddam craſſum, quod veluti tegumentum ſcroto inhæret, atque hac ratione fit, vt partes genitales in Viro nobili non habeant exquiſitum illum ſenſum, qui ad voluptatem in coitu neceſſarius a Galeno exiſtimatur; fit enim ſenſus hic ope caloris, ac ſiccitatis cuiuſdam moderatæ ipſius organi. Quantum verò attinet ad ſtructuram, ſine dubio foramina inſtar cribri ſupra corpus glandoſum ad radicem penis exiſtentia ſunt nimis dilatata, & ampliata, vel potius ob redundantiam humiditatis relaxata, nam & ad partem illam foraminibus obductam attinet delectatio, qua ob foraminum anguſtiam ſemen maiorem moram trahens titillat, & titillando ſubito exit; quare cum dilatatis, aut ſaltem relaxatis illis foraminibus, ſemen non detineatur, & ſenſim exeat, proinde non eſt mirū ſi miſer hic patiens deſtituatur coitu voluptuoſo, pariter non eſt mirum etiam ſi ſtatim cum maxima mulieris diſplicentia penis flaceſcat. Accedimus ad obiectum, quod nihil aliud eſt, niſi ſemen ipſum, quod vt delectationem inferat, duo habere debet, vnum vt ſit calidum, & ſpirituoſum, alterum vero, vt ſit acre, merito enim vtriuſque in parte illa foraminulenta titillationem, ac pruriginem parit, cui voluptas in coitu accepta referenda eſt; medijs enim calore, & copia ſpirituū irritatur facultas expultrix, ac ſubita fit expulſio; media autem acredine, pūctio, & morſus infertur, a quo agitatio, & titillatio inducitur, acquirit autem ſemen calorem, & ſpiritum a partibus principibus, præcipue verò a Corde; habet verò acredinem ab humiditate ſeroſa in illius generatione a iecore, vaſis ſperma-

A ſpermaticis,atque teſtibus ſuppeditata; Cæterùm cum Patiens noſter ſit Cor-
dis frigidi,vt ex moribus muliebribus,pectore depilo, ac mollitie in pulſu colli-
gitur,non eſt mirum ſi ſemẽ illius calore,& ſpiritibus aptis, & accomodatis pri-
uetur;ſimiliter quoniam corpus illius ſcatet humiditatibus excrementitijs, quæ
acredinem humiditatis ſeroſæ in iecore genitæ placant, non eſt difficile captu,
ſemen & acredine deſtitui; quo circa his & alijs ſimilibus rationibus adducti,mi
ſerum noſtrum Patientem voluptate inter coeundum priuari credimus. Quare
vniuerſa medendi ratio eo dirigenda eſſet vt expiato corpore a colluuie excre-
mentorum pituitoſorum, & melancholicorum, cor caleſieret, partes genitales
pariter caleſierent,ſiccarentur,& conſtringerentur, ac tandem quæ coitum fo-
uere,& augere poſſent,ad vſum perducerentur. Veruntamen ſcopos hoſce mi-
B nime adimpleri poſſe quãdo vitiũ eſt natiuum exiſtimamus;cui & illud accedit
quod in ſimilibus caſibus homines vſque adeo animo cxagitãtur,vt quaſi timo-
re cõfecti, iugique imaginationis deprauatione affecti in animi deſperationem
incidant, & proinde inhabiles ad coitum ſeſe exiſtiment; Cœterum quoniam
Medicina eſt donum Dei, idcirco ex ea etiam in malis pene irremediabilibus
aliquid boni eſt ſperandum, & eo magis quoniam Medicus in illis remedia ſal-
tem ægros conſolandi gratia vſurpare poſſit, & melius ſit remedium paulo an-
ceps,quam nullum adhibere,ad quod reſpiciens Celſus dicere ſolebat, ſpẽ me-
liorem eſſe exitio; Quibus rationibus adducti ad materias præſidiorum prope-
ramus, Atque à Chirurgica exorſi, duas tãtummodo proponimus vtiles, prima
C eſt Cauterium in fœmore dextro excitatum,ad deriuandam humiditatem illam
excrementitiam, qua continuo ſcrotum ſcatet: Altera verò eſt frictio partium
genitalium humida facta cum manibus inunctis in oleo, vel de cherua,vel ſam-
pſucino,in quo ferbuerint formicæ alatæ; vel tandem oleo ex nuce moſcata, &
pineis recẽtibus extracto cum aliquot granis moſchi, & ambræ,aut Zibetti,ſed
hiſce omnibus ad conſtringendum, & roborandum addendum oleum maſtici-
num. Medicamenta rediguntur ad communia,& priuata;in genere communiũ
pro lenienti mel roſ. cum ſyr. de polippodio;pro præparanti decoctum factum
ex iure colũbino betonicæ,boraginis,cicorij, macis adiectis ſyrupis accomoda-
tis: pro purganti infuſum agarici, & ſenæ cum melle roſ. ſolutiuo conuenit; a
D quibus omnibus, hoc tẽpore potiſſum,thermæ calidæ, vti porrectanę in Agro
Bonon. vel illæ D. Barth. in Agro Patauino probantur, ea tamen ratione, vt
Tetutianæ ad duos vel tres dies prius bibantur.In autumno verò ſequenti deco
ctum Guaiaci,& ſalſæ,vel (quod magis probatur) chinæ, & ſaſſafras in iure co-
lumbino cum cortice guaiaci,& ſimplicibus venerem iuuãtibus paratum,dum-
modo tamen cicoreaceis corrigatur mirum inmodum laudamus. Priuata vero
medicamenta, ſi ad viſcerum, & primum Cordis intemperantiam redigantur,
poſſunt eſſe interna,& externa: in ſerie internorũ confectio Alchermes,vterq;
Diamuſcus, Diambra,& ſimilia,caſtigata tamen,ſi opus fuerit, cõſerua cicorea-
cea,& roſarum nobis arrident, quæ eadem etiam exterius adhibita Cordi non
diſplicent,ſed prę cæteris ſericum purpureum,in quo goſſipium aliquot granis

moſchi, & ambrę refertum ſit conſutum ſuper Cor geſtatum laudatur. Pro te- A
ſtibus, cole, & perineo primum inſeſſum factum ex aquis iam dictis, in quibus decoquantur ſimplicia coitum augentia, nec non nuces cupreſſi, thus, maſtiche, & menta laudamus: Vinum quoque maluaticum in quo maceratum ſit zibettum pro fotu conuenit, a quo poterit fieri illitio cum oleo iaſmino, & de gariophilis, atque huic oleum maſtichinum addere, illi vero prius incoquere maſtichem, mentam, & nuces cupreſſi licebit. Tandem deueniendum ad ea, quæ ſtrenuos, & validos reddunt homines in coitu, quo circa, & Diaſatiriõ, & extractum croci, & carnem ſcyncorum marinorum cum pineis, fiſticis in formam morſellorum cum ſaccharo diſſoluto in vino cretico, & decocto fabarum, & pul uerem virgæ tauri, ſem. crucæ, ſeminum lini, & paſtinacæ ſylueſtris ex iure cicerum rubrorum datum, poſtremoque, & radicem eringij melle, & pipere B
conditam probamus. His demum omnibus adijciatur viuendi ratio accomodata, quæ potiſſimum in eo verſabitur, vt Patiens noſter veſcatur bonis cibis, potiſſimum verò teſtibus gallorum, cerebris paſſerum, columbis, & caponibus cum macere decoctis, fabis, caſtaneis, & ciceribus moderate tamen ſumptis, atque his omnibus licebit admiſcere puluerem paratum ex ſeminibus, & ſimplicibus iam dictis. pro potu vero vtatur vino odorato, tum albo, tum ſubrubro, quod magis proderit, ſi tempore vindemiarum guaiaco, vel ſaſſafras, & china corticeque guaiaci alteretur, adiecta etiam rad. ſatirionis maioris; atque illud circa victum ſit conſtitutum, vt tempore decoctorum iam dictorum inſtituatur victus, qui extenuet ac ſiccet. Atque hæc omnia D. O. M. fœlicia, & ſalutaria C
miſero ægrotanti reddat.

D

EPIS-

A

EPISTOLA MEDICA, IN QVA ILLVSTRISSIMÆ Monialis Hiſpanæ multa, eaque contumacia admodum ſymptomata, nimirum dolores arthritici, ſed præcipue coxendicus; ſiniſtri brachij, vtriuſque pedis, & capitis tremor, cordis vocata palpitatio, febres variæ, inappetentia, ſumma ventriculi imbecillitas, colica diatheſis, memoriæ oblæſio, ſputum ſanguinis, aliaque non ſolum enarrantur, ſed ſingulorum quoque traditur curatio.

Quæſita autem ex ea elici hæc poſſunt.

B

I.

Cur a male affecti corporis natura medendi ratio depromatur;

II.

An, & cur optima vel a prima in vtero constitutione contracta habitudo interdum mutetur.

III.

An Arthritis perpetuo a pituita, vt putat Fernelius.

IIII.

Cur catarrhalis vulgo dicta materia è cerebro per venas defluere non credatur.

C

V.

Cur Hiſpani conſtanti animo ſint, & ingenio polleant.

VI.

Cur Arthritici dolores a cauſa frigida ſub ſtragulis magis inſæuiant.

VII.

Cur hæmoptois in mulieribus ſanguineis non ſemper periculoſa ſit.

VIII.

Cur memoriæ læſio non tam à frigido, quam ab humido fiat.

IX.

D *Cur a febribus dolores articulares euanuerint.*

Ad Præſtantiſſimum Virum Ludouicum Merchatum Philippi II. & III. Hiſpaniarum Regis Archiatrum vbique celeberrimum. A

SI ſummorum Virorum mandatis, vt par eſt, obtemperare vnuſquiſque debet, Mercate ſapientiſſime, nulla certe mihi temeritatis culpa iniungenda, dum tibi cunctarum diſciplinarum ſplendore ornatiſſimo, cui ne de nomine quidem notus ſum, literas medicas impolitis verbis, ac rudiori Minerua exaratas mettere non dubitaui. Id enim vt aggrederer Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi D. Hynici Cardenas pro Catholico Rege apud Venetos Oratoris quamdigniſſimi effecit auctoritas; cui quidem, in re præſertim tam honeſta, vt non cunctanter, ſed è veſtigio parerem, B magna etiam eius in me officia omnino expoſtularunt. Hic etenim haud minori cura, & ſtudio Illuſtriſſimæ Sororis bonæ valetudini, quam propriæ, ſemper conſulens, petijt a me, vt varia ſymptomata, quibus iamdudum extorquetur, diligenter deſcriberem, eaque pro virili expenderem, & quot, quibuſq; præſidijs euinci, ac debellari poſſe cenſeam, in medium libere proferrem. Qua in re quãtum profecero, tibi ipſi, & præſenti, & emunctæ naris Viro diiudicandum relinquo. Illud quidem Galeni è Conſilio pro puero Epileptico de promptum *ægrotanti abſenti parum rectè conſuli,* ſcio tibi quam notiſſimum eſſe, ne dicam, quod literæ ex Hiſpania huc allatæ non a Medico, ſed a patiente ipſa conſcriptæ fuere, quarum literarum ordinem, ſi aliquis in illis ordo cernitur, inſequi coactus C ſum. Tu interim, qui Illuſtriſſimę Iuuenis ſaluti non ſemel præfuiſti, quique illius naturam optimè cognitam habes, in examen cuncta deduces, & quæ demum prò eius mala valetudine abigenda, bonaque conſeruanda præſtari debent, ſtrenuè, more tuo, decernes. Te ſiquidem cum eſſe cuncti prædicant, qui cum in Medica, tum Philoſophica ſcientia ad ſummum honoris, laudiſve gradum iampridem perueniſti. Talis enim de te, tuiſque egregijs virtutibus vbiq; locorum inueterata fama vagatur, quam profecto nulla vnquam obliuione delendam doctiſſima tua monumenta, quæ quotidie a Medicis magna cum ægrotorum vtilitate euoluuntur, mirum in modum auxerunt. Taceo onus, quod inclyta iſta in Aula Regia tam honorifice ſuſtines, vt ab eo vſque tempore, D quo nunquam ſatis commendatus Valleſius ab hac aura diſceſſit, Rex ipſe ex tot eruditiſſimis Medicis, primarium tibi locum vltro detulerit, teque vnum ſuæ valetudinis aſſertorem elegerit. Ex qua re quanti faciendus ſit, vnicuique conſtat. Felix tamen Maximus, Magnanimuſque Rex, cuius corporis ſanitati, qua nihil in vita charius, nihil amabilius, tam peritus rei medicæ præeſt. Tu enim is es, qui illius aduerſam valetudinem quam citiſſime debellare, & ſanitatem ſimul ab omni ærumna, & languore incolumem quamdiutiſſime tutari poſſis; In quem certè mirè quadrat Homericum illud ex 4. Odyſ.

ἰατρὸς ἐπιςάμενος περὶ πάντων ἀνθρώπων.

Sed

A Sed ne ignotus ego, & illaudatus iuuenis tuas ipſius laudes, quas (abſit verbo inuidia) vix integrum volumen æquaret, in tam breui, ac rudi oratione includere velle videar, finem hic ſermoni meo imponam, ſi prius tamen obnixe te rogauero, vt meum de Epilepſia opuſculum, quod vna mittitur, pomeridianis horis quandoque deguſtes, auctoremque inter eos, qui te ſumma obſeruantia colunt, cooptare non graueris. Diu vale ſenex ſapientiſsime; iam enim tempus poſtulat, vt ad ſymptomatum hiſtoriam enarrandam me ipſum accingam. *Ab omni namque arte,* Hippocratis ſententia in Epiſtola ad Crateuam, *aliena res eſt dilatio, verum maxime a medicina, in qua dilatio eſt vitæ periculum.*

Illuſtriſsimæ igitur Iuuenis inter Virgines D. O. M. conſecratas iampri-
B dem connumeratæ, annum ætatis ſuæ nonum ſupra vigeſimum agentis, omni ſtudio, & cura indaganda natura eſt, priuſquam ad ea, quibus conflictatur, ſymptomata explicanda noſtra conuertatur oratio. Vniuerſa ſiquidem medendi ratio vnanimi Medicorum conſenſu, non ſolum ab affectus, ſed etiam a male affecti corporis natura potiſsimum depromitur. Maiori enim ex parte morbis corripimur ſimilibus, diuerſæque naturæ ſingulas requirunt curationes. Vide Gal. 3. meth. capit. 7. cuiuſque hominis propriam eſſe curationem docet, qui propterea de ſe ipſo dixit. *Si priuatim cuiuſque hominis naturam ad vnguem exploratam haberem, vtique qualem fuiſſe Aeſculapium mente concipio, talem me eſſe putarem.* Quatenus ideo ad nobiliſsimæ Monialis temperamentum attinet, ex
C literis ex Hiſpania huc allatis, nec non ex ijs, quæ mihi coram retulit Illuſtriſſimus, & Excellentiſsimus eius frater Dominus meus vtique colendiſsimus luce clarius conſtat, iſtius corporis temperaturam ſanguineam eſſe, hoc eſt calidam, & humidam: Quam quidem optimam, ac ſaluberrimam naturam à primordijs ſuæ conſtitutionis in vtero contraxit, & ſi iamdudum illius corpus, ventriculi imbecillioris vitio, & cibariorum qualitate frigidorum, præſertim vero piſcium longo vſu, pituitoſo in primis, deinde hepatis feruidioris cauſa, melancholico humore cumul inter ſcateat. Vnde capite, ac iecinore exceptis, quæ ambo in caliditate naturalem gradum excedunt, reliquæ corporis partes iuſto ſunt frigidiores, vt relata ſymptomata, & literæ abunde teſtantur. Hinc
D certum eſſe colligitur a natura contractam habitudinem ita interdum corrumpi, vt aſcititia, vitioſaque forma introducta, fomitem morboſum pariat, & foueat. Quapropter quod hac in Religioſiſsima Muliere cernitur, de mille alijs affirmari ſane poteſt. Quotidie namque obſeruantur, qui licet a primordijs ſuæ conſtitutionis inculpata ſint præditi natura, qualis ſanguinea eſſe perhibetur, attamen annorum, ac temporis progreſſu in deteriorem, & omnino aliam demigrant. Quod equidem duplici de cauſa contingere arbitror, prima ex ætatis mutatione, & annorum progreſſu, quo cuiuſque temperamentum verti nemo ignorat, cêſeat quidquid velit Fernelius 3. de temperam. cap. 10. & 11. Hinc enim fit vt homines pro ætatum varietate in varios incurrant morbos, & vnius ætatis ægritudines perſæpe in alia prorſus finiantur. Hoc autem non annorum nume-

ro, ſed

ro,ſed temperamento ipſi annorum curriculo vna cum humorum prædominio A
mutationem facienti adſcribendum omnino eſt. Secunda, & hæc eſt maxima a
Gal. cum alibi, tum cap. 1. de cib. boni, & mali ſucci tradita, ex erroribus in ſex
rebus non naturalibus, præſertim in cibo, & potu, quæ duo tantam vim habent
alterandi, immutandique corpora, vt optimam alioqui naturam, non modo labe
fačtare, verum quoque penitus diſijcere queant, aduentitia introducta, iuxta de-
cantatum axioma; *ex his conſtare nos, quibus & dies alimur*, ſed age ad ſymptoma-
ta diligenter expendenda me cõfero. Horum ergo quædam præterita iam ſunt,
nec amplius fere mulierem afficiunt, quædam verò præſentia de quibus ineun-
da nobis erit curatio, illa primo loco examinabo, vt imperata faciam, & vt præ-
ſentium cognitioni conducant, hæc verò tandem, vt quantum fieri per me pote
rit, ab illius corpore trudantur. In primis itaque recenſentur peracerbi totius B
corporis dolores eo maxime tempore ingraueſcentes, quo ſomnum capeſſendi
gratia corpus ſub pannis inuolutum incaleſcit. Hos autem dolores aliquot per
annos paſſa eſt quam vehementes, quibus deinde aliqua ex parte ſedatis, ſini-
ſtri brachij, ac vtriuſque pedis; nec multo poſt capitis etiam tremor apparuit,
cerebrumque ipſum veluti ſtupore oppreſſum geſtaſſe, & eodem tempore cor-
dis vocatæ palpitationi, acerrimoque iſchiadis dolori obnoxiam fuiſſe refert.
Tumor quoque in dextero extuberabat humero. Interim febris illam corripuit,
quæ tertianæ naturam præſeferebat, veluti ex modo, quo acceſſiones inſurge-
bant, clare dignoſcitur, quæ poſtea in continuam febrim demigrauit, a qua per
biennium vexata fuit. Cui quidem ſuperuenit alterius naturæ febris, quartana C
ſcilicet, quæ per decem menſes Illuſtriſſimam Iuuenem ægre tractauit. Vix à
quartana libera eſt fluxio in varias corporis partes è capite decubit, cuius gratia
varia pati ſymptomata cogitur. Nam ad oculos delapſa, epiphoram; ad dexte-
ram mandibulam, magnum ab ea parte dentium dolorem; ad gutturis muſcu-
los, anginam patiebatur. Appetentia proſtrata fere ſemper; frequens euo-
mitio, aliquando etiam ſanguinis è pectore reiectatio, an cum magna, an verò
leui tuſſi, & cuius condicionis fuerit ſanguis, nulla fit in literis mentio. Hic de-
nuo de capite grauiter affecto non parum queritur, & de memoria penitus abo-
lita. Eodem tempore inuaſit eam febris ex ijs quas Gal. libr. de præſag. ex pulſi.
cap. 4. & lib. 3. popul. ſect. 3. comm. 57. & cum Galeno tu in aureo opuſculo de D
febre maligna tract. 1. peſtilentes ſine peſte vocas, Hiſpani *tabardillo*, poſt quã
a doloribus multum recreari viſa eſt. Quæ hactenus retuli ſymptomata multo-
rum annorum decurſu præclariſſimam Virginem viciſſim excruciarunt, modo
magis, modo minus, prout illis vel ex vitæ erroribus, vel ex medicamentis temo
re adhibitis dabatur occaſio. Inter quæ quidem ſymptomata aliqua adhuc re-
periuntur, quę nondum penitus ceſſauere, nam & hodie quoque magnos in in-
feriore ventre dolores ſæpiſſime patitur, coxendicuſque vocatus dolor eandem
fere ſemper concomitatur. Ventriculi ſumma illi eſt languiditas, ob quã mem-
brum hoc, & appetendi, & cõcoquendi ſimul munere fruſtratur. De cordis an-
xietudine, dolore, & ardore multum dolet. Iam dicti vniuerſi corporis dolores
etiam-

A etiamnum perſtant, præcipuè muſculorum thoracis, & ſpinalis medullæ. De menſibus mirum certe eſt, eos in tot, tantiſque affectionibus ne vnica quidem vice deſijſſe, imò bis etiam in menſe prorupiſſe narrat. Sed iam tempus eſt, vt prædicta omnia in examen vocemus, in qua ſuas cauſas pro virili deducamus. Ex cauſis enim morborũ proximis veræ curandi indicationes eliciuntur. Quantum igitur ſpectat ad vniuerſales illos totius corporis dolores a patiēte ipſa dolores *en todos los gueſſos* appellatos, exiſtimo ego articulares eſſe, dum ſingulæ oſſium coarticulationes per omnem partem a defluente materia expletæ tendunt ſimul circumſitas neruoſas partes ad continui ſolutionem, a qua poſtea dolor gignitur. Multa poſſem in medium afferre, quæ id mihi perſuadent, quæ tamen breuitatis ergo libens omitto. Fluxionem cum cœteri articuli, tũ maxime vtri-

B uſque pedis admittunt, propter imbecillitatem contractam, non a male affecto parentum ſemine, ſed a longo potius per glaciem nudis fere pedibus inceſſu. Glacies autem, & frigida omnia oſſibus, neruis, reliquiſq; partibus exanguibus, & à fonte caloris longè ſemotis, quam parum amica ſint, notum eſt omnibus ex Hip. lib. 5. aphor. 18. Inde enim propterea factum, vt tam in hyeme, quam in æſtate ſudor multus ex vtroque pede, deperdito fere innato amborum calore, erumperet. Materia autem quæ delabitur, quæq; tam varia progignit accidētia, & hetherogenea quidē eſt, ſed a prædominio frigida, pituitoſus ſcilicet humor in primis, deinde melancholicus, vterque craſſus, tenax, atque rebellis, vnde forſitan morbi longitudo emanat, etſi non parua longitudinis cauſa ſit viſcerũ in-

C ternorum intemperies adinuicem in actiuis ſaltem qualitatibus cōtrariæ. Obijciet interim quiſpiam articulorum dolorũ materiam perpetuo eſſe pituitoſam, atque ſeroſam, id enim contra Galenum arctiſſime tenet Fernelius lib. 6. Patholog. cap. 18. Præterea ſola pituita, aut cum melancholia ſimul, qui ambo lenti, & craſſi ſunt humores, tam prompte in longinquas corporis partes dilabi nequit. Reſpondetur, arthritidis cauſam continentem, quam nuper materiam vocaui, non ſemper, & perpetuo vnam eſſe, ſed modo calidam, modo frigidam, vt quãdoque biliofa, vel ſanguinea ſit, quandoq; verò pituitoſa, vel melancholica, etſi a melãcholia rariſſime propignatur. Fit inſuper a materia & hetherogenea, hoc eſt omnibus fere humoribus vna ſimul confluentibus quod accidit cum ab he-

D pate quoque per venas ad articulos fluxio tranſmittitur: rarò enim ſyncerus humor è venis excidit. Fernelij autem rationes leuiores ſane ſunt, quam quæ debeant a meliore veterũ dogmate nos abducere, neque eas confutandi hic locus eſt. Quantum ad aliam obiectionem, reſpondetur, calidum, tenuemq; bilioſum humorem intermiſceri, præ quo pituita cum melancholia ad motum agilior, & promptior redditur, quamuis poſtea, vbi ad longinquas ſedes iam dicti humores defluxerint, bilis ab eorum miſcella ſe expediens in halytum reſoluitur. Fontes autem, a quibus in affectas corporis ſedes defluit pituitoſum excrementum, ſunt ventriculus, & caput, quorum alter frigida & humida, alterum vero calida & humida intemperie cum materia laborat. Nam quantum ad ventriculum, vitiantur primariæ illius actiones, cibi ſcilicet appetentia, & eiuſdem abſoluta con-

coctio a copia frigidorum ſuccorum, qui paulatim ibi congeſti, illius membri A intemperiem, ſeu a parentum ſemine, ſeu magis ab erroribus in viuendi norma eam acquiſierit, ſummopere fouent, atque adaugent, vt magnus inde frigidorum excrementorum prouentus exoriatur. Ideo ſæpe ad vomitum prouocatur, irritata nimirum expultrice naturali ad expulſionem rei, & copia, & qualitate nocẽtis, quam pariter in ea excitat bilioſus humor a iecinore per meſeraicas venulas in ventriculi fundum regurgitans, vt ex ardore, & continuo oris amarore cognoſcitur. Talis namque humor acri ſua, & amara qualitate facultatem vellicat. Caput autem licet calida dyſcraſia incaleſcat, multitudinem tamen frigidæ pituitoſæ materiæ accumulat, quæ in varias deinde corporis partes diſtribuitur, ſeu id ſolum fiat ſecundum membranas, neruoſque ſeu etiam per vaſa, hoc eſt venas, & arterias, quod aliquibus non probatur, ſi defluxione è cerebro B tantum orta ſermo fiat. Sic enim, dicunt, oporteret materiam è venis egreſſam rurſus venas ſubire. Eſt autem caput omne, & præſertim calida, humidaque intemperie detentum, vt recte comparari poteſt ex Hip. lib. 4. de morb veluti medica cucurbitula, quæ toti inhærens corpori ſurſum vapores allicit, a ventriculo præſertim imbecilliori, ingeſtaque cibaria ruditer elaborante, qui a cerebri frigiditate, vt placuit in de ſomno, & vigilia, Philoſophorum Principi, in frigidos commutantur humores. Melancholico quoque humore, vt de bilioſo, qui melancholicum neceſſario præcedit, taceam, corpus hoc abundare, illud ſatis eſſe poſſet, quod Patiens Hiſpana eſt. Hiſpani ſiquidem omnes melancholicæ naturæ ſunt, & propterea in ſuis actionibus ſtabiles, firmi, & cõſtantes; & iuxta eandem rationem ingenio, menteque excellunt, vt probe docuit Ariſt. ſec. probl. C 30. prob. 1. ſed & quartana febris, a qua per decem menſes depræhenſa fuit, & hepatis feruidior intemperies id ſatis ſuperque demonſtrant. Verumtamen, ſi literis habenda fides eſt, paſſionum quibus iamdudum detinetur, occaſio potiſſimum referenda in pituitoſa excrementa tam in capite quam in ventriculo ipſo cumulanter aceruata. Nec obſtat quod obijci poteſt de doloribus, eos nẽpe, dum ſomno indulget, ab adaucto calore incrudeſcere cum frigida calidis, calida frigidis curentur. Quandoquidem corpus Illuſtriſs. Monialis frigidis vndiq; ſcatet ſuccis, quorum gratia membra omnia ingenti frigore oppreſſa perſentire eadem refert, ita vt eos innatus calor ad interiora, ęgra dormiente, reuocatus, ſu- D bagitet magis, quam attenuet, atque cõuincat, qui ad articulos laxiores delapſi, & eorum circumſitas neruoſas partes diſtendentes, dolores efficiunt. De ſiniſtri brachij, ac amborũ pedum tremore ita ſentio. Generatur motus ille prauus dum pituitoſa materia a capite in neruos, qui ad brachium, & pedes tendunt, propellitur a qua quidem materia, neruorum initio veluti occluſo, radij ſpirituũ animalium adeo exigui permeant, vt pro voluntatis iuſſu membra illa nequeãt moueri, & mobilis oneri ſuccumbendum illis ſit. Ideo namque Gal. dixit tremorem eſſe ſymptoma motricis imbecillis membrum mouere tentantis, libr. de trem. cap. 3. & 4. Eſt enim motus quidã compoſitus ex animali, & naturali, nam anima, ideſt animalis facultas membrum attollere nititur, ſed quia hæc ſatis po-

tens

A tens non eſt, a natura, hoc eſt a proprio pondere membrum ipſum deprimitur. Ab eadem materia,& capitis tremor,& cerebri ſtupiditas ortum ducit. A copioſo enim frigidiori,ac humidiori excremento cerebrum ipſum prægrauari ſignificatur,quod ab expultrice naturali in dextrum humerum detruſum, tumorem ibi præter naturam excitauit, & per ſpatia inter muſculos, & cutim ad eum articulum,quo caput oſſis fęmoris in coxendicum inſeritur,delapſum, iſchiadicum progignit dolorem,a quo etiamnum patiens fere ſemper vexatur. Sanguis vero quo vndique etiam corpus iſtud abundat, in pectus aliquando decumbēs, ſanguinis ipſius ſputum,ac reiectarionem progignit,e pulmonum vaſis,vt arbitror,manans per quandam anaſtomoſim, vt in iuuenibus ſanguineis etiam non ſuppreſſis menſibus interdum obſeruatur, idque ex ſola redundantis ſanguinis B regurgitatione ad ſuperiores partes; Nam in literis, neque ſalſæ, neque amaræ deſtillationis fit mentio, quas etiam qualitates fluxio per putredinem ex longa mora in thorace non acquiſiuit; quoniam nulla deinceps expuitio purulēta viſa eſt,vt neque fixa & in habitum conuerſa febris, neq; corporis macies inſignis. Hæc enim ſunt quæ phthiſim,prout paſſim ſumitur, demonſtrant, iuxta Hip. aphoriſticam ſententiam 7. aph. 15. *A ſanguinis ſputo, puris ſputum, a puris ſputo phthiſis.* De memoriæ abolitione quid aliud proferam,quā quod Hipp. ipſe de comirialibus ſcriptum reliquit in de ſacro morbo? *obliuioſi ſiunt dum cerebrum perſrigeratur*, & Gal. 3. de loc. aff. *Cum vel perijt*, inquit, *vel omnino grauiter læſa eſt memoria, frigida tunc intemperies eſt*. Iam enim abunde monſtrauimus C iſtius nobiliſſimæ iuuenis cerebrum frigidis ſcatere excrementis. Quod ſi quiſpiam huius ſymptomatis cauſam,propter caput calida intemperie affectum, in humidam potius,quam frigidam dyſcraſiam referendam eſſe contendat, libenter,& huic adhærebo,cum ſciam, humefacto cerebro, omnes etiam animi functiones torpeſcere, vt memoriæ abolitio in præclariſſima fœmina excedētis humiditatis ſoboles haberi poſſit,vt in pueris cernitur,& in ſenibus quoq; ſi Auerroi credimus,qua de re fuſius in noſtris de Epilepſia Lectionibus. De febribus non eſt hoc in loco longiori ſermone diſſerendum: illud quidem ſilentio minime inuolucudum puto,quod poſt febrim,quę non tantum manifeſta,quantum etiam latenti qualitate inualeſcebat, ab articularibus doloribus multum ſuble- D uata eſt,cuius affectus cauſa nullo modo fuere cucurbitulæ cum ſcarificatione addibitæ,veluti habent literæ,ſed potius febrilis ipſe calor, qui pituitoſos humores attenuauit,ac in halitum diſcuſſit. Hinc enim dictum fuit ab Hip. 2. aph. 21. *Febrem conuulſioni,quam conuulſionem febri ſuperuenire melius eſt*, & 5. Aphoris. 5. *Si ebrius quiſpiam repente obmutuerit,conuulſus moritur, niſi febre corripiatur*; & 6. Aphoris 40 *Quibus ad hypochondrium dolor eſt ſine inflammatione, ijs febris ſuperueniens dolorem ſoluit.* Hoc tempore autem queritur potiſſimum de maximis in ventre doloribus,quos ego colicos eſſe reor, quorum ſanè cauſa in ſubiecto iſto nulla eſt alia,quam craſſus vapor inteſtini coli tunicas diſtendens,ab excrementis frigidis,quæ in imbecilliori ventriculo gignuntur,eleuatus;a quo etiam concitatum illum cordis motum originem ducere cēſendum eſt, qui cordis palpitatio

pitatio improprie vocatur: etenim palpitatio ipſa nullius facultatis eſt opus; ſi A
Gal. habenda fides eſt 2. de ſympt cauſſ. cap. 1. Cordis autem motus huiuſmodi ſymptoma eſt in genere functionis deprauatæ facultatis motricis eiuſdem cordis a re præter naturam irritatæ. De iſchiadico, cæteriſque articularibus doloribus abunde ſapius actum eſt. Dolor autem, languor, & ardor cordis, non cordis reuera ſunt; vt eſt in literis notatum, ſed oris ipſius ventriculi, quod tamen tantam habet cum corde ſympathiam, & affinitatem, vt meritò apud veteres cor fuerit appellatum. ſunt autem prædicta omnia imbecillis ventriculi ſymptomata, quippe qui non ſolum dolori, & anxietudini a multis frigidis excrementis, multiſque craſſis vaporibus præ imperfecta alimenti concoctione ibi genitis obnoxius fit, ſed etiam ex acribus, & bilioſis ſuccis ab hepate in ipſum reiectis, perquam magno tentatur ardore. Dorſi denique ac tho- B
racis dolores non aliunde certe proueniunt, quam a craſſa, vaporoſaq; ſubſtantia ab eodem ventriculo erumpente, quæ dum per vniuerſam corporis molem vagatur, exitum quærens, inter ſpinæ vertebras, ac ipſius thoracis muſculos ſeſe inſinuat, ambarumque partium quandam veluti diſtenſionem efficiens, vtriuſque doloris cauſa euadit. His omnibus in hunc modum ſeſe habentibus, ſupereſt, vt curandi ſcopos in medium afferam, antequam ad præſidiorum materias deſcendam. In primis igitur corpus hoc ab excrementorũ collutie diligenter expurgandum eſt. Sedandi ſunt dolores. Fluxio inſuper cohibenda, tam per ea, quæ citra magnum calorem exiccandi, & abſumendi vim habent; quam per ea, quæ reuellere, ac alio deriuare poſſunt. Viſcerũ tandem dyſcraſiæ, è qui- C
bus plurima affectuum ratio pendet, ſunt corrigendæ, & ad contrarium alterandæ, cerebri ſcilicet, vẽtriculi, & hepatis. Iam verò hoſce propoſitos ſcopos aſſequi in ventriculi natiuo calore vſque adeo violato, in tanta indicationum pugnantia, & affectuum vetuſtate, perquam difficile eſſe, nemo eſt qui nõ intelligat. Quia tamen Illuſtriſſima Patiens iuuenis eſt, & alioqui boni habitus, auxiliaque quibus medicorum conſilio, & ſecundum rationem vſa eſt aliqua ex parte ei contuliſſe viſa ſunt, ideo ſpero fore, vt non omnino impoſſibilis ſit eiuſura curatio. Quoniam autem curandi ſcopi eorum ope, & adminiculo perfici ſolẽt, quæ a tribus Medicinæ fontibus hauriuntur, pharmaceutico, diætetico, atque chirurgico, vt a priori exordium ſumam, hæc mea foret ſententia, vt verno hoc D
tempore, quo Hippocratis ſententia Aphor. 6. aphor. 47. *quibuſcunque vena ſectio, aut purgatio cum medicamento conuenit, bis veniam ſecare, aut medicamenta exhibere oportet*; corpus primum diligenter expietur, quod equidem blandis potius, ac benedictis medicamentis, quam validis faciendum cenſeo, non ſolum vitalis roboris cauſa, quod in tam magis, ac chronicis morbis pene ſolutum eſſe veriſimile ſit, ſed etiam propter ſummam ventriculi imbecillitatem, ob quã tarde admodum, & male cibum alterare, ſimulque frigidis, & craſſis ſuccis repleri, indeque eius ore laxato nihil appetere demonſtratum eſt. Quamobrem prius aluum ipſam lenirem electuario lenitiuo, Manna calabrenſi, & Hiera ſimplici Galeni.

Deinde

A Deinde verò alterantia præſcriberem, facta nimirum in iure pulli cum de-
coctione ſimplicium, quæ incidendi, attenuandi, & aliquo modo roborandi fa-
cultatem habeant, qualia ſunt, betonica, hyſſopus, cidonium, meliſſa, mentha,
oxalis, & borago, additis tamen in pauca quantitate ſyrupis acetoſo ſimplici de
betonica, de mentha, de ſucco boraginis, de ſtæchade, & oximelite; quibus per
plures dies aſſumptis, purgans medicamentum ſuperbibendum exhiberem ex
diacatolicone, vna cum ſyrupo di polipodio compoſito, dilutis in decoctione
vocata florum, & fructuum cordialium, in qua prius ſecundum artem infuſio
facta fuerit rhabarbari electi, ac myrabolanorum chebulorũ, & indorum. Quę
duo non tantum ad humorum peccantium euacuationem, quantum ad ventri-
culum corroborandum mirum in modum conducent.

B Hanc ipſam purgationẽ, non ſolum vere, ſed etiam autumno faciendam eſſe
cenſeo, vt corpore ſæpius ab excrementorum colluuie expiato, diu libera, & in-
columis patiens ab omni noxa pręſeruetur. Quantũ attinet ad dolores, vel immi
nẽt, vel iam præſentes ſunt. Illis erũt auxilio, quæ iam iam pro vniuerſali totius
corporis exiccatione ſum dicturus, hi vero quam celeriter populſari debent, cũ
extrinſecus, tum etiam intrinſecus præſcriptis remedijs. Tempore, quo vrgent
colici dolores, primum clyſtere vterer blãdiori ad emolliendum; poſtea ex de-
coctione carminatiua, additis oleo rutaceo, amigdalarum amararum, melle ro-
ſaceo, & ſaccharo rubro, & ſi opus aliquando fieret, ad vſum quoque ſpecierũ
hieræ, & benedictæ deuenirem. Inter ea quæ per os aſſumuntur, magnæ admo-
C dum efficaciæ eſt oleum amigdalarum dulcium, & amararum ſimul cum iure,
in quo præbullierint aliquot citri ſemina. Lác pariter ex ijſdem ſeminibus ex-
tractum mirabile effertur. Validiores erunt boli ex Theriaca, Philonio roma-
no, pulueribus cymini, & ſeminibus citri parati. Ad idem mire valet electuariũ
eleſcoph. Extrinſecus multa ſolent in huiuſmodi affectu a medicis præſtari, fo-
tus in primis ex floribus anethi, camæmeli, meliloti, ex ruta, pu'egio, origano,
calamento, & huius generis ſimilibus: inunctiones quoque variæ proponũtur,
ſed ego inunctionem ex oleo rutaceo, anethino, camæmelino, & vnguento de
arthanita maiori ſimul commixtis, alijs omnibus antepono, ſi multũ calida fiat.
Hoc autẽ intelligo quoties huiuſmodi dolores a craſſioribus flatibus, id quod
D frequentiſſimè accidit, ortum habere conijcio. Hæc pauca de colicis doloribus.
Ad coxendicum modo accedo, quem quidem anodynis ſoluere ab initio tentan
dum eſt, partem illam fouendo decoctione facta florum camęmeli, anethi, meli
loti, fænugræci, ſeminum lini, abſinthij, & origani, cui præſidio ſæpius repetito
niſi dolor paruerit, ad potentiora localia tranſeundum; inter quæ emplaſtrum
ex ſulphuris, & picis partibus æqualibus ſedi affectæ admotum, geſtatumque
donec ſua ſpõte decidat, Galenus ex Andromacho magnopere extollit lib. 10.
dę medicam. comp. cap. 5. Efficaciſſimum quoque eſt quod ab eodem Galeno
ex Democriti monumentis mirifice celebratur libro mox citato cap. 2. Paratur
autem ex iberidis radice exacte contuſa, atque axungia ſuilla veteri c xcepta, lin-
teoque denſiore emplaſtri modo affecto loco admota, ibique quatuor ſaltem

horarũ ſpatio detenta; ſed hæc valentiora topica nullo pacto facienda ſunt, niſi A
prius habita de toto corpore prouidentia. Quantum ad vniuerſales omniũ ferè artuum dolores, ad magnum aliquod medicamentũ deuenire oportet, quod omnibus communiter artubus auxilio eſſe poſſit, quale omnino eſt decoctũ chinæ, ſalſæ parillæ cum aliqua ligni guaiaci portione, blanda etiam arte ſudore prouocato, quod iam bis, & ſemel ſumptum eſſe intelligo nõ ſine magno tremoris, & aliorum ſymptomatum iuuamine. Tantam enim vim habet hoc in caſu huiuſmodi præſidium, vt omnes, quotquot requiruntur, intentiones abunde explere videatur, præcipuè vero ſi addantur ſimplicia quæ ſtomachum roborent. Verũ quoniam, vt dicebat Galenus cum alibi, tum vbi de oxymelite loquitur; *nullum in tota arte præſidium reperiri poteſt, quod omni prorſus noxa vacet*; vnde iecinoris, B
& capitis intemperiem calidiorem tale decoctum impensè adauget, vt alios feciſſe literæ ipſæ teſtantur, idcirco ab hoc incommodo patiens præcauebitur, ſi cichoreacea vna decoquantur, qualia ſunt cichorium, endiuia, oxalis, ſonchus, vel potius ſi decoctio ligni, chinæ, & ſalſæ fiat in aquis cichoraceis ſtillatitijs, vel deniq; ſit admodũ diluta; ita namq; calidior decocti qualitas infringetur. Iuxta eãdem intentionẽ exhiberi ſuo tẽpore poterit ius galli iunioris, quod quidem pituitoſis excrementis abſumendis, & ventriculo roborando valde opportunũ exiſtit, ſi præſertim ius alteratum fuerit gallo, in cuius exenterati ventre ſint radix ipſius chinæ minutim inciſæ, ſandali rubri, & citrini, coriandri, portiuncula ligni ſaſſafras, mentha viridis, betonica, cichorium, ſonchus, meliſſa, & borago.
Interim quoque hepatis regio vnguento ſandalino cum ſucco cichorij, & modico aceti illinatur. Ad ventriculi autem omnimodam corroborationem, laudo C
ſummopere ſtillicidium ex oleo amigdalino dulci, & vino, laudano, nucemuſcata, ligno aloes, cinnamomo, & maſtiche medicato, manè, & veſperi, hora vna, & altera ante cibum, vnius ferè horæ ſpatio ſupra ventriculi ſitum, nimirũ pauſo ſupra vmbilicum, quindecim ſaltem diebus continuis vtendum. Pro quo etiã facit vnguentum ex oleo de nuce moſcata ℥.i. olei caryophylli ℥.ii. ſpecierum diambræ ℈.ii. & ceræ q.s. ad ignem diligenter paratum. Nec obſtat ardor ille ventriculi a biliosſo humore illhuc regurgitante progenitus, nam primum quiſquis in ea parte bilioſus ſuccus adeſt, ab euacuantibus medicamentis extraducetur, deinceps corroborato vẽtriculo, facultas eius expultrix ſucco noxio iterum D
accedenti promptior obuiam fiet. Inſuper ablata, vt ſpero, magna ex parte iecinoris efferueſcentia, bilis non tam abunde, & frequenter cumulabitur. Pro corde, quod non ita validum eſt, vt à craſſioribus, nebuloſiſque flatibus in ipſũ elatis, vnde motum palpitationi ſimilẽ perſæpe incurrit viriliter ſe tueri queat; vnguentum ex theriaca mediæ ætatis vino albo generoſo liquata cum croci modica quantitate, cordis regioni illinitum quàm maximè probo. Sed agè proponatur conditum aliquod egregium, quod ſimul cor, & ventriculum frigidũ ſuo calore fortificet, caput verò, & iecur calidum non modo non lædat, ſed ſummopere firmet, adiuuetq; Tale erit ſi ſumatur conſeruę roſarũ, florũ cichorij, florum boraginis, florum bugloſſæ, florũ anthos, betonicæ, ſaluiæ ana ℥nc.i ſpecierum

triaſan-

A triaſandalorum,ſpec.diamargariton frigidi,ſpe.diatrionpipercon an. ℈.iiij Syr. de cichorio,miuæ cydoniorum aromaticæ,ſyr.de corticibus citri an.vn.j & me dian,ſpecierum diambræ,ſpec.diamoſchi dulcis,an.℈j.& miſceantur pro cõficiendo electuario,cui addantur folia auri puriſſimi nu. decẽ. Cuius quidẽ vncia media tribus ante prãdiũ horis cũ vini albi generoſi bauſtu,per multos dies offeratur. Tandẽ ad articulos roborãdos, & neruoſarum partium innatũ calorem fouendum,laudatur vſus reſinæ terebinthinæ cum puluere iuæ arthriticæ:commendãtur balnea,quæ calefaciendi,& exiccandi qualitatem habent, ſeu ſint naturalia,qualia apud nos ſunt Aponenſia in Patauino agro; ſeu etiã arte parata, cum aqua maritima,in qua ſimplicia,vt iua artetica,camęmelum,ſaluia, roſmarinus,& ſimilia fuerint prębullita. Ad idem valent,& pari forſitan virtute vina-

B cea ipſa,de quibus inter alios mira refert Altimarus. Ad chirurgicum fontẽ accedo. Cum iuuenis iſta nobiliſſima temperamento ſanguinea ſit,iecurq; impẽſe calidum cum capite poſſideat,& nulla fieri exacta purgatio poſſit in quã ſanguis non mittatur, ego certe, verno præſertim tempore annuente, ab interna dexteri brachij vena ſanguinem extrahi iuberem,cum ętas iuuenilis, conſuetudo,& regio calida id etiam exigere videantur. Minori ſane quantitate,ὀ rentas fotem,quam conſuetum ſit Hiſpanis omnibus,habita ventriculi tantopere languidi,& frigido tum excrementorum prædominij ratione. Duo quoq; fonticuli abſque vlla prorſus controuerſia diu geſtandi ſunt,per quos natura redundantes iſto in corpore humores expurgare aſſueſcat,quorum alter in occipitio ape-

C riatur,alter vero in crure dextero: ille namq; ad fluentem è capite in ſubiectas partes materiam intercipiendam,hic vero, & ad ipſam fluxionem deriuandam, & ad iecinoris æſtum euentandum ſummopere conducet. De dięta,ſeu viuendi norma nihil dicam,quod ſciam a Viris præclariſſimis ordinatam iri exactiſſimè. Illud quidem hoc in fonte minime prætereundum duxi, quod omnis Medicorum ſchola vnanimiter aſſerit,nimirũ ſolo victu frugali, & exquiſito diuturnos, & renitentes morbos tolli magis, ac expurgari, quam medicamentis ipſis. Ideo Galenus in initio libri de rat. vict. attenuan. hoc genere victus potius,quam medicamentis euinci morbos tradit,quicunq; a craſſis, & frigidis humoribus enaſcuntur. Vnde, & Auicenna recte dicebat; *non omnis ægritudo ſuo medicatur con-*

D *trario,ſed in multis ſola ſufficit regiminis bonitas.*

Hæc ſunt,quæ pro Illuſtriſſima Iuuene abſens,& currenti pene calamo notare,& conſulere potui; faxit Deus, *qui ſolus*, affirmante Meſue, *languores ſanat*, vt priſtinæ ſanitatis compos fiat. Quãtum enim ad medica ſpectat auxilia, cum ſapientiſſimi ſenis,qui alteri ferè Hippocrati merito comparatur,ſalutiferis cõſilijs iugiter abundet Patiens religione, & nobilitate conſpicua, haud vereor, quin omnia,quæ ab arte medica peti poſſunt,tempore congruo, ordine mirando,& exactiſſimo iudicio præſtentur. Interim tuas literas hac de re expecto, verius dixerim aueo,& ſummè deſidero. Tu vale diu, vt per te diu tantus Rex incolumis valeat. Dat. Venetijs die 2. Aprilis 1605.

DE QVAESITIS PER EPISTOLAM. A

Centuria Secunda.

QVAESITA PRIMARIA OCTO IN ASTHMATE Principis Illuſtriſſimi Bonifacij Cardinalis Caetani Aemiliæ de Latere Legati, dum curatio, & pręſeruatio ſimul per Epiſtolam mittuntur.

I.

An, & quomodo Aſthma per hæreditatem contraxerit. B

II.

Cur, cum ſit temperamenti valdè calidi, ſiccique tam magnam nihilominus pituitæ copiam congerat.

III.

Quæ nam re vera ſit hoc in Aſthmate ſpiritalium partium affecta ſedes.

IV.

Cur in morbis capitis, & pulmonum ſolliciti magis eſſe debeamus de optimo aere, quam de cibo, & potu.

V.

Cur maſticatoria, & naſipurgia vocata ſuſpecta ſint. C

VI.

An purgans medicamentum, & venæ ſectio in Aſthmatica acceſſione competant.

VII.

An ſanguinis miſſio celebranda ſit è baſilica ſiniſtra iuxta Auicennam, vel è communi, vt communiter ſit.

VIII.

Cur eclegmata, & arteriaca medicamenta in humida potius, quam ſicca ſubſtantia offerenda ſint.

D

Secundaria Vigintiunum.

I.

Cur Medicina inter pręclariſſimas habeatur diſciplinas.

II.

Cur Aſthmatici, aſthmaticos gignant.

III.

Cur parua, & acuta in primis capita morboſa facilè fiant, paſſimque damnentur etiam Phyſiognomis.

IV.

Cur Aſthma ferè ſemper iungatur cum orthopnęa, & hæc ſine illo aliquando ſit.

Cur

A

V.

Cur tuberculum pulmonis aliquando aſthma, aliquando pulſus interceptionem efficiat.

VI.

Cur Aſthmatici crebrò, ac denſè ſpirent.

VII.

Cur mentis occupatio concoctionem interpellet.

VIII.

An, & quomodo Hippocratis ſententia. Medicina purgat, & inueterat, veritatem contineat.

IX.

Cur tuſſis longè abſit ab acceſſione aſthmatis.

B

X.

An, & quomodo per vrinæ vias, expurgetur interdum aſthmatis materia.

XI.

Cur vteri præfocatio Græcis ἄπνοια dicatur.

XII.

Cur aſthma mortis dicatur meditatio.

XIII.

Cur morbus appelletur acutus.

XIV.

Cur copioſum uini tenuis potum hoc in morbo commendet Galenus.

C

XV.

Cur omnes ferè pleuritici tantopere vinum deſiderent.

XVI.

Cur denſus corporis habitus aliquando melior ſit raro, & econtra.

XVII.

Cur in morbis pectoris partium infernarum abſceſſus, & cauteria vtilia ſint.

XVIII.

An, & quæ mulieres viris magis aſthmaticæ fiant, ubi Aurelianus, & Aetius ſibi inuicem conciliantur.

XIX.

D *Cur ſub lucido, & non opaco aere detinendi ſint aſthmate correpti.*

XX.

Cur in pulmonum affectibus commendetur venæ ſectio ſiniſtri potius cubiti, quam dexteri.

XXI.

Cur, & quando perperam, vel rectè exiccantia in aſthmate præbeantur.

Ad Camillum Abbioſum nobilem Rauennatem. A

A Deo orta eſt Ars Medicinæ, Abbioſe ingenioſiſſime, ſic affirmante Eccleſiaſtico cap. 38. id quod neminem latuit mortalium. Omnes ſiquidem gentes Medicinę inuentionem in ſuos Deos retulerunt. Atqui, vt ad Deum ſpectat humani corporis formatio, atque temperies, ita ad eundem ſpectet neceſſe eſt eius conſeruatio, & refectio. Legitur apud Theodoretum de Medicis elegans hoc empedoclis epigramma.

Hymnidici vates, artis medicęque periti
Mortales cunctos primi poſt terga relinquunt;
Sunt vbi Dij ſuperi magnis in honoribus aucti. B

Et Homerus multo ante ſecundo Iliadum hoc ſenario Medicos exornauit;

Vir Medicus multis alijs æquandus honore eſt.

Hinc medicina inter præclariſſimas diſciplinas ab omnibus recenſetur, ob eam maxime cauſam, quia finem ſibi honeſtiſſimum, & mortalium conditioni longe ſaluberrimum omnino proponit. Quale etenim tandem eſſet humanum corpus innumeris expoſitum morbis, & ſexcentis iactatum ærumnis, & infirmitatibus, niſi diuinæ artis præſidio tueretur? Propterea cordati quique Principes nulli vnquam diſciplinæ plus honoris habuere, quam rei medicæ, certatim hanc medicamentorum affluentia magnis ſumptibus augendam procurantes; in qua etiã ſic excelluere Reges quidam, & Imperatores, vt probe eruditorum medicorum munere fungi poſſent, indeque nominis ſui immortalitatẽ ſibi apud poſteros comparauerint. In quorum albo fuit Alexander Magnus, Adrianus Romanorum Imperator, Hermes Egyptiorum Monarcha, Euax Rex Arabum, Sabor Medorum, Bithyniæ Auicenna, & deniq; multis alijs omiſſis, Ponti Mithridates ille, qui non tam Regni gloria, non tam vnius, & viginti linguarum cognitione (tot ſiquidẽ calluit linguas, quot imperauit Prouincijs) quam Medicinæ peritia refulget illuſtris. Quorſum vero hæc, inquies? vt nulli mirũ videatur, ſi & Illuſtriſs. Princeps inter eos, quibus tãquam cardinibus tota Dei Eccleſiæ Catholicæ moles incumbit, micans vndiq; iubar, quamuis omnes ingenij ſui acerrimi vires, & neruos in ſacræ, & naturali Philoſophiæ, legumque ſcientijs adipiſcendis, intenderit, medicæ tamẽ diſciplinæ ita etiam nauiter operam dedit, vt præter vniuerſalia axiomata, ſpecialia quoque documenta, & præcepta probè admodum teneat, ſummorum virorum, magnorumque Principũ, quorum è genere, & ipſe oriundus eſt, veſtigia ſequens. Ampliſſimum hac de re teſtimonium nuper facere, mihi tanti Principis litteræ verborũ elegantia, doctrina, & methodo mirabili peroratæ. Vbi ſane Illuſtriſſimi D. cum affectus, tum male affecti corporis natura ab eodem mire depicta cernitur, quibus ſi tarde reſpondeo, mihi obſecro ignoſcat humaniſſimus Princeps; neq; enim citius potui ophthalmia correptus, pro qua in tenebris aliquãdiu degere coactus fui, ne dum aut libros euoluere, aut mente quippiam moliri, vel cogitare licuerit.

(Margin letters: C beside "tes; in qua etiã…", D beside "genij ſui acerrimi vires…")

Trita

A Trita eſt enim Philoſophi ſententia in lib. Phyſiogno. cui, & Gal. ſubſcribit in lib. quod animi mores ſequuntur temper. corp. *Pathemata animi, & corporis inuicem ſibi communicari, mutuoq; conſenſu animi illuuiem reddundare in corpus, & viciſſim huius morbos vim animi præpedire, ac labefactare.* Nunc autem ab omni oculi dolore immunis, quoad potero interiori, nec viribus nec non quãtum per Aegrotantium viſitationes conceſſum mihi erit, plene vtrique veſtrum ſatisfaciã. Vix credas igitur, Abbioſe mi, quanto animi mærore vicem doluerim tam eruditi Principis, qui ab incunabulis vſque, ac ineunte ætate, a tam ſęuo morbo cruciari incepit, imò in id genus vitij propenſionem a ſemine, & menſtruo ſanguine in vtero contraxit. Nam ſi in pueritia acquiſiti morbi annos pubertatis exuperanter ægre admodum a Medicis vincuntur, iuxta Hip. doctrinã 3. Aph. 28.

B *Morbi, qui poſt pubertatem permanſerint, inueteraſcere conſueuerunt*, quanto difficilius connaturales, & hæreditarij debellabuntur? Proh deteſtanda hęreditas:

Ipſa parens quandoque mater, quandoque nouerca eſt?

Sed qui amabo fit, vt qui aſthmate laborant, filios aſthmaticos procreent? Nimis enim communis, & longe petita eſt quorundam reſponſio ex libr. de ſacro morbo deprompta, a ſemine ſcilicet morboſo corpus morboſum gigni, cum ſemen a toto corpore decidat, a ſano ſanum, ab infirmo infirmum quare huiuſmodi quæſitum enucleandum ſuſcepi, priuſquam ad malum expendendum me accingam, cum & hoc faciat ad curandi rationem, & prognoſim. Luce itaque clarius conſtat inter rei medicæ peritos, parentum ægritudines plerumque a filijs

C hæreditari, ijs prorſus de cauſis, quæ a me alibi abunde ſunt examinatæ. Inter has autem connumerari aſthmaticum affectum quotidiana docet obſeruatio, quod ſimiliter in Illuſtriſſimo Principe manifeſte cognoſcitur, cuius Matrem Nobiliſſimam, ac Marci illius Antonij Columnæ ſororem eodem morbi genere laboraſſe litteræ teſtantur. An tota ratio morboſæ anhelationis per hęreditatem contractæ poſita eſt in vitioſa pulmonum, & capitis conſtitutione? His enim partibus vitiatis potiſsimum oritur aſthma. Vnde ſi orta ſuis reſpondent principijs, & vnumquodq; animal, vt dicebat Hip. 4. de morb. *Secũdum parentes naſcitur tot humorum, & ſaporum, & morboſorum ſpecies in ſe ipſo continens*, neceſſe omnino eſt, vt nati aſthmatici corpus pulmonum multo laxius habeant alijs,

D cuius laxitatis gratia ad ea, quæ aliunde irruunt, ſuſcipiẽda promptior, ad expellenda verò ineptior pars illa redditur, præſertim quia in omnibus pulmo poſt glandulas ſuſcipiendæ fluxioni natus aptus eſt, cum in eo facultates omnes, præter alteratricem, infirmæ admodum ſint. In his quoque vaſorum, & meatuum anguſtiam maiorem eſſe quam ſit in alijs veriſimile fit, præ qua facile pulmones a defluente materia obſtruantur, & ad eiuſdem expulſionem aeri aditu intercepto, ægre inſurgant. Cerebri vero ſubſtantia humidior, & laxior in ijſdẽ quemadmodum eſt in parentibus, congenerat. Vnde membrum hoc plura congerit excrementa, quæ ad partes ſubiectas demittit. Accedit quod, vt audio, Illuſtriſſimus Dominus caput habet paruum potius, quam ſecus, ad reliquũ corpus collatione facta, & nares, earumque foramina anguſta. In omni autẽ mem-

bro

bro cauitatem habente amplitudo deſideratur, ſi ſanum eſſe debet. Cur? quo- A
niam amplior cauitas materias, & membra continenda commodius recipit, & ſu-
ſtinet citra obſtructiones, & inordinati motus periculum, vt colligitur ex Gal.
6. Epid. comm. 3. vbi etiam cum Hipp. caput paruulum, & maximè ſi acutū vna
ſit, magnopere damnat, tanquam imbecillitatis cerebri auctorem. Tale apud
Homerum fuiſſe videtur Therſitis caput φοξὸν appellatū, vt omni laude digni
æſtimandi ſint Genuenſes noſtri, qui iam a multo tempore cōſuetudinem illam
trāſuectam a Græcis quibuſdā populis, quibus olim dominati fuere, & de qui-
bus ego alibi ex Hip. turbinata capita in tenella ætate arte quadam faciendi pe-
nitus neglexerunt. Atqui paruum caput nunquam nō in vitio eſt, quia ſcilicet,
& formatricis imbecillitatem: & ſpermaticæ materiæ, pauperum arguit. Quo
reſpicientes Phyſiognomi, paruum caput præceps ingeniū demonſtrare teſtan- B
tur, propterea quia ſpiritus anguſtiori loco coerciti ſine modo inualeſcunt, nec
libere expandi poſſunt, & hinc patet, arbitrorum propoſiti problematis enoda-
tio. Ad affectum ipſum præter naturam deuenio. Spirandi itaque difficultas, à
qua per interualla, & ſtato fere tempore Illuſtriſſimus Princeps torquetur, ad
quam ſpeciem, aut differentiam difficultatis anhelitus referenda erit? Nam
difficilis ſpiratio triplicis eſt diſcriminis apud Medicos & Celſum inprimis lib.
4. cap. 4. quia dum modica eſt, neque ex toto ſtrangulat, dyſpnœa appellatur,
cum vehementior, vt ſpirare æger ſine ſono, & ſtrepitu non poſſit, aſthma; cum
acceſſit id quoq; vt niſi recta ceruice ſpiritus trahatur, orthopnœa dicitur. Quā
poſtremam differentiam ab aſthmate vix diſiunctam reperies, vbi aſthmatica C
acceſſio magnopere ingraueſcit, vt ferè omnes aſthmatici tandem verè ortho-
pnoici euadant, cum non poſſint aliter, quam recto pectore, & eleuata ceruice
decumbere, atque ſpirare. Hinc ex 7. catar. 4. colligitur; aſthma duo habere ſo-
lere coniuncta ſymptomata, quorum vnum eſt arctatio thoracis ſenſibilis, ſecū-
dum ſpiratio recta quæ orthopnœa vocatur. Profectò in aſthmate a tuberculo
perpetuo rectam adeſſe ſpirationem tradit Hipp. 2. de morb. nec etiam deſunt
qui contendant ab aſthmate nunquam ſeparari debere orthopnœam. Sed ſi hoc
ēſt, quomodo pro tertia ponitur difficultatis anhelitus differētia? An quia ali-
quando orthopnæa reperitur ſine aſthmate, vt in empyis, & peripneumonicis,
in quibus recta illa ſpiratio, cum non ſit abſque febre, neque fiat ab obſtructio- D
ne, ſed potius compreſſione. non dicitur aſthma? Ex tribus autem differentijs
difficilioris ſpirationis, quantum ex literis percepi, non prima, aut poſtrema, ſed
altera quæ inter vtranq; media exiſtit iamdudū Illuſtriſſimus D. per ſtatas velu-
ti periodos laborat, aſthmate ſcilicet, quæ, vt definit Gal loco nuper adducto, &
3. aphoriſ. 26. denſa eſt, & crebra quædam reſpiratio citra febrem, qualis anhe-
latio currentibus, aut quouis alio modo vehementer motis contingere ſolet, vt
liquet 3. Epid. comm. 4. Quæ ſanè affectio poni debet inter ſymptomata volun-
tariæ functionis, ſeu deprauatæ reſpirationis (licet crediderim ego aliquando in
aſthmaticis ſpirandi actionem diminutè potius lædi, dum rara, & tarda interdū
in illis apparet reſpiratio) & hæc morbum inſtrumentalem, aut inuia, nimirū.

obſtru-

A obſtructionem pneumaticorum inſtrumentorum, pulmonumq; in primis inſequitur,& obſtructionem dixi,quoniam hæc proprie fit a craſſiori materia, vt hoc in caſu accidit. Nulla ſiquidem hic eſt ſuſpicio tuberculi,vt in Anthipatro; quod ſi propagines tantum leuium arteriarum afficit,non aſthma,ſed pulſuum facit inæqualitatem, interceptionemque,ſi vero comprimendo coarctat etiam bronchia,aut aſperæ arteriæ ramulos,aſthma quoque progignit. Præterea nulla hic de pure, vel ſanie mentio, quia hæc in empyemate detentis obſeruantur, vt nec denique vlla corporis grandinoſi ſuſpicio, quemadmodum præter Gal. Trallianus Alzarauius,& alij animaduerterunt. Nihil enim de eiuſmodi cauſa ſcriptum mihi eſt,quæ etiam in Brutis magis obſeruetur a veterinarijs,quam in hominibus a Medicis (nolo hoc in loco ſilere, quod multos poſt annos, emor-
B tuo Illuſtriſſimo Principe ex doloribus nephriticis propter varios,aſperos,angulares,& aliquos valde acutos calculos intra vnum ex vreteribus impactos; nã alter una cum rene ex toto ferè contabuerát, & nullo penitus humori peruius apparuit; diſſecto cadauere, varij inuenti ſunt in pulmonum ſubſtantia lapilli, formæ potius latioris, omnino leues, qui exiccati inſtar ſpongiæ foraminibus peruij viſi ſunt) Quæ cauſæ omnes ſolent pulmonum meatus anguſtiores reddere,& aeri aditum intercludere. Verum dices, vnde hinc tam crebro, ac denſe ſpirandi neceſſitas in aſthmaticis? quia pulmonũ fiſtulis occluſis, natura ſemel, & vnico inſpiratu cor abunde refrigerare, materiamque vitalis ſpiritus illi ſuggerere nõ admodum valet, vt nec fuliginoſos halitus per expiratum excludere
C tam facile poteſt. Ideo anhelitu,& quodam veluti ſuſpirio hunc defectum compenſare cogitur. Quod namque ſanus, & liber pulmo vnica facit reſpiratione, obſtructus pluribus efficit,indeque aſthmatici ſuſpirioſi,& anhelatores nuncupati,quemadmodum,& hinc contingit. Neque enim fit crebra hæc anhelatio, aut propter virium imbecillitatem, aut ob neceſsitatẽ ex adaucto calore in corde,& pulmone,veluti ſignis a Galeno poſitis 4.de loc. affec. & alibi,manifeſtũ eſſe omnibus poteſt,ſed tantummodo propter pulmonum bronchia obſtructa; ita vt vereri nemo poſsit,quin hæc ſit natura,& idea morbi Illuſtriſsimi D. quę adhuc magis elucelcet,vbi cauſas omnes antecedentes, & proximas aperuero, quæ pro eiuſdemmet morbi recte inſtituẽda curatione valde etiam ſunt neceſ-
D ſariæ,quia,niſi illis reciſis, morbus iterum pullulat. Hac autem ſolertia cum in cœteris affectionibus, tum maximè in aſthmate tractando, diligenter vti oportet,quoniam,vt proditum eſt a Meſue: *Errant qui omne aſthma frigidum eſſe exiſtimant.* & Alexander Trallianus reprehẽdit Galenũ, quod ſolis calefacientibus aſthma medeatur; *calidam enim intemperiem ſæpe adaugent*, inquit ille; quare dũ pro huiuſcemodi paſsione a me aliàs flagitarentur auxilia, non temere de temperamento partium, a quibus præcipuè originem ducit;certior ante fieri volui, ne clauſis oculis Andabatarum in morem aduerſus morbum pugnare velle dicerer. Imaginabar enim Illuſtriſsimũ D. in ætate conſiſtenti etiamnum degentem,viuidiſsimique ingenij ea prorſus temparatura præditum, quam mihi eius elegantes literæ non obſcurè ſignificarunt, nimirum ęquo feruentiori, & ſicciori,

cioti, & habitu quaſi picrocholo, quamuis ex accidenti corpus eius circa caput A
in primis frigida, ac pituitoſa materia copioſe ſcateat. Tale verò eſſe eius temperamentum, magna cum ratione ſtatutum fuit, quoniam, vt ſcribitur, ſtatura procera eſt, & corporis habitus gracilis, facies rubicundior, capilli flaui, quibus additur caluitium ſiccitatis effectus cum Gal. 2. de temperam. Confirmat id ipſum præ alijs, eiuſdem procliuitas ad iracundiam, motus celer, & ingenij acumen. Quanto enim ſiccior ſpiritus eſt, tanto facilius ignitur corpus, & ad motū agilius, veluti anima ad ſpeculandum promptior euadit. Cui nam autem illius menſis acies non patet? Morborum ſpecies, vti ſunt acutæ febres, ardentes, tertianæ, ac pleuritides a quibus corripi aliquando conſueuit, quemadmodum vigilantia, ſomnus breuis, animus elatus, ac militaris, nulli dubium faciunt, quin cor, hepar, & cerebrum, quibus tanquam primarijs vniuerſa membra conſentiunt, in actiuis qualitatibus ad valde calidam naturam inclinent, in paſsiuis vero ad ſicciorem potius, quam humidiorem. Verum hinc reſurgit dubitandi occaſio, quamobrem hoc in corpore adeo natura calido, & ſicco tanta pituitoſi humoris copia congeratur, quæ frequens aſthma progignat. An id prouenit, quia vnaquęq; intemperies actum deijcit propriæ virtutis, quomodo tuentur aliqui dari etiam hydropis generationem ex intemperie hepatis ſupra æquum feruida? An id euenit cerebri nimia imbecillitate a parentū ſemine contracta, & aſsiduis litterarū ſtudijs, & laboribus, varijsq; animi fluctuationibus, quibus Principes fere omnes ſollicitantur, magnopere adauctam a nimijs enim vigilijs, iugique animi, & corporis exercitio, reſoluto veluti calore inſito, cruditates promanāt. Vnde fortaſſe nunc cerebrum ex accidenti frigidum magis effectū eſt, quod etiam fluxio ipſa omnis prorſus amari, & ſalſi expers ſaporis quodammodo ſignificat. An quia tenuis & feruens ſanguis ſurſum in cerebrum per uenas, & arterias ab hepate & corde aſcendit, ibiq; ſuperfluas humiditates colliquans, fluxioni idoneas reddit, quam pulmo nō minus forſitan innata laxitate, & ſitus humilioris ratione ſuſcipit, quam calidiori ſua natura ad ſe trahat? Ideo namq; caput excandeſcit, aures incenduntur, & genæ rubore ſuffundūtur, calidiori ſcilicet euaporatione in ſublime elata, quibus addi, ni fallor, poteſt aliqua ventriculi imbecillitas, a qua licet de ea in literis non conqueratur, nō immunem eſſe Principem Illuſtriſsimum, multa ſunt, quæ mihi perſuadent, ſed in primis hepatis caliditas, a qua quicquid caloris, ſpirituumve in ventriculo ipſo reſidet, plerumque abſumitur, in eo membro frigiditate relicta. Quam quidem imbecillitatem non parum adaugere potuerunt tot medicamentorum genera, cuncta pene ſtomacho, & naturæ infenſiſsima. Hoc eſt enim, quod ex mente Hip. ſcriptum reliquit Auic. Fen. 3. primi canon. *Medicina purgat, & inueterat:* nam etſi de medicamentis, quæ noſtra hac tempeſtate frequenter, & paſsim vſurpantur, non ita id verum eſt, vt de ijs, quibus vt plurimum vti ſolebat Hip. tamen etiā leuiſsima, *benedicta* vulgo nuncupata, *hypelata* verò Græcis, imo ferè, & ipſa eccoprotica ſi ſæpe, ac ſæpius intra corpus ſumantur, illud ipſum eneruant, & conſeneſcere faciunt, ſi non alio nomine, illo ſaltem, quo ſcribit Celſus lib. 1. fre-

quentes

A quentes purgationes corpus infirmũ reddere, & infirmitatem morbis omnibus obnoxiam fieri; inſuper vigiliæ immoderatæ magnam in ventriculo pariunt languiditatem, & ipſe multum vigil eſt, numiſque parum dormit. Tandem circa humana, & diuina ſtudia profundiſſime occupatur, vnde calor, & ſpiritus a concoquendi munere alio retrahuntur. Sic enim, referente Hip. 6. epid. comm. 5. *Cura, & attentiſſima cogitatio eſt animi quædam deambulatio.* Concoctio autem, & animi, & corporis quiete perficitur. Ex hactenus ergo prælibatis non ſolum patet reſponſio ad Quæſitum propoſitum, ſed videre eſt etiam cauſam antecedentem præſentis aſthmatis referendam omnino eſſe ad intemperiem potiſſimum calidiorem, & ſicciorem cordis, & hepatis, calidiorem vero, & humidiorem ſimul ipſius capitis, nec non frigidiuſculam, & humidam ventriculi, quarum

B nobilium partium aliæ ſuo calore halitus, & vapores trahendo inſtar cucurbitulæ, aliæ eoſdem ſurſum quaſi in tectum domus tranſmittentes in cauſa ſunt, vt pituitoſi humores in cerebro debiliori facile accruentur, qui poſtea ad inferiores partes, præſertim ad pectus eliquati dilabuntur, quorum tamen fluxionẽ amaroris, & ſalſedinis expertem prorſus eſſe miror equidem in corpore bilioſo, & capite impenſe calido, ſed vna magnopere lætor, nam grauiora inde mala expectanda eſſent. Hoc enim ſenſu Hip. 6. epid. 3. pituitoſos ad tabem pronos, & paratos eſſe dixit. Proxima autem, vel efficiens immediata huius aſthmatis cauſa ſunt iidem craſſi, viſcidique humores pituitoſi, vel etiam quandoque non ita craſſi, verum potius tenues, ſed copioſi pulmonum loca obturantes, & liberæ ac

C expeditæ reſpirationi viam præpedientes. At quæritur hoc in loco in epiſtola, quæ nam ſit affecta ſedes in pulmonibus ipſis; nec iniuria ſanè, cum in his plures partes contineri anatome doceat, præcipuè vero ipſam carnis ſubſtantiam raram, leuem, poroſamque ſpongiæ inſtar, quæ parenchyma, vel affuſio ab Eraſiſtrato dicebatur, vaſa, quæ per ſubſtantiam pulmonis diſſeminantur, arteriam dico venalem, venamque arterialem, & aſperam, ſeu tracheam vocatam arteriam, quæ per colli longitudinem anteriori in parte ſub laringa fertur, inque varias propagines ad pulmonis extremum vſque diuiditur, aëremq; intro, foraſq; defert, *canna* vulgo nuncupata. Bronchia verò ipſa ſumuntur pro corporibus cartilagineis, quibus aſperæ pulmonum arteriæ; quæ ſunt ipſius tracheæ propa

D gines, conſtant, quæ per tuſſim aliquando reiecta in magno pulmonum vlcere Galenus obſeruauit in initio ſtatim libri de loc. affec. Vnde Auicenna ſen. x. lib. 3. cap. de aſthmate. *Et quandoque fit propter nocumentum in ipſo pulmone, & in eis, quæ ipſi continuantur, propter inuiſcationem humorum craſſorum in arterijs, & ramis earum paruis, & ſugentibus earum, uel capillaribus ipſarum. Et quandoque eſt in canna pulmonis, & quandoque in raritate pulmonis, & locis vacuis.* Aſſertum autem in literis eſt, tracheam arteriam, non bronchia hoc in aſthmate affici, & impediri; cuius quidem aſſertionis hæc ratio potiſſimum affertur, quia dum ſtrum quando bronchia occupantur, tunc fluxa materia tuſſi etiam nõ leui expellitur, & quã diu materia ibi verſatur ſymptoma perdurat; quando autem trachea impeditur, non ita ſe res habet, quia vel nulla, vel exigua tuſſis adeſt, & per ſolam excrea-

tionem

tionem ſeſe facile exonerat. At P. Illuſtriſſimus difficultate ſolum reſpirandi A
premi videtur, dum a capite humor defluit; quod ſi per aliquantulum temporis ceſſat fluxio, ceſſat quoq; ſpirandi anguſtia, licet pectus ſit pituita plenum, imo parum tuſſi, plurimum excreatu ſe liberat. Igitur ibidem concluditur, aſperam arteriam hoc in aſthmate locum eſſe præcipue affectum. Ego etiam in opinionē huiuſcemodi de trachea ſcilicet obſtructa non inuitus deſcendo, eo quod ſymptoma leui tuſſi, & excreatu, ſeu *reſcatione* dicta potius deſinat. Quandoquidem cit loco. Auic. aperte tradit, quando id mali genus ex tracheę obſtructionę originem trahit, excreatu ſolum materiam educi, quamuis, vt libere proferam, quod cenſeo, in præſenti caſu aſſerere non dubitauerim, in alijs etiam meatibus pulmonis, & bronchijs ipſis pituitoſorum humorum portionem impactā eſſe,
cum pulmo perenni deſtillatione a cerebro humidiori a tam multo tempore ob- B
noxius ſubiaceat, veluti clare indicat copia illa pituitæ, quæ in cauitate thoracis ſtabulari refertur. Obiectio autem quæ de tuſſi fieri poteſt, cum ſciamus etiam quid minimum in tracheę vacuum incidens, tuſſim illico promouere, nō ſolum quod intimiores inuadit partes iuxta illud Hipp. 4. de morb. *vbi modicum quiddam pituitę in pulmonem peruenerit, aut in fiſtulam ipſius, multa ac fortis tuſſis oboritur, ac conuulſio*, a me facillime diluitur. Nam fere omnes, quotquot cognoui, aſthmatici in ipſa acceſſione, vel nulla penitus, vel exigua admodum tuſsi tentari ſolent, quod certè mirum videtur, cum quidquid ſpiritales meatus offendit, vel etiam ſola intemperies ſine materia tuſsim ſi non humidam, inanem ſaltem,
& ſiccam promoueat; Ratio autem hæc adduci poteſt, quia ſpirationis viæ vi- C
gente paroxymo vſque adeo coarctantur, vt in inſpiratione tantum aeris admittere minime queant, quantum in expiratione deinceps ad magnam efflationē ſufficiat. Cur hoc? Quoniam tuſsis ſpiritalium organorum motus deprauatus nihil aliud eſt ex Gal. mente lib. 2. de cauſ. ſympt. cap. 3. quam vehemens efflatio, qua plurimus ſpiritus celerrime foras erumpens impetu ſuo extrahit, exploditque excrementa meatus illorum obſtruentia. Dicet hic rurſus aliquis, ergo manente in pulmone cauſa, affectio etiam continua, & perſeuerans erit, cum nihilominus vitiū manifeſte deſinat, & ab eo per menſes immunis prorſus degat. Huic ego ita reſponderem; fluentem a capite ad tracheæ initium pituitam per
ſcheatum maiori ex parte excerni, fluxam vero, quæ in aſperis arterijs, & bron- D
chijs continetur, nec tuſſi educitur, in halitum digeri, & reſolui in thorace præſertim calidiſsimo, qualis eſt Illuſtriſsimi D. quæ autem, vt ſæpe euenire ſolet, lenibus in arterijs concipitur, per vrinę vias repurgari eo modo, quo Anatomici præſtantiores empyicorum, pleuriticorum, & peripneumonicorum pus a pectore per arterias non per venas ad emulgentes arterias demandari, & vna cum lotio vacuari teſtātur. Vnde viſi ſunt anheloſi non pauci, qui tēpore acceſsionis craſſas, & vndequaque turbatas mingebant vrinas, in quibus fortaſſe non inutilis diureticorum vſus, ita nos docente natura, licet non me lateat per os media tuſsi quæcunque in thoracis regione ſtabulantur, plerunque educi ſolere, vnde illud Galeni in arte parua. *Quæcunque in pulmone, vel pectore continentur, tuſſi educuntur,*

A *educuntur, aut à medicamentis extenuantibus*. Quo ad prognoſim; ſcito Camille mi, in genere malum hoc eſſe grauiſſimum, quia vitam reſpicit ipſam, cum homines quamdiu reſpirant, tamdiu vitali aura fruantur. Nec re vera in præfocatis ex vtero mulieribus datur quæ a Galeno 6. de loc. affect. 5. & a Diogene Laertio in vita Empedoclis ἄπνια vocatur, quaſi vteri præfocatio ſit reſpirationis ex toto priuatio, ſed ita hæc ægritudo dicitur, quia mulieres illæ adeo exilem, & occultam habent reſpirationem, vt non reſpirare iudicentur. Iuxta quem ſenſum Ariſtot. aues quaſdam vocauit ἄποδας non quod ſint penitus ſine pedibus, ſed quod exiguos, & non ita manifeſtos habeant pedes; quare peſſimè ſemper ſe habent ſuſpirioſi, vbi ingraueſcit affectio, quia tunc in magno vitæ diſcrimine reperiuntur. Quod B conſiderans Seneca, qui grauiſſimæ huic ægritudini, & ipſe obnoxius erat, ſcripſit epiſtol. 51. eam a Græcis vocatam eſſe mortis meditationem, quia nimirum difficultas trahendi ſpiritum, eſt quædam quaſi mors perpetua, & qui in illa ſunt anguſtia ſubinde exſudant ſudoribus frigidis, corpore toto liueſcente, vt quotidie apparet in iam iam morituris; nec pauci etiam viſi ſunt, qui in media, ac vehementiori acceſſione præfocati vitam cum morte commutarunt; Quo ſane reſpiciunt quicumque aſthma, quemadmodum & epilepſiam inter celeres, & acutos reponunt morbos, non inter cronicos, & tardos, vt clare colligitur ex Galeno quarto de cauſ. pulſ. In ſpecie autem, & prout magis ad rem noſtram facit, omnino vinci, aut de-
C bellari minime poſſe id mali genus, quod a primis vſque ſeminibus originem traxit, nemo non videt; valde tamen demulceri, aut leniri poſſe, vt nimirum longiori ex interuallo, & minori cum moleſtia reuertatur acceſſio, nequaquam dubito, imo fere pro certo habeo, ſi præſertim verum eſt, quod Illuſtriſſimus Dominus viuendi normæ admodum exactæ ſe totum dederit, aſcripſeritque. Quod igitur ad curandi methodum ſpectat, hæc vel prophilacticen, vel therapeuticen reſpicit. Alia enim conuenit medendi ratio in iis, qui iam ſunt in acceſſione, & alia qui in tempore medio. Siquidem aſthma paroxyſmos habet æque, ac epilepſia, Auicenna auctore. Idcirco ante acceſsionem ipſam tempore congruo ab excrementorum colluuie expiãdum
D blande tamen, corpus eſſe quis non videt? Nam licet moderate ſe in victu gerat, nihilominus in ventriculo non vndequaque bene valente, & in principalium membrorum diſcraſiis fieri non poteſt quin curſu temporis in eo colligantur ſuperfluitates, quas ſola in uiuendi norma tenuitas omnino vincere, aut digerere nequit, omni arte extraducendæ antequam paroxyſmum ſua vel copia, vel qualitate, naturæ vi illata, progignant; Quare ſingulo quoque anno hoc ipſo veris tempore purgandum corpus cenſeo, lenita prius aluo, & minorata, quæ in primis viis reſidet, materia, flore caſſiæ cayerinę; & manna electa, puluere addito ſem. citri, aut aniſorum formatis ex omnibus bolis, ea doſi, quæ præſenti Medico ventris ſolutioni idonea videbitur,

vel ſi bolos aſpernaretur, ſyrup. roſat. ſolut. ac melle cum decoctione voca- A
ta ff. cord. dilutiſ. Poſt hoc medicamentum apparentur humores tum biliosi, tum pituitoſi apozematis ex ebullitione in iure pulli ſcabioſæ, ſarfaræ, bettonicæ, cichorij, boragin. ſummit. malu. acet. capilli vener. & hordei mundi cum additione ſyrup. acet. ſim. de cichor. ℥. & capillo vener. Dum autem hæc ſumuntur, tundatur vena communis dextri brachij, aut etiam prius interna, e quibus tamen modica ſanguinis copia detrahatur. Tandem apparati humores vacuandi erunt, aut electuar. diacatholic. & caſſia, aut ſyrup. ac mell. ſimul roſat. ſolut. vna cum decoction. cord. in qua prius rhabar. & agar. trochiſcati portiuncula fuerit S. A. infuſa. Nec me latet, tam Græcos, quam Arabes in purgandis aſthmaticis ad valentiora deſcendere medicamenta etiam ad colocynthidem, helleborum, elateriumque, & medicos B
noſtri æui vel primæ notæ illis omnino aſſentiri, qui propterea cauſam, propter quam hodie aſthmatici difficillime ſanantur, in nimis blanda, quę vſurpamus, medicamina refundunt. Verum, an noſtro in caſu fortia ſint imperanda pharmaca, Medici clariſſimi, valetudinem Principis regentis iudicium eſto. Huiuſcemodi peracta purgatione, ſedula cura vtendum, ne iterum excrementa pituitoſa In cerebro cumulentur, &, ſiquæ forte fortuna colliguntur, quam primum a ſpiritualibus membris ad ignobiliores particulas deflectantur, & denique pulmones ipſi ita corroborentur, vt aliunde demandatam materiam tam facile minime recipiant. Quas omnes intentiones præ oculis habuiſſe Medicos, qui Illuſtriſſimi Domi- C
ni hactenus curam geſſere, ex epiſtola facillime aſſequutus ſum, ſed vt meo ipſe quoque fungar officio, iuxta ſingulas meam breuiter proferam ſententiam. In primis igitur conuenit victus ratio attenuans, & modice ſiccans, cibique ſint euchymi, concoctu faciles, & qui craſſos ſuccos non gignant, de quorum profecto numero haudquaquam ſunt oſtracho dermma, lagana, & id genus alia, quibus interdum vtitur, viteturque omnis cruditas, & repletio præſertim veſpertina, cum ſub ijs caput per quam facile, & vaporibus, & pituita repleatur; vinum quidem bibat, ſed modice, ne catarrhalis fluxio augeatur, & ne ab illius copia diſtenſo ventriculo comprimatur diaphragma ſpirandique ingeminetur diffi- D
cultas, nec ſit generoſum, ne caput magis incaleſcat, & iecinoris feruor adaugeatur, ſed album, & omnino tenue. At cur Galenus 7. catat. præcipit, multum debere eſſe potum, vini tamen tenuis hac in ægritudine? An quia loquitur de curanda anhelitus difficultate præſente, in qua iuuat quam maxime humectare thoracem, vt magis poſſit extendi, ac inſeruire reſpirationi, & vt materia lenior reddita promptius expectoretur? Quid ſi Galeni ſermo ſic accipiatur a nobis, vt potum eſſe multum velit quantitate vocata diſcreta, non continua, ideſt, vt crebro, ſed paululum potetur? Sic namque periculum compreſſionis, quam copia

inuehere

A inuehere poſſet, omnino vitabitur, & pectoris partes melius, & inti-
mius irrorabuntur, iuxta illud, quod 2. ſect. probl. tradebat Philoſo-
phus, potum ſenſim hauſtum magis extinguere ſitim, quam affatim per
fauces præcipitatum, quia nimirum ſic magis irrigat, & madefacit, præci-
pue vero ſi ſit vinum ſubſtantiæ tenuis, quod ita facilius, & citius in intimio-
res omnes partes ſeſe ingerit, inſinuatque. Morbus etenim eſt in membris reſ-
piratorijs, quæ ſunt magis abdita, & intimiora naturalibus, vt a quolibet vi-
no non ita prompte poſſint irrigari. Vnde pariter ſumi poteſt ſolutio alterius
quæſiti, quod fieri ſolet de pleuriticis; vnde nimirum ſit, quod pleuritici om-
nes tanto vini ardeant deſiderio. Niſi etenim hoc a proprietate quadam, &
indicibili cauſa pleuriticis contingat, quemadmodum prægnantibus carbo-
B num appetitus, certè ego ad nullam probabiliorem rationem redigi poſſe
exiſtimauerim, quam ad ſitim proficiſcentem è ſiccitate, & feruore partium
pneumaticarum; quæ cum ſint magis abſconditæ, quam vt potu quouis
queant madefieri, ideo vinum, quod ad illas promptius pertingit, magis
quam vllum alium liquorem expetunt omnes ferè pleuritici. Dulcia edu-
lia tempore medio non admodum mihi probantur, quia bileſcere dicuntur,
& his facile hepar obſtruitur, vnde igneum magis naſciſcitur calorem. Al-
uus quotidie excrementa deijciat, quia ventris ſegnitie, caput vaporum mul-
titudine repletur, contra exoneratis inteſtinis viæ pectoris magis liberæ, &
expeditæ euadunt; ideo ſi non natura id fit, arte fiat, vti clyſmate, & balanis.
C In quem ſimiliter vſum probarem valde pruna damaſcena in vino dulci præ-
bullita, aut in iure ſaccharo aſperſa paulo ante prandium deuoranda. Nimiæ
vigiliæ, quibus & ſuapte natura, & data etiam opera ad ſtudia capeſſenda ma-
gnopere deditus eſt, ea de cauſa improbantur, quia immodicas pariunt cru-
ditates, ventriculi potiſſimum, & capitis robore diſiecto. Qua in re illud velim
memoria haberi, quod 2. aphot. 3. ſcripſit Hipp. in ægris; *Somnus, & vigilia
vtraque ſi modum exceſſerint, malum*. De aere tandem aliqua dicam, rebus
alijs non naturalibus tanti Viri prudentiæ relictis. Et ſane in morbis pulmo-
num, & cerebri, de optimo aere, ſub quod degamus curam habere debemus
maiorem quam de cibo, & potu, vel de quacumque re alia, cum dicat Hippoc.
D in libr. de ſacro morbo; *Aer, vbi primum inſpiratur, omnem vim ſuam in cerebro
relinquit*; quod ſimiliter de pulmonibus aſſeri poſſe norunt quicunque pul-
monis vſum in nobis cognoſcunt, & ab aere iugiter inſpirato, tam ad bonum,
quam ad malum pulmones alterari minime ignorant, exemploque ſint omni-
bus, qui phthiſi ex pulmonum vlcere iam laborant, qui idcirco Celſi tem-
pore per longas nauigationes in Aegyptum mittebantur, a Galeno vero
Romæ degente ad Stabias; ſicque Vxor illa Piſtoris cum phthiſica eſſet vi-
tam nihilominus, quam ſi vndique valens fuiſſet, protraxit, furni aerem
ſicciorem iugiter inſpirans. Multum refert igitur, ne ſub inconſtanti,
ac intemperato Cœlo degat nobiliſsimus Princeps, quale Romanum eſſe

ab omnibus effertur; ſed aer clarus eligatur, a paludibus ſemotus, ſiccus, A apricus, & inſolatus, cuiuſmodi puto non eſſe, pace tua dictum ſit, Rauennatem, ſub quo moram facit in præſenti. Rectè enim video notatum eſſe in literis, in aere nebuloſo, & graui, & vbi potiſſimum auſtrini venti, & quiuis alij maritimi ſpirant, morbum manifeſte augeri, eoque magis, quo totius corporis texturam; præcipuè verò capitis raram habet, & ſuturam coronalem valde latam. Huiuſmodi enim corpora externis iniurijs vehementer ſunt obnoxia, quamuis internis occaſionibus multo minus laborent, quam denſa, & conſtipata; quod expreſſe docuit Hippocr. in libr. de alimen. his verbis. *Raritas corporis ad perſpirationem, quibus amplius auſertur, ſalubrior. Denſitas corporis ad perſpirationem, quibus minus auſertur, morbida. Qui bene perſpirant debiliores, & ſaniores, & a morbo facilè conualeſcunt. Qui male perſpirant priuſquam ægrotent, fortiores ſunt vbi vero ægrotarunt, difficile a morbo conualeſcunt.* Iuxta quam intentionem ſcripſit etiam libr. 2. coac. prænot. aphor. 45. *Denſa corpora citius a pleuriticis, & pulmonarijs morbis interire.* Vnde perſpirabilis habitus Illuſtriſſimi Cardinalis laudandus, ſi internas cauſas reſpicimus, ſed ſi externas, reprehendendus; a quo propterea, omni adhibita cura, & diligentia, ſub iſto climate eligendus erit locus, prout iam ſignificatum eſt; & nos ad alia conuertamus ſermonem. Prohibebitur ergo cumulus pituitoſi humoris in cerebro vſu pillul. de agarico, de hiæra cum agarico, cochijs, de tribus cum rhabar. quæ tamen æſtiuis temporibus omittantur, quarum loco proponitur electuarium ex paſſularum pulpa, conſerua violarum, pulpa prunorum, & tamarindorum, manna, flore caſſiæ, pulu. fol. ſenæ, & aniſorum, pro C coniectura Medici præſentis conficiendum. Magnopere iuuat aſthmaticos omnes frequens vſus pillularum, quæ in hunc modum parantur. Recip. agar. boni ℥.j radicis ireos, marrubij ana ℥.ſem. turbit boni elect. ʒ. ij. ſem. ſpecierum hiæræ ſimp. Gal. ʒ.ij. pulpæ colocyntidis, ſarcocolæ ana ʒ. ij. mirrhæ, rhabarb. an. ʒ.ſem pulpæ ſem. cartami ℈.ij. ſem. mixtis omnibus cum ſyruppo de marrubio, vel de hyſſopo fiat paſta pro pillulis, cuius doſis eſt ʒ. j. ad ℈. iiij. aſſumenda poſt medium noctis. Interim vti cephalicis conſeruis, quibus cerebri excrementa ſiccandi facultas inſit, ſaluberrimum erit, vt puta conſerua florum anthos, conſerua betonicæ, & ſaluiæ, conſeruis florum cichorij, violarum, & D roſarum pro pectore, & iecinore commixtis. Decoctum radicis chinæ, & ſalſæ cum ſimplicibus caput roborantibus, & ius galli antiqui ad modum Meſues præparati a me non proponuntur, vt nec puluis capiti imponendus ex ſtechade, ſandaracha Arabum, roſis, & baccis myrti, nec inſuper ceratum de bettonica, aut lotio ipſius capitis, vel denique ſtillicidium, aut naturale ex aquis thermalibus, aut etiam arte paratum, propterea quod hæc omnia abunde alijs temporibus, aut nullo, aut certè pauco cum iuuamine experta fuere. Suffumigium tamen ex folijs tabachi ſiccatis a Neotericis celebratum non prætermitterem, & quod proponitur ab Aetio dicente.

Habeo

A *Habeo remedium ſingulare pro aſthmaticis, tuſſiculoſis, pleuriticis, ſuppuratis, ex quatuor rebus æqualiter permixtis, ſtyrace, terebinthina, ſandaraca, & maſtiche, cuiuſque ℥ 1. inde fit ſuffitus, cuius vſus,* ait, *mihi longa experientia innotuit.* Cauerem prorſus a ſuffitu arſenici quantumuis aquis caſtigati, qui a practicis quibuſdam laudatur. Pro iecinore autem, a quo potiſſimum, ni fallor, hæc deſtillatio ad pectus ortum habet, ante ſcripta purgatione præmiſſa, ſerum lactis caprilli ad quantitatem vnius, & etiam duarum librarum turionibus, aut ſeminibus fœniculi alteratum, vna cum ſuccis depuratis cichorij, & fumariæ per plures dies exhibendum cenſeo, quo tempore ſimul inunctio ex vng. roſ. meſ. cum ſucco cichorij, & modico aceto roſ. eiuſdem membri regioni fieri poterit. ventriculo maxime neglecto; vnctione, & ipſi facta oleis de abſinthio, de nuce moſchata, de

B maſtiche, & ſimilibus. Si autem iam dicti humoris in cerebro congeriem vitare ſit impoſſibile, omni ſaltem ope nitendum, vt a partibus thoracis in alias minus principales auertatur. Propterea lotio calida pedum alternis diebus hora congrua magnopere huic caſui conducet, qua fateor me nuper mercatorem quendam a iugi, & contumaci deſtillatione ab eadem prorſus cauſa genita ad vias ſpiritus cum periculo ſtrangulationis delabente, mirum in modum ſubleuaſſe. Cauterium in brachio ſiniſtro neceſſarium eſt, ne dum vtile, ad auertendam fluxionem, quo minus in pectus irruat. Imo curet in crure dextro paulo ſupra, vel infra genu alterum fieri; hucuſque medicus diſtulit? Aſcendentes enim in cerebrum ab hepate calidiori feruentes halitus,

C ſurſum deorſum facta reuulſione, continuò retrahet; & ſæpe vidi in morbis ad pectus attinentibus, præſertim in tuſſi diuturna, & aſthmate inueterato, ſubortis abſceſſibus in infernis partibus, inde multos fuiſſe ſubleuatos, vt ſimile quiddam contingat, quod Hippocr. ſcribit 2. Epid. ſect. prima *Neque tuſſes diuturnæ, quoniam vbi teſtis intumuit, ceſſant, & teſtis tumor à tuſſi ceſſat, & alleuatur.* Vbi etiam non ita poſt illos commendat abſceſſus (quorum ſpecimen præſeferunt cauteria) qui infra morbum fiunt, quique remotiſſimi a morbo ipſo extuberant. Quamobrem putes mulieres, quæ conſueta menſium purgatione, aut ob ætatem, aut morbificam ob cauſam deſtituuntur, & carent, aſthmaticas magis fieri, quam viros? Quoniam in illis

D varij ex vtero morbi enaſcuntur, inter quos liceat mihi præter eos, qui à Galeno ponuntur, hanc etiam anhelitus difficultatem collocare, quia propter conſenſum vteri, & partium genitalium cum pectore, facile hinc inde communicantur affectiones, vt, menſibus cohibitis, & laborante vtero, aſthma quoque in pectore facillime excitari poſſit; alioqui enim mulieres neque aſthmate, neque alio quouis morbo tam frequenter, aut facile corripiuntur, quam viri, prauorum humorum totius corporis colluuie ex vtero propulſa. Ita conciliandi ſunt inter ſeſe Aurelianus, & Aretæus, dum ille viros magis, hic verò magis mulieres aſthmate tentari ſolere memoriæ mandauit. Iam dicta ergo pars quamprimum inuratur, & adaperta ſemper ſit. Quo ad maſticatoria, quibus cerebrum, & ego ſcio exonerari, quam poteſt,

teſt, an hic locum aliquem habere poſſint. Profectò cùm ſciamus ad ſe- A
des affectas nunquam trahendos eſſe humores, ſed omnino ab eis longè
arcendos, talium medicamentorum vſus hoc in caſu mihi parum ex arte
eſſe videtur, eo quod materiam a capite in palatum, & inde facilè in fauces, &
pectus maiori ex parte deducant; ob quam etiam cauſam errhyna valentiora
prætermitterem; ſic enim Hipp. 5. coac prænot. ſect. 2. aph. 4 6. ſternutamenta in
morbis pulmonis, ſiue antecedant, ſiue ſequãtur, praua eſſe refert. Quod ſi cui-
piam amborum vſus minimè diſpliceat, ea ſaltem longe ab acceſsione præſcri-
bantur; errhyna que ipſa, quæ valde magis mihi probantur, quam apophlegma-
tiſmi, non ſint niſi ex mulſa, & ſucco betæ, aut aqua hordei cum manna portiũ-
cula in ea diſſoluta, & maioranæ ſucco. Spiritales partes demiſſam a capite ma-
teriam difficilius admittent, ſi præſentaneo remedio corroborẽtur. Iuxta quam B
intentionem multa poſſem in medium afferre, ſed breuitati ſtudens, paucis rem
abſoluam. Propono igitur therebintum cyprium, quo per vices quantitate ʒ. ij.
vtatur vna cum vel ſulfuris viui in aqua violacea ſæpius leuigati, aut diaſulfu-
ris ſemiſcrup. ita namque mire pulmo a craſſis, viſcidiſque humoribus deterge-
tur; eodemque tempore non leuiter firmabitur. Atqui therebintinæ vis purga-
toria, non ſiſtitur in primis venis, ſed ad cauſam vſque, & vrinæ vias penetrat,
veluti ex odore deprehenditur. Ad idem valet coagulum leporis in ſyr. de hy-
ſopo, & myrti diſſolutum, vt etiam loch. de caulibus, & de pulmone vulpis, cum
puluere ari, & ſpeciebus diaireos calidi Nicolai. Mirificè tandem roborabuntur,
ſimulque mundificabuntur trachea arteria, bronchia, & quicunque alij angu- C
ſtiores pulmonum meatus ſyr. ex decocto ſucci liquiritiæ, capilli ven. ſem. fœ-
nic. & pulmonis vulpis exiccati cũ ſaccharo, & ſyr. myrtino, & oxymelite ſcyl-
litino; quo ſæpius mane pro eclegmate vtatur. Quod ſi iam vigeat affectio ipſa,
& præſens morbus ſit, multa quidem ex iam dictis conuenire poſſunt, cum eadẽ
ſit curationis, quæ præſeruationis ratio, ſed tamen multa alia innouanda ſunt.
Primo namque hoc tempore quiuis aſthmaticus ſedeat oportet, quia tali ſitu
bronchia melius, & liberius dilatantur, augeturque cauitas pondere viſcerum,
deinde nudo pectore frigidum aerem attrahat, quia qui per os inſpiratur aer tũc
paucus admodum eſt pro cordis refrigeratione, imò ex retentis fuliginibus cor
ipſum quaſi obruitur, vt inter alios in ſe ipſo experiebatur Seneca. Locus etiam D
ſit non tenebroſus, ſed lucidus, quia illius aer denſior eſt, & craſſior, huius verò
rarior, atque tenuior, ſub quo propterea melius ducitur ſpiratio; & vidi ego aſth
maticos non nullos, qui clauſis feneſtris clamare ſolebant ſe præfocari, ac mori.
Liniatur præterea thorax, vt relaxetur, oleo amigdalarum dulcium, pinguedine
gallinæ, vel ſuilla, & aliquando vorticis mentũ decocto maluarũ, & oleo amig-
dalarum dulcium imbutum ſuperaddatur. Emplaſtrum quoque filij Zachariæ,
& de meliloto æquis partibus compoſitum, & ſuper alutam extenſum ad for-
mam pectoris commendatur. Aluus clyſtere, vel acri ſuppoſitorio illico irrite-
tur, & non aliter. Quæri tamen hoc in loco poſſet, an purgatio cum medicamẽ-
to competat, quoniam Gal. 5. aphor. in aſthmate cathartica laudat, quoniã, cum

a toto

A a toto attrahant, thoracem etiam expurgant. Ego tamen ſemper exiſtimaui, aſthmate vigente, purgantia medicamenta omnino eſſe vitanda, ne ſcilicet peccantes humores vehementius commoti cum periculo præfocationis in organa reſpirationis præcipites ruant. Addo, hoc tempore materiam in pectore ſtabulantem, & impactam pulmonibus, eclegmatis, & arteriacis vocatis medicamentis eſſe educendam, quæ per aluum validè præſertim vacuant, omninò relictis, eo quod talia medicamina, vt nos primus omnium docuit Hip. lib. 2. de morb. humores in pectore cohibent, ac ſputa coercent; qua ratione alibi quoq; dixit phthiſicos, ſuborto in illis alui profluuio, mox è vita diſcedere, intus ſuppreſſis ſputaminibus. Ad Galenum vero dicerem, eius ſententiam, vel de tempore medio intelligi debere, vel ſi de tẽpore acceſſionis, quando materia aſthmatis cauſa adeo pauca cenſetur, vt etiam ſi huc, & illuc deuehatur, ſuffocationis tamẽ periculum inferre minime valeat. De venæ ſectione, non minor eſt apud quoſdã controuerſia, ſed, mi Abbioſe, vbi accidat Illuſtriſſimum P. grauiori acceſſione tentari, ab aliqua ſanguinis miſſione neutiquam ſe abſtineat, auerſionis gratia, niſi vires ob aliquam cauſam imbecilliores redditæ reclamarẽt. Commendatur enim id genus auxilij a Cælio Aurel. Celſo, Auicenna, Paulo, & alijs multis, quibus ratio fauet, experimentumque: ſed obſecro a quonam loco mittendus ſanguis ipſe? quia, ſi Auicennæ conſilio acquieſcimus, incidenda erit vena baſilica ſiniſtra, non alia de cauſa, niſi quia, tum ſanguis in corde feruet, propterea quod euentilatione fruſtratur, ſi aliorum vero opinionem inſequi magis in animo ſit, communis vocata incidenda eſt, quorum ſentẽtia mihi magis probatur, quia huiuſcemodi vena, & caput reſpicit, & membra pectoris, ſicque euacuat, reuellit, atque deriuat; ſed cuius nam lateris? ſiniſtri fortaſſe potius, quam dexteri, quandoquidem pulmonum venæ ex dextero cordis ſinu prodeunt, hic autem in ſiniſtrum parietem venæ cauæ inſeritur, qui per ſiniſtram alam in cubitum excurrit. Hinc Fernelius 2. methodi cap. 7. deducebat, non modo inflammationi pulmonum, ſed & hæmoptoidi, cordis palpitationi, aliiſque illorum vitijs interiorem cubiti ſiniſtri venam melius ſuccurrere, quam dextri. Vlterius ſæuiente malo, nec ex tanta eddito auxilijs, vt iã timeatur, quod auertat Deus, præfocatio, non diſplicet mihi cum multis ad metaſyncritica deſcẽdere, & cauD teria, vel inij, vel bregmatis, poſt nimirum vincula dolorifica, validas frictiones, & cucurbitulas in infernis partibus. Medicamenta pariter, quæ ſenſim deglutiendo, aut lambendo per aſperam arteriam in pulmones deſcendunt, frequenter aſſumi debent; & ſi quæras a me, qua forma, aut ſubſtantia, certè mihi vuida potius, & liquida, quam ſolida, & ſicca probantur. Cur? quoniam multa humectatione tunc opus eſt, qua pectus magis ſequax, magiſque obediens redditur ad reſpirationem, quæ in anguſto eſt, amplius faciendam, & quod ipſa largiori humectatione facilius effertur, id quod in pulmonibus, & pectore continetur. Hac enim de cauſa dixit Hip. de rat. vict. in acut. de pleuritide loquens, in qua ſit extraducenda materia. *Si os madeſcat, & ſputum facile ducatur, cibum, & potũ, ſeu ſorbitionis quantitatem adauge*; & Gal. 5. de ſimpl. med. cap. ij. admonet, ne

quæ

quæ incidunt, & extenuant, ſola, & per ſe ingerantur, ſed mellicrato, vel ptiſa- A
næ, vel oximeliti, vel denique dulcium vinorum cuipiam admixta. Hinc videas
quanta cum ratione Medici quidam noſtri tẽporis in curatione aſthmatis prę-
ſentis, ſumpta, vt arbitror, ab humidiori morbificæ materiæ natura indicatione
etiam multum ſiccantia imperant ægrotantibus, velut aquas è radice chinæ, ſal-
ſa, ſaſſafras, viſcoquercino, & ſimilibus, quæ quidem, vt tempore intermedio vti
les ſunt, & a me quoq; vſurpantur, ita præſente acceſſione minime conueniũt,
nec illa potui vnquam probare, quia nimirum rebellem magis, magiſque contu
macem reddunt, quæ expectorari debet, materiam, eam nimis exiccãdo; niſi pro
illis diceremus talia commendari poſſe auxilia, vbi tenuis, nec multa in pectore
adſit materia, ſed hęc dyſpnęam potius, quam aſthma, aut orthopnęam efficiet.
Multis in vſu eſt lambitiuum, quod recipit oxymel. ſcyll. ℥. j. ſyr. de farf. ℥. ij. Am B
moniaci ℥. s. m. nec non, & hoc aliud; ſcyllæ aſſatæ ℥. s. rad. iridis, hyſſopi, praſſij,
marrubij an. ʒ. j. myrrhæ, croci an. ʒ s. cum ſuffic. mellis quantitate eclegma pa-
retur. Laudatur etiam pulmonis, & iecinoris quoque vulpini arefacti ʒ. j. cum
ptiſana, aut mulſa, veluti & alterum lambitium quod fit ex diapenid. diair. ſacc.
cand. viol. cum ſyr. de liquir. & viol. aliaque innumera, quæ breuitatis ergo nũc
ſilentio inuoluere conſtitui, præter confectionem in rotulis ex tabacco tuditor
puluerizato, & ſaccharo in aquis uiolarum, & florum arantiorum diſſolu-
to; & vnum mellicratum, quod confici ego iubeo ex decoct. thymi, & origani
in aquis ſtillaticijs farfaræ, capill. ven. & ſcabioſæ, addito deinceps colaturæ
melle hiſpano, rurſuſque facta S. A. ebullitione ad mellicrati quam vocant con C
ſiſtentiam, cuius ſane mira eſt vtilitas. Pro cibo, & medicamento ſimul ptiſa-
na aqua roſata, & ſaccharo aſperſa; oua ſorbilia, & panis in hidrelęo (oleum ta-
men ſit amigdalinum dulce, recenſque) præbullitus, quemadmodum pro potu
modo aqua hordei, modo mulſa dilutior, aut etiam aqua ſaccharacea, non abſq;
vino leuiori, & ſubdulci tempore acceſſionis mirifice conueniunt. Habes igi-
tur, mi ſuauiſſime Abbioſe, quæ mea ſit ſententia de aſthmate Illuſtriſsimi D.
precor Deum vt Principem tam ſingularem, & verè vnicum a ſæuo diroq; ſym
ptomate incolumem præſeruet. Tu interim fac bene valeas, & Hieronymum
Rubeum Medicum ſapientiſsimum plurimum valere, meo nomine iubeto. Da-
tum Venetijs Kal. Maij. 1607. D

EPISTO-

A

DISPVTATIO DE MELONIBVS.

AVCTORE HIERONYMO RVBEO RAVENNATE

Medico noſtri temporis celeberrimo; in qua tum alia, tum hæc potiſſimum quæ ſubnectuntur Quæſita principalia continentur.

I.

Cur diſputationem de Melonibus Auctor conſcribere voluerit.

II.

B *Vtrum ſub cucumere, quodam veluti ſub genere comprehendantur pepo, melopepo, & qui hodie citrulus dicitur.*

III.

An, & cur pepo idem ſit cum anguria appellata.

IV.

An, & cur Melones noſtri melopepones ſint.

V.

Melopepones vnde dicti.

VI.

Cur noſtro in Melone ea caro non comedatur, quæ ſemen includit, cum tamen ſcribat Gal. in melopepone comedi.

C

VII.

Quanta ſit vis mangonij in alterandis tum Melonibus, tum alijs.

VIII.

Quænam ſint primæ Melonum qualitates, vbi Galenus contra Cardanum defenditur; & Aetius notatur.

IX.

An Melones facile putreſcant, vbi Alexandri Petronij opinio reijcitur.

X.

An, & cur magis iuuent, quam noceant.

D

XI.

An præſtet eis ſolis vti, an ſale, aut ſalſamentis eoſdem condire, vel cum caſeo vetere comedere.

XII.

An a Melonum eſu ſtatim bibendum ſit.

XIII.

Vtrum poſt ipſos aqua ſit potanda, an vinum.

XIV.

An qui frigidiore ſunt ventriculo poſſint Melonibus vti.

XV.

Cur Gal. in puero epileptico Melones concedat, cum pira, & alia damnet.

An

XVI. A

An post Melones aliquod cibi genus, & quale ſit comedendum.

XVII.

An ſint prima tantum menſa comedendi.

XVIII.

Quot, & quæ nam afferant emolumenta, ac damna.

XIX.

An faciant ad podagram procurandam, vel potius præcauendam.

XX.

Cur Melones, cum dulces ſint; & dulcia ſoleant vini ſaporem peruertere, ipſi tamen vinum ſapidius, & iucundius percipi ſinant.

B

Ad Excellentiſſimum D. Sebaſtianum Iozzium Almæ Vrbis Protomedicum.

DVm annis præteritis Rauennæ, morabaris, & Illuſtriſs. Cardinalis
Petri Aldobrandini illius Vrbis Archiepiſcopi valetudinem rege-
bas, neſcio qua occaſione factũ, vt Hieronymus Rubeus Vir omni
literarum genere ornatiſſimus, & de medica republ. in primis opti-
mè meritus, Diſputationem quandam de Melonibus conſcripſerit, in qua plu-
ra, & illa quidem non iucunda minus, quam vtilia Quæſita in natura; & vſu
fructus omnium ſuauiſſimi, & commendatiſſimi argumenti ſuſcitantur, & do- C
ctè admodum perſoluuntur; Poſt quam quidem tua quoque doctiſſima, & ele-
gantiſſima epiſtola ſtatim ſubſequebatur, in qua tamen in multis diſſentire vi-
deris ab eruditiſſimi illius Viri opinione; cumque Auctor ipſe vtranque mihi
Venetias tunc miſiſſet, non valde poſt typis excudi mandaui; idque non minus
vt Medicinæ ſtudioſis vtilem, quam vtriſque amicis meis gratam rem facerem.
Hoc ipſo tempore eadem cauſa me mouet, vt rurſus tam pulchra, & iucunda di-
ſputatio imprimatur, & huic meo operi inſeratur; quod eo libentius facio, ne
huiuſmodi opuſculum ita ſolum facilius obliuioni detur, & vt veræ, atque can-
didæ omnium noſtrum amicitiæ, ac beneuolentiæ teſtimonium quam clariſſi-
mum poſteris omnibus relinquatur. Interim Tibi gratias quantas poſſum ago, D
quod mecum, & per ſchedulam, & coram pariter congratulari voluiſti, quo res
meæ fœliciorem ſortiri videantur progreſſum, quam præteritis tẽporibus; quod
quidem verum eſſe non negauerim, nõ meis tamen meritis, ſed diuina inprimis
prouidentia, deinceps vero ſola, ac mera humanitate Illuſtriſſimi Principis Car
dinalis Ludouiſij Domini mei. Qua in re etiam tibi non parum debeo, qui me
ſemper conſtanti animo eſſe, nec vnquam ab Vrbe diſcedere, tam alacriter hor
tabaris. Ita namque expertus ſum in me, quod Valerius Maximus memoriæ
traditum nobis reliquit. *Aequaliter ſe in aduerſis gerere, quid aliud eſt, quam ſæuien
tem fortunam in adiutorium ſui pudore vitam conuertere?* Diu vale, & me ama. Dat.
Romæ Kalend. Iulij 1621.

A
PAVLO IVSTINIANO
NOBILI GENVENSI.

NON te certè latet, Iuuenis Perilluſtris, quàm multa de Melonibus anno proximè elapſo à me, dum tecum vnà diſcumberem, acutè admodum more tuo quæſieris, digna profectò, quæ vel a Plutarcho in ſympoſiacis, vel ab Athenæo in Cœnis ſophiſtarum peracta fuiſſent, quibus ego ex tempore, prout ingenioli mei dictabat tenuitas, ſatisfacere conatus ſum. Illud vero vnum haud plenè diſcuſſum tibi de ſingulis dubitanti videbatur quod problematis naturam ſapere, ac præſeferre videtur, Cur nimirum cum edulia quæque dulcia, ſi prægustentur, vinũ
B guſtu inſuaue reddant, vnde potores mellis, & ſaccari condimenta à ſuis menſis arcent, Melones contra tantopere vini ſuauitatem adaugent, dummodo vinum meracum ſit, & potens, non dilutum, vel oligophoron. Tale enim iniucundum prorſus guſtui foret. Qua in re, vt integre, ſi poſſem, præpurgatis tuis auribus ſatisfacerem, quæſtiones naturales Leonardi Iachini Medici celeberrimi afferri iuſſi, vbi & ipſe hanc dubitationem dilucidandã ſuſcipit, cuius quidem perſpicaciſſimi viri, & ſummi Philoſophi ſolutionem cum ab ea, quam ego protuli, parum abeſſe cognoueris, aliquo pacto meæ ſententiæ aquieſcere viſus es. Ab hac promota quæſtiuncula paucis interiectis diebus, conuenit me vir omni litteratura perornatus Camillus Abbioſus, qui auream diſputationem de Melonibus
C mihi Auctoris nomine detulit, in qua cum ea omnia, quæ de Melonum natura, & vſu tam in ſanis quàm in ægris noſſe præoptas, non modo ea, quæ ad problematis enodationem ſpectant, eleganter admodum, & eruditè iuxta veterum Medicorum doctrinam abundè ſatis diſputata, ac etiam enucleata repererim, illico de ea promulganda, tibique nuncupanda cogitare cæpi, ſtudioſis omnibus rem gratam me facturũ confidens, quippè qui non ignoro, quanti apud omnes alia Auctoris monumenta exiſtimentur. Eſt enim Hieronymus ille Rubeus olim Clementis Octaui Pont. Max. Medicus ſummo ingenij acumine, & omni virtutum genere percelebris. Rem autem in hunc vſque annum diſtuli varijs rebus diſtentus, & præoccupatus; nunc verò aliquantulum ocij nactus, tam pul-
D chram, ac eruditam Diſputationem diutius in tenebris latere mihi minimè permittendum eſſe duxi. Quam quidem tibi quoque periucundã fore, vtpotè multiplici, & vtili doctrina refertã, pro certo, indubitatoq; habeo. Quod munuſculum velim perpetuum ſit meæ in te, tuamque nobiliſſimam familiã obſeruantiæ teſtimoniũ, dum te in Patriam Illuſtriũ virorũ ſplendore, diuitiarũ multitudine, & ædificiorum magnificentia toto orbe terrarum clariſſimam receperis, & in ea ad ſummos illos gradus, & honores euehetis, quos multis abhinc ſeculis antenatis tuis elargita ſemper fuit. Interim dũ Melonũ naturæ indagandæ incũbis, illorũ vtilitatis ne obliuiſcaris. Icteritiolæ nãq; quæ æſtiuis caloribus tu oculi cũ cute aureo colore ſuffuſi cernũtur, fugandæ, quid vtilius, quid præſentaneũ magis melonibus ipſis? Suſcipe illud igitur, ex parte quidẽ mea tenuiſſimũ, ſed ſi auctoris, quã maximũ, & me eo quo ſoles, amore proſequere, Vale.

ILL V-

ILLVSTRISS.MO ET REVEREND.MO

D. D. PETRO ALDOBRANDINO

S. R. E. Tituli SS. Ioannis, & Pauli Presbytero Cardinali, & Camerario, Archiepiſcopo Rauennati.

HIERONYMVS RVBEVS.

DEBENT ſanè omnes tibi Rauennates plurimum, neque ſolum ob ea, quæ dum CLEMENS OCTAVVS PONT. MAX. patruus tuus viueret, pro vniuerſa re Chriſtiana Publica; immenſo illius oneri humores, quantum licuit, & quamdiu licuit ſubijciẽs; geſſiſti maxima, & omni perpetuo laude præſtantia, ſed ſuo etiam ipſorum priuatim nomine debent, dum Archiepiſcopales omnes, & bono dignas paſtore virtutes, in eorum ſalutem exprimens, & in omnes oneris tui partes excubans, eas omnes imples; mónes, hortaris, vrges bene faciendi occaſionẽ, pacem quæris, & concilias, occurris ſupplicibus, occurris laborantibus, efficeris omnibus omnia, vt omnes CHRISTO lucreris. Hæc autẽ, ne aſſentari ſibi velle videar, ſtrictim attingam neceſſe eſt, quando ipſum me horum ſcribendorum argumentum coegit, non omiſiſſe. Itaque qui tibi ex noſtris diuturnam, atque incolumem vitam nón optet, & a Deo Optimo Maximo nõ precetur, planè eſt nemo. Sed cum inter Rauennates ego maximè omniũ, immortali tibi obſtrictus beneficio, debeam, nequaquam fuerit ineptũ, aut indecens, ſi pro virili mea parte, atque arte, quantulacumque eſt, auſim tuæ inſeruire incolumitati, & qua ratione poſſum, prout ſe fert occaſio, illi conſulere. Quod maximè nunc in Melonibus mihi faciendum videtur, qui cum ita à pleriſq; improbentur, vt abſtinendum omnino ab eis eſſe cenſeant, priuantur homines ea vtilitate, quam Melones non mediocrem, hoc tempore afferre poſſunt, & conſueuerunt. Mitto igitur amplitudini tuæ hãc per hoſce pauculos dies a me elucubratam diſputationem. præſertim quod cum Melones deberem, ij ſi ex horto tantum mitterẽtur, Olitorium potius, quam medicum viderentur munus. Sed quando, quod medicorum eſt promittunt Medici, vt ille inquit; ſi promiſſis ſtare velim, medica ex arte, potius, quam Medici ex horto, decerpti mittendi fuerunt. Accipere igitur pro tua, vt ſoles, humanitate, hilari fronte, leuidenſe craſſo fillo ſeruuli tui munuſculum ne grauere, ita te præpotens Deus diu nobis ſeruet incolumem, vt quod facis, diu facias.

Rauennæ Kal. Auguſti. 1605.

A HIERONYMI RVBEI
DE MELONIBVS DISPVTATIO.

ADeò anguſta eſt,& tenuis Melonum noſtrorum apud antiquos Me-
dicos hiſtoria,vt minimè mirum ſit, ſi recentiores, vt explicarent
quid apud veteres illos eſſent, cum diu, & multum laborauerint,
pars vt Cardanus lib.2. de ſanit. tuenda cap. 38. Galenum acriter
reprehenderit, perinde ac fruſtra in pleriſque multa ſcribentem, incertum ta-
men;quid pepon, & melopepon ipſorum eſſet omnino relinquentem; Alij vt
Matthiolus in Dioſcor.lib.2.c. 128. liberè affirmauerint, ſe certo neſcire quid
B eſſent,adeo animum dubium æquales hinc atq; inde rationes reddiderunt,Ple-
rique vt Benedictus Rinius in lib.2.tract.2.c.92.& 175. Auicennæ vitio dent,
quod hanc omnem materiam,duobus,quibus de ea ſcripſit,locis confuderit:cũ
tamen re vera nihil aliud Auicenna,quam quod Galenus diſtinxerit,docuerit-
que niſi quod Galeni Peponem;vocat *Batecham*, ſeu *Batiecb*; Melopeponem
autem, *Melonem*, idq; omnino, vt putamus, rectè. Quamobrem temeritatis ar-
gui facilè poſſim,ſi poſt tot ſęcula,poſt tot grauiſſimos auctores incertos,certũ
reddere incertum hactenus negotium velim,niſi omni culpa liberaret me veri-
tatis ſtudium,& patens cuique philoſophiæ cãpus,in quo liceat excurrere,præ-
ſertim dum antiquorum inſiſtentes veſtigijs, integrum cuique de his iudicium
C relinquamus.

Illud itaque verum aſt,cucumerem, quem Græci *σίκυον*, latini autem *cucu-
merem* a curuore,vt ait Varro,appellant,aliquando videri acceptũ ab illis fuiſſe,
perinde ac genus, quod in ſe Peponem, Melopeponem, & propriè vocatũ ho-
die *cucumerem*,ſeu *citrulum* includeret. Conijcere id ex Plinio Lib.19.cap.5.poſ-
ſumus;qui ait,cucumeres,vbi magnitudine excedunt, vocari pepones;prin.ũq;
audiſſe,nouam formam eorum in Cãpania proueniſſe mali cotonei effigie for-
teque primo natum ita vnum,mox ſemine ex illo,genus factum, Melopepones
vocant. Dioſcorides quoque cap.de cucumere ſatiuo lib.2.cap.128. agit de Pe-
pone perinde ac Pepon,cucumeris ſpecies ſit. Ante hos etiam omnes Hippoc.
D lib.de affectionibus. *cucumis Pepo*,inquit, *vrinam cit, & aluo ſecedit, ac leuis eſt;
alter vero non Pepo,frigiditatem quandam exhibet, & ſitim ſedat.* Neque verò in-
telligendum eſt hic, pro pepone, accipere Hippocratem, maturum, quia licet
hæc vox,vt inquit Galenus lib.2.de alim.facult.c.4.talia ſignificet,omnibuſq;
conueniat, quæ matureſcunt; nam & racemus cum exaſtè maturus eſt, pepon
dici poteſt,quemadmodũ,& in Aphoriſmis 1.Aph.22.dixit,*Pepona*,ideſt,*matu
ra medicari*,tamẽ vt ibidem idem innuit Galenus,ſigillatim huic cucumeris ſpe-
ciei conuenit.Quod vel ex eo comprobatur, quod ſcribit Hipp.lib.2. de Dieta
vbi hæc duo verba coniungens, ait, *cucumeres maturos, Pepones mingi, & per
aluum ſecedere*,quæ eadẽ ſunt,quæ de cucumere Pepone,loco ſupra citato ſcrip-
ſerat. Et quamquam ex his,quæ ſcribit de cucumere ſilueſtri Dioſcordes,fructu

K ſolo,

ſolo, quem oblongis glandibus non diſſimilem parit, à ſatiuo diſſidere, cũ alias, A
folijs, floribus, ac ſarmentis ſatiuum prorſus referat, cõſtare poſſit, cucumerem
ſatiuum, illum eſſe, quem *citrulum* vulgo, & *citriolum*, & *citriuolum*, & *cucumerem*
nunc appellamus, tamen, quæ illi deinde adſcribit, citrulo noſtro non conue-
niunt: nempe quod aluo, & ſtomacho, per quam vtilis habeatur, & olfactu recreo
cet, quos animus liquerit: Nam difficiles admodum coctu ſunt noſtri citruli, &
vt ait Plinius, viuunt hauſti in ſtomacho in poſterum diem, nec perfici queunt
in cibis; præterquam quod nullo ſunt odore præditi, ita vt olfactũ recreare poſ-
ſint. Quod enim dicitur a quibuſdam, eos, quibus ob calorem animus deficit, ol-
factu ſuo reſtituere, id maxime ſingulare, & fortaſſe improprium dictu eſt, nec
poteſt id abſque odore fieri, quod roſaceæ aquæ, aceto, & huiuſmodi alijs acci-
dere noſcimus. Cæteras illius vires, cum ſint communes ita melonibus noſtris B
vt citrulis, ſeu cucumeribus, nos docere in hac re quidquam nõ poſſe perſpicuũ
eſt. Vtrique enim refrigerant, veſicæ proſunt, ſemine vrinam modice mouent.
Itaque illud in hoc dicendum videtur fuiſſe, quod de citrijs fuit, quæ cum vnius
tantum generis reperirentur, imò Plinij ætate in Italia adhuc non eſſent, illoſũ-
que pomos non edi ſcribat idem auctor. lib. 12. cap. 3. poſtea tamen eſculento
eſſe pomo reperta ſunt, & excellenti mangonio eo euaſerunt, vt multiplici ſpe-
cie, eademque elegantiſſima, citria ipſa hortos mirabili ornata decorent, limo-
nijs, Adami pomis, Nerantijs, ſeu aurantijs, ſic tamen vt Nicolai Myrepſij de-
ſcrip. 190. ad dyſentericos atque auctoris, qui Græca in Nicandrũ de alexiphar
macis ſcholia compoſuit tempora, aurantia attingant, ab ipſis enim Nerãtij fit C
mentio, perinde ac ſpeciei mali medicæ; & cum ſaporem citrijs acidum a natura
tributum conſtet, vetereſque medici, vt eſt apud Oribaſium, eam ſolam in illis
qualitatem nouerint, & idcirco vt inquit Pontanus lib. 2. de Hortis Heſperidũ.

Dulcis ne ex arte magiſtra
Venerit, in dubio ſit:

Hodie & dulci, & acido, & medio, & ex medio, magis ad acidum alia ſpecta-
re alia ad dulce; ſubdulciaque, & ſubacida eſſe perſpectiſſimum eſt: & ex limo-
nijs pleraq; tenuiori cortice, quos *limoncellos* diximus, craſſiore alia: ſucco quo-
que nonnulla dulciore, alia acidiore, aut medio, admirabili artis, & naturæ luſu
prædita eſſe percipimus. Cum vero melones noſtri in frequenti vſu habeãtur, D
menſaſq; æque nobilium, atque ignobilium, & onerent, & ornent, ſi veterum
illorum ſeculo, vt Plinij, vt Dioſcoridis, vt Galeni, in eodem frequenti vſu
fuiſſent, vt certè fuiſſent ſi ita odorata, ac ſapida vti nunc ſunt, fuiſſent, id certè
nequaquam inuoluiſſent ſilentio: nam & Theophraſti ætate, citria mala non-
dum in ciborum vſum veniſſe, ipſemet teſtis eſt Theophraſtus, lib. 4. de Hiſtor.
plant. ſed tantum odoris gratia veſtibus inſerebantur, & Antidoti loco aduer-
ſus venena adhibebantur, ad quæ demolienda ſemen præcipuè efficaciſſimum
habent: Cum è contrario, ſcribat de apio, ſeu petroſelino Plinius, lib. 20. c. 11.
ſua ætate, quod & noſtra quoque accidit, gratiam illi vulgo eſſe; namque rami,
inquit ille, largis potionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem

gratiam

A gratiam habent. Hæc Plinius, & Martialis in Xenijs de Oliua.

Inchoat atq; eadem finit Oliua dapes.

Non ignoro Aelium Spartianum hiſtoricum,qui annis ab hinc mille tercentis floruit,Oſtienſes maxime melones laudaſſe, ſcribereq. Albinum Cæſarem, cuius tempore adhuc viuere Gal. facile potuit (Nam commodo, Antonini filio mortuo,arripuit Imperium) decem melones oſtienſes, vna cœna comediſſe, & cum illis Perſica campana centum,ficedulas item centum,& totidem labicanas ficus:ſed mihi id perſuadet, eos melones nequaquam ita magnos fuiſſe, vt noſtra ætate,plerique optimi habentur: Imò cum tradant, Galienum Imperatorē, qui poſt Albinum annos ſexaginta fuit; melones per ſummam hyemem exhibuiſſe,credi facile poteſt,ex illis fuiſſe, quos modo hibernos vocamus, non ita magnos: Cum enim horum caro, in qua ſemen abſconditur non comedatur,
B quod proprium eſſe Peponum ſui temporis Galenus affirmat, 2. de alim. facul. cap. de Pepon.& eorum ſit natura frigidior,cum humiditate copioſa,quæ ob id longo indiget tempore,vt coquatur,abſtergatque haud difficile tales fuiſſe Pepones,plerique recentiores medici Baccius Baldinus tract. de cucumeribus exiſtimarunt. Verum ego,cum videam ea,quæ de Pepone a Galeno ſcribuntur,ap prime ijs conuenire, quæ modo *Anguriæ* appellantur, plurimum impellor vt credam,eas vere Pepones Galeni eſſe:neque me mouet, quod intima eorū caro,in qua ſemen includitur, magna paſſim auiditate a quibuſdam comedatur a qua abſtinere,in peponibus,homines conſueuiſſe Gal. ſcribit,quia id artis induſtria factum fuiſſe credendum eſt, vt ſcilicet earum caro fuerit reddita ſuauior,
C quemadmodum hodie quoque videmus,neq; tamen multis abhinc annis, eandem ſaturato colore rubētem,planè vt ſanguinem,aut purpuram referat. Quod ſi de anguria Serapio peculiare caput fecit,quam Arabica lingua, *Dullaba*, nuncupauit,poſtquam ex Galeni auctoritate de Peponibus,& Melopeponibus,diſſeruiſſet,nihil contra nos facit,quia nō ſatis erant melopepones, & pepones illi cogniti, & facile potuit exiſtimare, vt etiam noſtra ætate plerique exiſtimant, aliud quidpiam a Pepone eſſe anguriam. Quod in alijs quoque peccaſſe Serapionem,tametſi Mauritanis omnibus in ſimplicium medicamentorum hiſtoria præſtiterit,apud rei herbariæ ſcriptores conſtat: ſiquidem in Meſpilorum hiſtoria aperte hallucinari depræhenditur Matthiolus in Dioſ.lib.1.cap.133.de Me-
D ſpilo quippe qui ſorbi titulo omnia referat,quæ de vtroque meſpilorum genere ſcripſit Dioſcorides,lib.1.c.10.de Dhu.& cap.72.de manna thuris;a quo quidquid de ruſco traditur,Serapio cubebis perperam reddit, & thuris mannā cum cæleſti ineptè confundit, vt omittam, quæ confuſe item vno tantum capite de vtroque Ephemero,& de Hermodactilo docuit. lib.4.cap.80. nomine dūtaxat Hermodactili omnibus in ſcripto,immemor,ac potius ignarus,apud græcos eas plantas inter ſe maximè differre. Quod verò ſcribat Alexander Trallianus, de cholera tractans, quod ante eum dixerat Galenus 2. de ali. facul. a ca. de Pepone a Peponibus illam generari,nihil eſt,id enim immoderatius illis vtenti ſcribit accidere,& Hipp.lib.7.epidem.a quo ſumpſiſſe potuit Trallianus,eam affe-

ctionem non minus cucumeri peponi adſcribit, quã carnis eſui, & ebrietati vini A odorati veteris, ad hæc lactucis coctis, braſſicæ, placentis dulciarijs, fructibus pomorum, & huiuſmodi, vt magis quantitati, quam qualitati, quæ ex ipſius Hippocratis 2. Aph. 17. ſententia, minus nocere ſolet, quam quantitas, referri debeat accepta. Quod conuenire angurijs noſtris non negamus, indeque ſententiã noſtram magis confirmari, vt pepones ſint. Stomacho autem illas aduerſari, quia duo ſcrupuli eorum ſeminis exhibiti, ſtatim vomitum cieant, vt idem ibidem ait Trallianus, id experientiæ repugnat; quotidiè enim, & peponum, & melopeponum vtimur ſemine, illiuſque lacte, quod appellant, non ſolum abſque incommodo, ſed maxima cum vtilitate. Itaque radicem Dioſcorides illorum ſiccam, B & ex hydromelite potam drachmæ pondere, vomitionem mouere ſcribit: Galenus id ipſis attribuit peponibus, vti quoque Aetius; Nemo illorum ſemini; Quæ omnia cum anguriæ noſtræ propria ſint, illam eſſe peponem omnino dicendum eſt.

An vero melones noſtri, melopepones ſint, quos ait Plinius loco citato ex cucumeris grandioris ſemine ortos, & ſcribit Gal. loc. cit. eſſe minus humidos, quam pepones. nec adeò praui ſucci, neq; ita ſtomacho noxios, profecto eſſe ita dixerim. Neq; enim dicuntur melopepones à μέλαν quod eſt nigrũ, vt pleriſq; placuit, vt Cardano l. 2. de ſanit. tuend. c. 38. atq; idcirco ij a noſtris eos melonibus diſtinxerũt, ſed ἀπὸ τοῦ μήλου, hoc eſt, a pomo, ſeu malo quod mali cydonij C figuram initio, vt inquit Plinius, habuerit, Malum enim abſolutè, Græcis malũ cydonium ſignificat: inter omnia ſiquidem cucumeris genera, mali cydonij effigiem melones noſtrates referunt, atque inde Græca voce, nomen, quo paſſim nunc melones vocãtur fluxiſſe exiſtimandũ eſt; μῆλον enim Græcè, latinè *melon* dixeris. Neq; valet eorũ ratio, qui vt negent melopeponem eſſe melonem noſtrum, aiunt, non comedi in noſtro eam carnem, quæ ſemen includit, cum tamẽ Galenus ſcribat in melopepone comedi; quia reſponderi poteſt, id quod de citrijs diximus, olitorum mãgonio ita meliores factas eſſe noſtra ætate, vt cũ antea nulla eſſet inter vtramq; carnem differentia, eſſetq; omnis eiuſdem rationis, nunc facta diuerſa ſit, nempe quo magis a ſemine receditur, eò ſolidior, & vſq; D ad certos fines, ſapidior. Cuius mangonij illud eſſe argumẽto poteſt, quia in ijs, qui non admodum maturuerunt, & idcirco nõ ita ſapidi ſunt, quia calor inſitus ſaporem, ac dulcedinem non intulit, quam ſolet, comeditur ea caro, vt etiam in ijs, qui nimium maturuere, aut recentes non ſunt, longius reijcitur. Neque vero id artificij circa plantarum genus, aut nouum eſt, aut inſolens; nam præter id, quod de citrio diximus, cucumerem, cuius ſpeciem, melonem noſtrum eſſe diximus, cum Mangonio melius affici cepit, ſemine, lacte prius macerato, dulciorẽ factum eſſe, Græci ſcriptores, vt Plinius refert, loco citato tradiderunt; dulciorẽ adhuc, & ſuauiorem, ſi in hydromelite: Pariter ab eius ſemine, qui ſiue caſu, ſiue arte, in campania natus erat maior, alios maiores genitos eſſe ſcribit. Quamobrem illud omnino conſtat, ſilueſtrem edomari poſſe plantarum naturam, ſi induſtria accedat, cultuque frequenti: hinc Virgilius lib. 1. Georg.

In qua-

A *In quaſcunq; voces artes, haud tardè ſequentur.*
— Nam hac eadem arte mutantur fructus.
Pomaq; degenerant, ſuccos oblita priores.

Itaque nihil mirum fuerit, ſi creſcēte in dies huiuſmodi induſtria, res eo de-
uenerit, vt melones habeamus longe ſuauiores, quam priſca illa ætas habuerit,
aut etiam nouerit, cum tamen ijdem cum illis ſint. Nam hodie quoque cum cę-
lum, ſolumque Gallicum vt ait Carolus Stepha. li. 2. de agricul. ca. 30. huius ſit
induſtriæ minimè capax, eius regni melones, cucumeribus paulo delicatiores
habentur dicunturq. longè aptiores eſſe ad nutriendum feles, quæ eis maximè
delectantur, muloſq; & aſinos, qui illis pingueſcunt, quam homines. Nos verò
non ſolum ſuauiores veteribus, & gallicis illos habemus, ſed quorundam etiam
eorum ſemina, corticeita tenui, vt nullo penè cortice veſtita videantur: Quod
B totum mangonio acceptum ferendum eſt, quemadmodum, & quod alij, in-
tus albi, ſeu herbacei coloris ſint, alij pallidi, alij rubri. Nec deſunt olito-
res, qui maiorem adhuc gratiam cum palato inituri ſemina ipſorum, qua pullu-
lare ſolent, non nihil diſciſſa, aqua ſaccharo imbuta, addita etiam roſacea per
horas circiter quattuor infundant, ſiccataque deinde ſerant. ſunt etiam qui, vt
melones naſcantur ſtomacho gratiores, aquæ illi modicum addant cinnamomi,
atque etiam moſchi, ſi cuius fortaſſe olfactus illo odore in cibis delectetur. Eo
autem maior omnibus gratia eſt, quod cum gratiores eſſe cęperunt, idque vix
bimeſtri ęſtatis ſpatio, tunc deſinunt. Imo licet in Hiſpaniola noui orbis inſula,
ſeminibus illuc ex Hiſpania deuectis toto anno perdurent, quippe qui ſati, mē-
C ſis curriculo plus minus prodeunt, & apti ad comedendum fieri ſcribantur ea
quandoque magnitudine, vt ab vno homine geſtari vnus ex illis vix queat, tunc
tamen ſuauiores ſunt cum ſtatum eſt illorum tempus.

Sunt igitur noſtrates melones, veterum *melopepones*, ijdemque fructus olera-
cei, cartilagine obducti, in terra iacentes, humani capitis magnitudinem ſæpe
æquantes, aliquando ſuperantes, rotundi, oblongique, corticis colore modo ci-
nerei, modo viridis, aliquando ſubluteí, plerumq; albi; A vertice ad pediculum
extuberantibus zonis ſtriati: quorum duo ſunt potiſſimum genera; alterū quos
propriè *melones* vocamus, flauo, rufeſcenteq; intus colore, atque etiam ſubal-
bo; alterum quas Veneti *peponas*, nos *Scotias* appellamus, herbaceo intus, ac po-
D tius ſubalbido omnes colore, zonis non admodum prominentibus; ſapore ta-
men omnes ſubdulci ac ſapido, odore fragranti, & periucundo, quo recreari ſpi
ritus facilè poſſint. Illi autem meliores creduntur, & cæteris præſtare, qui craſ-
ſiore pediculo ſunt, & pondere grauiores, & odore iucundiores; quique manu
icti reſonant propterea, quod minus humidi habeantur.

De primis autem melonum qualitatibus, non vnum ſentire recentiores Me-
dici videntur. Recentiores appello, vt incertam quæſtionem, ſi veteres appel-
lem, penes quos non ita neq; in vſu, neq; cogniti fuiſſe dicūtur, vitemus. Pleriq;
.n. ſcripſerūt vt Cardan. l. 2. de ſanit. tuend. c. 38. immodice frigidos eſſe atq; hu
midos, ſed hi dū Galenū nugacitatis repræhendunt, qui omnino vt ipſi putāt in

certũ reliquerit qui ſit pepon, aut melopepon, nihil aliud dicunt; niſi, mutatis A
nominibus, quod Galen. ait; Quæ. n. Gal. peponi adſcribit, hi melopeponi ſuo attribuunt; Quæ Galenus melopeponi, hi meloni noſtrati: Quaſi velint, ignoraſſe Galenum melones noſtros, cum tamen ſi melopeponibus ſuis iſti adſcribunt, quæ Galenus ſuis Peponibus attribuit, docere non poſſint, quid eſſent Galeno melopepones: res tamen ipſa docet, melones noſtros eſſe Galeni melo pepones, vti dicemus. Verum videntur hi ab Auicenna ſumpſiſſe qui ſcripſit, l. 2. trac. 2. c. 92. *Batecham* ſuam frigidã eſſe in principio ſecundi, & humidam in fine eius. Nã ſi quid ex eius dictis elici a nobis potuit, quamquã *Batecham* interpretentur eſſe nomen cõmune ad omnes ſpecies melonum, & anguriarũ vt An B
dreas Alpag. in Araba nomi interpret. tamen videtur *Batecham* accepiſſe, nõ pro melone, vt anciquus habet interpres, ſed pro pepone Galeni, melonem autem pro ipſius melopepone: Nam vniuerſam peponum naturam Galenus ait eſſe frigidiorem, cum humiditate copioſa. Imo cum melopeponem, qui noſtrũ melonem refert, & *Melo* ab Auicenna dicitur, minus eſſe humidũ aſſerat, quod & ibidem de melone confirmat Auicenna, profecto tenendum eſt, melonẽ noſtrum nequaquam eſſe immodice frigidum, atque humidum: Quod & ipſa dictat ratio, ſi quidem, dulcia quæ ſunt, & ſubſtantia natura ſolidiore, ea minus frigida, atque humida eſſe dicamus neceſſe eſt. Ex calore enim naſci dulcedinem ſcribit Galenus, 4. de ſimp. med. facul. cap. 7. & ea ratione probat, quia ſi fructus C
cum initio acerbi fuerint, tempore matureſcentes dulceſcunt, ſequitur ex calore illis prouenire dulcedinem, quæ eo magis vera ſunt, cum dulcedo nequaquam inſulſa, & fatua eſt ſed ſapida. De humiditate idem dicamus, melonis enim ſubſtantia ſolidior, & conſiſtentia durior nequaquam diffluens, vt eſt anguriarum taliſque naturalis, nobis perſuadent eam temperatam eſſe, aut certe minus humidam, quam peponum, vt idem dicebat Galenus. 2. de alim. facul. c. de melopepon. Itaque Raſis ſcribebat eos eſſe calidos, & humidos, nos autẽ, quia hæ qualitates non excedunt, temperatos dixerimus: frigidiuſculos tamen, quia dulcedo non eſt admodum intenſa, vt docet Galenus 4. de ſimpl. med. facult. cap. 7. Aetius 6. lib. 1. c. proprio de pepone ſolum verba facit, nihil de melone loquitur, forte quia aut non nouit, aut cum pepone, quod non minimi erroris eſſet, cõ D
fundi. Itaque non eſt mirandum, ſi aſſerat, dominari in ipſis humidam, ac frigidã intemperiem, eſſeque ſecundi ordinis in vtraque, & ſi quis non ab eius eſu boni ſucci edulium ingerat, omnino vomitum ciere; Quod noſtris melopeponibus minime conuenit: ſed forte neque etiam peponibus ſeu Angurijs, noſtra ætate excellenti mangonio dulcioribus, rubicundioribuſque & minus ſtomacho noxijs redditis.

Atque hinc de ſecundis, cæteriſque melopeponum noſtrorum qualitatibus iudicium facere licuerit, nã quod aliqui ſcribunt, vt Alexa. Petron. lib. 3. de vict. Rom. cap. 6. facile eos putreſcere, & veloci ſua putrefactione in ſtomacho, & in venis corpus noſtrum grauiter offendere, quia naturæ nimis infenſi fiunt, id ab ipſorum met ſententia; qui coctionem in ſtomacho putant eſſe putrefactionem

A nem vt lib. 1. de morb. Gallico longiſſime abeſt Et licet aſſerant lib. 3. cap 8. de
vict. Rom. nequaquam verum eſſe, quod dicitur, quia facile corrumpuntur, faci
lè concoqui, ſed contra, vbi facilè concoquuntur, facile corrumpi; tamen quia
cur hoc ſequatur, illud vero nō, minime docent, cum par videatur eſſe vtrobiq;
ratio, omnino id quod de melonibus ſcribunt, aduerſus ſuam ipſorum ſententiā
eſſe fatendum eſt. Præterquam quod à ratione per ea, quæ diximus, & dicemus
videtur eſſe alienum: quod enim calidum, & humidum eſt, vt extra corpus fa-
cilè putreſcit, nullo coercitum innato calore ob humiditatem, ita in corpore fa-
cilius concoquitur; dum copia non ſuperet. quia habet cum ſanguine ſymbolū,
nec calori innato concoquenti reſiſtit; Innatum autē dico non melonū ſed am-
bientis ſtomachi. Quod vero humidiores illos eſſe probet Gal. li. de ſuc. bon. &
B prau. c. 5. ob id quia ſiccari nō poſſunt, id ſuo tēpore verū eſſe potuit, quo prius
quam ſicceſcerent, putreſcebant, cum nulla eſſet adhuc circa illos artis olitoriæ
induſtria: noſtro tempore verum non eſt, præſertim ſi in tenuiores partes diui-
dantur, quomodo etiam ſeruantur in hyeme. Et idcirco dicebat Galenus lib.
2. de alim. facul cap. de melopep. melopepones ſuos non adeo celeriter, vt pe-
pones corrumpi in ſtomacho, multo igitur minus noſtri corrumpentur, qui ſa-
pidiores, & natura duriores redditi ſunt.

Quia vero abſtergunt, idcirco per aluum facilè ſecedunt, quamobrem neque
vomitum, vt pepones, excitant; imo cum noſtri odorati ſint, & ob id palato, &
ſtomacho ſuaues, quia ſapidi, dulceſque ſunt, 2. Aph. 38. *paulo autem deterior ſed*
C *ſuauior cibus, & potus, meliori quidem, ſed inſuauiori eſt præferendus*, quia lingua ijs
potiſſimum delectatur ſuccis, quibus ventriculus indigere videtur, ſi Galeno
credimus, Pri. de ſympt. cauſis. cap. 6. hinc fit, vt raro, nec niſi immodice hauſti,
vomitum cieant: quod experientia comprobat, etiam in ijs, qui abundè illis vti
conſueuerunt; tuncque quantitatis potius culpa, quam qualitatis fuerit: quod
non ſolis melopeponibus, ſed omnibus cibis commune eſt. Vbi enim præter na-
turam copioſior cibus ingeſtus eſt, morbum inde creari, indicat ſanatio, vt do-
cet Hippocrates. 2. Aph. 17. Cum alioqui aluum potius melopepones cieant,
magno commodo, quam vt vomitum excitent. Neque vero ſolum aluum mó-
uent, quod craſſiore ſui parte faciunt, ſed vrinam etiam, idque tenuiore. Qui-
D bus efficitur omnibus, vt obeſſe vix poſſint; ac potius contra, maximas vtilita-
tes afferant.

Intelligimus autem ſemper eos melopepones, qui optimo odore, ac ſapore
ſunt; tum enim calorem innatum dominari, & ſuum humidum bene regere ar-
gumento eſt; quod putredinem maxime cohibet: cū inſipidi, contra ſe habeant.
Eos autem abſtergere, atque ob hanc cauſam ſtomachum a prauis humoribus
purgare aliqua ex parte, argumēto eſſe poſſunt ſmegmata, quæ, vt ſcribit Dio-
ſcorides lib. 2. c. 128. quamquam id de peponibus aſſerat, ſed melopeponibus
etiam conuenit, imo magis, ſi Auicennæ credimus lib. 2 tract. 2. c. 92. illis con-
uenit; ex eorum ſucco, cum ſemine, adiecta farina, ſiccatoque in ſole conficiun-
tur: faciem enim repurgant, & nitorem afferunt. Experientiaque ipſa conſtat,

obſitam

obſitam fędore cutẽ mundare, vitiligines,lentigines,& vitia indita faciei emendare,quod & Aetius tradit loco citato. Atque hinc forte eſt, quod aiunt, & re ipſa comprobatum aſſerunt,fruſtulum melonis in olla poſitum, in qua caro coquitur,eius citius perficere coctionem. A

Et cum multa dubitari in eorum vſu ſoleant,primum illud fuerit, an præſtet eis ſolis vti,An, quod plerique faciunt,ſale eos,aut ſalſamentis condire, vel cũ caſeo vetere comedere. Ego verò vtrumque probo; Sal enim, & ſalſamenta cũ irritent,ac ſiccent,putredini,ſi quod fortaſſe imminet periculum, reſiſtunt, & aluum incitant.Ita ſalem lacti admiſceri,ne in ventriculo corrumpatur,& citius deorſum tendat,nec in caſeum cogatur,ſcribit Galenus lib.3.de alim.facul. ca. 15.Idem de caſeo dixerim,qui cum per ſe aluum ſiſtat,vt docet Hippocr. lib.2. de Diæta, & flatum moueat, tamen cum melonibus ſumptus, non tamen affatim,ſed parce,& condimenti potius loco quam cibi, quod idem de ſalſamentis dictum volo;aluum ciet, & flatus diſcutit, quia deſcendere velocius melones è ventriculo,ob eam,quam in ſale dixi,cauſam, cum ipſis commixtus facit. Cum enim caſeus toti humanæ naturæ contrarius non ſit, illius differentiam accipere neceſſe eſt;tum a naturis eorum,qui illo vtuntur, tum ab ijs, quæ in corpore inſunt,caſeo contraria,vt docet libro de Veteri medicina Hippocrates. B

A melonum autem eſu, an ſtatim bibendum ſit, non minus dubitatur,ob varias,atque inter ſe contrarias Medicorum ſententias. Tradiderunt aliqui Alex. Petron.lib.3.de vict.Rom.cap.6. Auicennam lib.pri.tex.3.doct. 2.cap.7.forte ſecuti,ſæpe numero eſſe inutile poſt eos ſtatim bibere, non raro noxium. Rationem horum eſſe eam puto, quam in fugacibus exhibent: Inutile eſſe quãdo ipſi ſuo humido ſitim extinguunt; noxium vero, vbi ſitim augent; putreſcere namque anticipantes ſitire faciunt: præterquam quod eorum ſuccum,vitio ſolum proprio male affectum,in corpus totum potus diſtribuit. Quæ me rationes nihil mouent,dum melones cum pane,& caſeo, aut ſale, ſalitiſve comeduntur, a quibus,non autem a putredine,quæ nulla eſt,ſitis conciliatur. Quæ ſitis cum neceſſitatem afferat bibendi, omnino bibendum eſſe a melonum eſu, cenſeo: Neque timendum eſt,eorum ſuccum in totum corpus ob id diſtribui, quia potus ille vnico factus ciatho, ad quatuor,quinqueve circiter vncias, atque idcirco nequaquam ſupra modum copioſus, aut multus, educere ſtatim è ventriculo melones non poteſt, vt neque omnino potus, poſt alios primæ menſæ cibos, ſed potius ſiccitatem corriget, & eas tandem præbebit vtilitatis quas potus inter comedendum præbere conſueuit: Eę autem ſunt ne humor coctioni, quæ elixatio eſt,deſit,& vt ſitim, ſiccitatemque nimiam temperet,vt docet Ariſtoteles 22. Probl. 6. Qui enim bibendum eſſe in menſa aiunt quemadmodum Conciliator differen.118.vt cibi in ventriculo magis permiſceantur, ij profectò falluntur: ſi quidem nulla eſt ibi ciborum inter ſe permixtio, alioqui quod tam accurate ab Hippocrate,Galeno,& tandem ab omnibus medicis, de ordine in cibis ſeruando traditum eſt,fruſtra doceretur cum permixtio omnem ordinem tolleret. C D

Sed

A Sed vtrum aqua potanda ſit poſt melones, an vinum? Qui aquam aiunt, in
quibus fuit Auicenna, lib. pri. fen. 3. c. 8. & qui illum ſequũtur, vt Cardanus lib.
2. de ſanit. tuend c. 38. ij timent ne prauus illorum ſuccus facilius ac citius a vi-
no deferatur in venas, deuehaturque ad cor. Sed cum hunc illis metum, ex his,
quæ modo ſupra diximus, detraxerimus; præterquam quod aquam nonnulli
magis penetrare, ex Ariſtot. 5. Probl. 30. exiſtimãt, reliquum eſt, vt affirmemus,
vinum eſſe poſt melones bibendum; quod ipſam etiam naturam quodammodo
docuiſſe videtur, quæ poſt melones vini guſtum ſuauiorem reddidit; præterquã
quod minus quam aqua, putreſcere illos vinum permittit & calorem ventricu-
li, vt celerius concoquantur, iuuat, & dum flatus impedit, minus excitatur vomi
tus, ſi tamen excitari a melonibus vomitum, verum eſt: nã cum quotidie ab om-
B nibus paſſim comedantur, nihil vſquam tale experientia oſtendit, & ſi, ne in ve-
nenum, eorum vertatur ſuccus, quod ſcribunt metuunt, vinum, veneni, quod rẽ
frigerando necat, aut ſtomachum in vomitiones effundit, vim edomare Dioſco
rides, lib. 5. cap. 7. & alij teſtes ſunt. Cuiuſmodi autem eſſe vinum debeat; Ego
certè nimium potens minime probauerim, perinde ac calidius, quodque magis
vi ſua, in caput, ac venas irruat. Ariſtoteles 22. Probl. 8. viſus eſt aquam, & vinũ
concedere, ſed hoc ex illis vnum eſt, quod me adducit, vt credam, ea Problema-
ta potius Theophraſti eſſe, quã Ariſtotelis, quem tamen Problemata ſcripſiſſe,
ex ijs, quæ in Meteoris, lib. 2. ſumma. 2. c. 3. de ventorum numero. 8. & libris de
Generatione animalium lib. 4. cap. 7. ſcripſit, ſatis patet, eaque cum interierint,
C hæc in illorum locum ſuppoſita fuiſſe facile eſt.

An vero qui frigidiore ventriculo ſunt, poſſint melonibus vti, puto eſſe di-
ſtinguendum: Nam ſi totus etiam corporis habitus frigidior fuerit, ab illis abſti
nendum cenſeo, quia cum inſit in huiuſmodi habitu imbecillus calor, crudiorẽ
ſuccum parient, & ea afferent incommoda, quæ oriri a talibus ſuccis ſolent. Sin
calidiore iecore, & renibus ſint, a quibus calor ventriculi, vt a maiori flãma mi-
nor, diſtrahitur eos melonibus vti poſſe, ac potius debere puto, quia tempera-
bitur earum partium feruor, & minus ob id ventriculi calor abſumetur: Parcius
tamen illis vtendum fore, imbecilla ventriculi vis perſuadet. Qui calidiore ſunt,
illis largius, atque vtilius vti poterunt, atque ita etiam conſulente Galeno ſuc.
D bonit. & vitio cap. 13. debebunt, præſertim cum celeriter è ventriculo delaben-
tes, ſecum bilem, ſi quę ibidem fuerit, ſubducent. Diocles Caryſtius, cui prima
poſt Hippocratem in medicina laus eſt, cordi illos mirum in modum prodeſſe,
vt plerique ſcribunt tradit: melopepones, vt puto, intelligens, neque enim tan
ta tum erat apud eos, vt neque apud Dioſcoridem, inter pepones, & melopepo-
nes diſtinctio. Quæ multo magis meloni noſtro, longe ſuauiori, odoratiorique
conuenire, dicendum eſt. Atque hinc fortaſſe eſt, quod in documento de
puero epileptico, Galenus, ſi is auctor eſt, cum iubeat eum puerum a ma-
lis, & pyris abſtinere, & tandem ab eſculẽtis quæ pituitam generant, frigidoſvę
aut craſſos humores, prauoſque ſuccos, aut flatus pariunt, permittit tamen pe-
pones cucumerinos, quos nihil aliud eſſe quam melones noſtros, ex ijs quæ ſu-

pra diximus,ſatis conſtat: qui autem tales non ſunt, prauos eſſe ait. Cur autem A
eos concedat hanc etiam affert cauſam,quia ſine moleſtia deſcendunt, & facilè
concoquuntur: Cum ea,quæ talia non ſunt, & ſua, & aliorum etiam eſculentorum excrementa retinere conſueſcant.

Quod verò poſt illos cibi genus comedendum ſit, imo an aliquid comedendum ſit,ſed ſolis ipſis vtendũ,non conuenit inter medicos. Alij ſolos comedendos eſſe putant,nullo alio ſuper ingeſto cibo, veriti, ne quod reliquum cibi ſuper datur,ab eis corrumpatur,& dum vomitum cient,flatuſque excitant, maiorem impetum, & periculoſiorem vomitum moueant. Sed vindicat eos ab hoc metu,illorum ſubſtantia minus corruptioni obnoxia minuſque vomitum ciẽs, vt docuit Galenus loco citato. Qui vero leuiores cibos poſt melones edendos putant, vt Cardan. loc. cit. ideo putant, quod exiſtiment pernitioſas febres illos gignere cum exanthematibus, alioſque exitiales morbos, ſi ouis, aut carnibus,aut vino genoroſo,aut piſcibus,aut farciminibus aſſocientur. At ſi cum panis modico,inquiunt,quis eos ſumat, ſitque panis leuis, potus aqua, vino leui conſperſa, maximè albo, vicem perſæpe medicamẽti ſubeunt: ſicuti etiã ſi poſt eorum aſſumptionem aliquod melioris ſucci edulium ingeratur, vt puta iuſculum,quo malitia peponum retundatur. Sed hi, aduerſam ſibi omnium ferè hominum conſuetudinem,quæ eſt altera natura, & experientiam,quæ rerum magiſtra eſt,habent. Nam quotannis dum melones homines comedunt, pauciſſimi,& neſcio an rectius dicam, nemo huiuſmodi percipit incommodum, quod in melonum vſum niſi alia acceſſerint in ratione victus errata,referri,aut poſſit, C
aut debeat,licet multum deinde cibi,ac grauioris edat: Ac potius cum melones nullo cibi,aut leui pondere preſſi,diutius in ſtomacho morẽtur, facilius poſſint putreſcere,& in ſublime per vomitum tolli,ſin contra aliquo graui alimento,vt carne,paneque multo deorſum impellantur,breuiorem in corpore moram trahentes,ad excretionum vias celerius demittuntur. Quo circa ſum in eorum ſententia,in quibus eſt Auicenna lib. 1.fen.3.tract. 2. cap. 7. non quidem vt poſtquam melones quis comederit,incedat,imitatus,vt puto,Galenũ lib. 2.de alim. facult.c.31.qui ſumptis prima menſa prunis, temporis aliquid interponere conſulit,non autem ſtatim poſt prandere, quia id a Galeno fit ad aluum ciendam, & loco potius medicamenti,quod quo ſincerius eſt,eo efficacius,quam cibi: Et D
ſcrupuloſius id etiam fortaſſe,cũ cibus ſtatim adhibitus,iuuet leuium huiuſmodi medicamentorum actionem,quod exemplo Proræ Rhetoris, qui nullum interponebat ſpacium,a Galeno lib. 2.de alim. facult. cap. 22. adducti poteſt comprobari: ſed exiſtimo vt ſumptis melonibus, & potu ſi ſitis eſt, ſtatim comedatur aliquid, ad hoc vt labantur,nempe carnes, aut quidpiã aliud ſubſtantiæ grauioris vt pondere ſuo melonum pulpam,deorſum præmendo compingat.

Quamquam autem ex his, quæ diximus ſatis patere poſſit, melones eſſe prima menſa cum cibis comedendos,quod putamus ab Hippocrate lib. 3. de Diæta non diſſidere cum ſcribit de pomis,ſi quis illis vtens, cum cibis vtatur, minime peccaturum, ſunt tamen qui illos etiam poſt cibos ſumma menſa comedãt,

ea ducti

A ea ducti ratione,quia vitiatus eorum ſuccus, a venis, vtpotè priore nutrimento refertis,non attrahitur,& forte citius protrudẽs, ob ſuam corruptionem, quod ex alimentis per aluum excerni debet,famem ipſam,vbi rurſus comedendi tempus eſt,inuitat: Quod & de omnibus fugacibus tradunt, Petron. libr. 3.cap. 5. de victu Rom. ſed tanti periculi plena hæc res eſt, vt omnino præſtet abſtinere: Nam dicebat Galenus libr.2.de alim. facult. cap. 10. huiuſmodi, quæ ſubduci facile queunt,ante alios cibos eſſe ſumenda,ita enim citius ſubduci,& alijs cibis viam munire: propterea comedentes perſica poſt alios cibos, arguebat, affirmauitque lib. de ſucc. bon. & prau. capit. 13. omnino melopepones prima menſa eſſe ſumendos, etiam ex niue,prout cuiuſque conſuetudo fert,refrigeratos.

B Dicamus igitur, melones, calidiori iecori, atque etiam renibus prodeſſe, eaſque partes abſtergere,arenularumque ob id & calculi generationem præcauere, vrinam ciere, neque ſolum pulpa, ſed etiam id multo magis ſemine efficere,appetitum excitare,æſtiui caloris incommoda mulcere,lubricam aluũ, quia vim habent detergendi, facere. Quod ſi ex toto melone, id autem eſt, nec ſemine, nec cortice detractis, & in minuta fruſtula inciſo, ſtillatitius, calentis aquæ balneo, humor trahatur, præterquam quod ſuauis admodum ille eſt guſtui,& cutis nitorem,ſi eo abluatur,conciliat, quas diximus, iecori, renibuſque vtilitates mirificè præſtat.

Nequaquam autem ab re fuerit huc adducere,quę Alexander Trallianus lib.

C 12.de pomaceis fructibus in febre tertiana exquiſita exhibendis differens, de peponum medulla ſcribit. *Ego ſane noui*, inquit, *me frequenter ægros, ne amplius acceſſione febris infeſtarentur, impediuiſſe, cum pepones probe refrigeratos, horas ante incurſum morbi; aſſumere iuſſiſſem,& rurſus aquam temperatam copioſam,& quantam potuerint,peponi ſuperbibere præcepiſſem. Secutus itaque eſt, non multo poſt aquã epotam,aliquibus ſudor, alijs copioſa bilis per aluum. Offendi autem ego pleroſque Romæ medicos, qui ne nomen quidem Peponum, tanquam bilem procreantium, proferre audebant: Cum itaque ego cuidam aliquando,& ſitienti vehementer,& æſtu flagranti, defatigatoque, iniunxiſſem, vt peponem aſſumeret, quidam præſens medicus exclamauit, homo cur ægrum magis vis occidere? An non didiciſti, quod pepon bilem pro-*

D *ducat? lege Galenum de alimentis, vbi dicit manifeſto, peponem comeſtum cholericos efficere. Laboraui igitur ego non parum, vt ijs perſuaderem, qui intellectu aſſequi poterant, Galenum non dicere hic, pepones bilem creare, ſed choleram efficere: Choleram autem vocabant ſtomachi ſubuerſionem cum vomitu, & ſubuerſione ventris, ac cholericos, quibus hæc accidunt. Nam pepon reuera habet aliud ſtomacho contrarium, quare etiam copioſior comeſtus, vomitum, ventris perturbationem, & præterea perfrictionem,ac totius corporis conuulſiones excitat: Ac melopepon nihil horum facere cenſetur, non enim habet adeo, quod ſtomacho aduerſetur, imo neque pepon modice comeſtus. Proinde tertiana febre detentis cum fiducia dari debet,nec non ijs, qui cauſo,& calida intemperie laborant, ſiue in renibus, ſiue in iecore, vel in ſtomacho, vel capite; nihil enim eiuſmodi intemperiebus aduerſari poteſt debellare, & euincere, vt pepon,*

aut qui

aut qui dicitur melopepon. Quomodo enim ea quę refrigerant, & humectant, bilem parere poſſint, non video. Vbi autem peponum facultas tibi deeſt, etiam cauliculi lactucarum refrigerant, & cucurbita, item cucumerum medulla, ſubſtitui poſſunt. Hæc ibi Trallianus. A

Neque tamen negandum eſt, ſi copioſus nimis atque inordinatus melonum vſus eſt, copiam autem nimiam, ipſa docebit; quæ in tuenda valitudine plurimũ poſſunt, cuiuſque conſuetudo atque experientia; quin flatus pariant, vomitumque, & dolores, & cetera, quę ex cruditate, ac flatibus oriuntur, incommoda, excitent: ijs præſertim, qui aluo ſunt ſtrictiore. Quod vero, plerique recentiores medici tradiderunt vt Cardan. libr. 4. de ſanit. tuend. cap. 32. Auicenna lib. 2. tract. 2. cap. 569. faciant ad podagram procurandam, non ſolum quia humor ille ſeroſus decurrat facilè ad articulos, ſed quod proueh at humores ſecum per ſpatia arcta, vt podagræ cauſam afferant, id ſi ita eſſe concedamus, nimio illorum, vt multorum aliorum cibariorum vſui, vt de pomis 3. lib. 3. fen. 22. tract. 2. capit. 23. aſſerit, fuerit adſcribendum; cum alioqui melones moderate ſumpti, iuuare poſſint, dum lubricam aluum ſeruant, & quod tamen non faciunt poma, vrinam prouocant. Atque hinc eſt quod recentiores aliqui medici, vt Horatius Augenius de præcau. peſt. lib. 2. cap. de fructibus etiam tempore peſtilentiæ, ab illis in ea præcauenda nequaquam omnino abhorreant. Idem dixerim ijs, qui Paulum Secundum Pont Max. cum duos melones comediſſet, ſtatim concidiſſe aiunt tuenda ex attonito morbo & extinctum fuiſſe: vt Thomæ Philologo & Cardano lib. ſecundo, cap. 38. Nam qui eo tempore vixit, eiuſq; deſcripſit vitam, atque obitum, Platina, nequaquam ſtatim concidiſſe ait, ſed nocte inſequenti, aſſeritque eius cauſam mortis exiſtimare ſe, quod plurimum bibere conſueſſet, & non ſolum melonibus; ſed gammaris, paſtillis, piſcibus, & ſalitis carnibus oblectaretur, & cum varia ſibi epularum genera apponi iuberet, peioribus ſemper vteretur. B C

Cur autem melones, cum dulces ſint, & dulcia ſoleant vini ſaporem obſcurare, ac potius peruertere, ipſi tamen vinum ſapidius percipi ſinant; iucunda, ſed non admodum adhuc, vt mihi quidem videtur, ſatis explicata quæſtio eſt. Dixerunt nonnulli, vt Alex. Petron. lib. 3. de Vict. Rom c 6. id eſſe quia linguá attingentes, dum labili ſua ſubſtantia, in eam non admodum imprimuntur, eandem ferè abſtergunt, integramque guſtui relinquunt. Sed erat mea ſententia, declarandum, cur, cum ſaccharum, gratia exempli, ipſum quoque abſtergat, & magis abſtergat, quam melones, & in iure, aliove etiam abſtergẽte liquore diſſolutum, & potatum habili ſua ſubſtantia minus imprimatur, quam melones, qui diutius manduntur, tamen non idem efficiat, atque ita de pleriſque alijs dulcibus. Imo cum tenuiori ſua ſubſtantia melones vrinam ciere dicantur, quod non facit ſaccharum, magis eos imprimere, veriſimile eſt: præterquam quod & ſi in ore adhuc, & in lingua ſint, melones, ſuauem tamen vini ſaporem ſeruant. Non eſt igitur quia ſubſtantia habili ſint, nec admodum imprimant; Itaque id non propria ratione linguæ, aut guſtus fieri cenſeo, ſed potius ratione ſaporis: D

eſt enim

A eſt enim inter dulcia ipſa diuerſitas. Quia igitur melonum dulcedo habet neſciō quid ſapidi, id autem eſt, nitroſi, & ob id ſalſi, ſi Galeno credimus ex Platone ſcribenti, lib. pri. de ſimpl. medic. facult. cap. 35. vini ſaporem quodammodo purgat atque acuit, & idcirco ſuauem, & vt ita dicam, ſapidum reddit, & ob id vinum, quamquam non ita ſuaue, ſuauius tamen poſt melones videtur, quod inſuauius videretur, ſi a guſtu integro id eſſet. Atque huius rei gratia, veteres, aqua marina, aut ſale vina condire ſolitos non ignoramus, etiam ſi minus ſanitati conducerent, & integra ſuapte ſponte ſeruarentur, nam id Plinius innuit lib. 14. cap. 7. cum Epheſium vinum ſalubre non eſſe ſcribit, quoniam mari, & defruto condiatur. Lesbium autem ab Eraſiſtrato, qui par Hippocrati a pleriſque, vt aſſerit Galenus de venæſect. aduerſus Eraſiſt. cap. 4. habitus
B fuit, maxime celebratum, quia natura marinum ſaperet. Et hanc ob rem qui inſipidi ſunt melones, & minus nitroſi, ij minus iucundum vini ſaporem reddunt: quod & ijs contingit; qui licet ſapidi ſint, superueniente tamen, antequam colligantur, largo imbri diluuntur. In horum autem, vt & in aliorum ciborum vſu, experientia, & conſuetudo conſulenda cuique eſt, obſeruandumque, & ſeruandum, quod in ipſo operis ſui initio conſulit Celſus, lib. pri. cap. pri. ſanum hominem, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debere, nec vllum cibi genus fugere, quo populus vtatur.

HIERO-

HIERONYMO RVBEO RAVENNATI Medico Excellentiſſimo.

Sebaſtianus Iazzius Interamnen. S. P. D.

DOcta ſanè, atque elegans tua iſthæc diſputatio Vir eruditiſſime, plena ſalis, atque leporis, & æſtiuis hiſce caloribus opportuna; & Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino pergrata, mihique admodum iucunda fuit. Primum enim de melonum nominibus mira eruditione diſſeris, ipſorum etiam naturam diligentiſſime perquiris, ac differentias perſequitur, tum quas humanis corporis afferunt vtilitates, aut noxas accurate B grauiterque diiudicas, modum denique demonſtras, quo fieri poſſint vſui ſaluberrimi. Nihil igitur videtur aliud ſupereſſe, niſi vt tuam eloquentiã plena manu in cœlum vſque tollamus, admiremur ingenium, atque doctrinam, teque ipſum (quod præmium virtutis eſt proprium) honore digniſs. conſectemur. Vale iucundiſſime ſenex, & Deus immortalis diu ſuperſtitem te nobis conſeruet. Precor tamen audias libenter, quæ infra exercitationis cauſa ſubiici.

Cucumis nomen, ais, fuiſſe a latinis acceptum, perinde ac genus continens in ſe peponem melopeponem, & citrulum, hodie propriè *Cucumerem* vocatũ dici, & aſſentiris Plinio, cucumeres, vbi magnitudine excedunt, vocari pepones, ex quorum ſemine melopepones ortos: primumque nouam ipſorum formam C in Campania proueniſſe, mali cotonei effigie, forteque ita natum primo vnum ais, quaſi putes res naturales fortuito accidere, quod ab omni philoſophia alienum videtur, mox ſemine ex illo genus factũ, melopepones vocari, noſtros inquã melones. Mirabile opus mea quidem ſententia, & metamorphoſis non credibilis, ac priſcis etiam temporibus inaudita, quæroq; ob id abs te Vir eruditiſſime, cur in Campania ſolum id factum putes? cur illo tempore, nõ autem prius? ſi aderat virtus in ſemine latens (vt aderat proculdubio & neceſſario concedendum eſt, alioquin non potuiſſet quidquam gigni) quid illi impedimento fuit, ne prius erumperet, in lucemque prodiret? qui fieri potuit, vt a cucumere grãdiore facto, ſpecie, colore, ſapore, figura, ſubſtantia, temperamento, ac facultatibus diſpare, potuerint, vel natura, vel arte vlla gigni melones, ſi verum eſt, quod ſimile generatur a ſimili cum actu, tum poteſtate? cultura enim conſtat fruges, D fructuſq; omnes ſapidiores fieri, ac meliores, non tamen tranſire de ſpecie in ſpeciem: etenim facilius eſſet melopepone corrupto gigni cucumeres, tamquam ex nobiliore imperfectius, quam contra ex cucumere melones. Veluti accidere videmus in frugibus, quæ degenerant in alienam ac inferiorem ſpeciem deficiente cultura, vel largioribus imbribus generoſiorũ ſeminũ extincta virtute, quæ corruptio potius nominatur, ſicuti de frumento in lolium, inque zeã conuerſó, ac tranſmutato nõ raro dicendũ eſt, humida exiſtente anni cõſtitutione cõpertum eſt. Quod eleganter videtur cecin iſſe Virg. hiſce carminibus lib. Georg. 1.

Semina

A *Semina vidi equidem multos medicare ferentes,*
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca,
Grandior vt fœtus ſiliquis fallacibus eſſet:
Et quamuis igni exiguo properata maderent,
Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore
Degenerare tamen, ni uis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret: ſic omnia fatis
In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.

Idem ferè videmus accidere in animalibus, non enim ex equo generatur homo, non ex aſino equus, ſed ab vtroque ſimilis ſpecie, & ex vtriſque commixtis mulus, qui rectam, veramque ſpeciem non conſtituit, ſed eſt veluti corruptio B quædam ſeminum, atq; animal generationi minime idoneũ, ceu vermes ex corrupto homine natos, & mures ex putreſcente materia ortos, pari ratione nec ex cucumere fructu ignobiliore credendum eſt protuiſſe gigni melones, ex terræ fructibus nulli ſecundos, non enim ad omne temperamẽtum, quæuis forma ſequitur, nec ad quamuis materiam ſecundis qualitatibus inſignitam.

Sed eſto, factum ſit, vt dixiſti, dedecet naturæ maieſtatem primum adeo nobile ſua initia ab ipſo mundi primordio non habuiſſe, ſed ad mundi ornatum, integritatemq; defuiſſe. Quęres cur oportuerit naſcenti mũdo melones adeſſe? ſane ad hominum vtilitatem, conducit enim ad multa, vt optimè diſſeruiſti, facultates ipſorum enumerans. Vt hæc igitur euitemus incõmoda, non propterea C negandum eſt melones fuiſſe a primo rerum exortu, quod ſuperiorum temporũ antiquitas nullam de ijs mentionem fecerit; vide Hip. lib. 2. de dieta, de cucumeris, & peponum facultatibus differentem; poterit enim id eorum incuriæ aſcribi, vel frugalitati potius, qui contenti ſolummodo ijs, quę natura inculta ſponte producebat, meliora non quærentes, illis fuerint vſi, ſed agreſtibus, nec melonũ nomine appellarint: cultura deinde meliores, iucundioreſq; effecti, a dulcidine, mellis ſaporem repræſentãte, melonũ nomine fuerint inſigniti, licet ignoretur, quis primus culturæ fuerit auctor. Sed fortaſſe dices hos nõ eſſe nouam inter fructus ſpeciem vel quoddam ex diuerſis tertium, ab vna fructuum ſpecie agricolarum artificio manans, atq; erumpens. Quod falſum videtur, cum ſeminũ vir D tutes non ab arte, ſed a cœlo pendeant, facultateſque ipſorum elemento ſtellarum reſpondeant; propterea nec a ſemine cucumeris grandioris arte effecti, nec cucurbitæ, nec citruli, neque aliorum quoruncumque fructuum melones manaſſe, nec oriri poſſe crediderim, etiam ſi millies periculum feceris. fuiſſe igitur melones a prima & ineunte mundi ætate, credere par eſt; ſed aut eos ignoraſſe priſcos illos viros paucis contentos, aut illos comediſſe antiquo, & alio iam dudum antea recepto nomine.

Inſuper illud, quod de citrijs aſſeris, vt tuam de melonibus citruliſq; ſententiam confirmes, non videtur probandum, cum enim illa vnius generis eſſe contendas (ſatius mea quidem ſententia dixiſſes ſpeciei, nam ipſorum genus malũ eſt) pluribus alijs ad inuicem ſpecie differentibus commune, in varias tandem,

multipliceſque ſpecies, mira ſaporum admirabili artis, ac naturæ luſu fuiſſe diſtincta arbitraris, quaſi non ſit in puncto occurſura ſemper eadem dubitationis ratio, quam ſupra de melonibus retulimus; ſi enim natura eorum, quæ ſunt, & fiunt, ſemper meliora quærit, indoctamque ob id appellat Hip. ideſt a nemine doctam, arſq; illam ſemper imitari conetur, qui fieri poteſt, vt ipſa ſimul, & ars ex citrijs, quæ fœlicia mala appellat Virgilius, cæteris limonijs inquam, aurancijs, Adami pomis longe nobilioribus, grandioribus, pulchritudine, ſapore, ac redolentia præſtantioribus, cæteras has inferiores ſpecies produxerint generarint, & effecerint? dedecet enim ipſam naturam ad ignobiliora progredi generando, cum corruptionis ſit potius vt ſupra probatum eſt. Quod vero cæteris antecellant ſpeciebus, quas tu ex illis conſtituiſti, ex ijs, quę diuinus ille vates ſuis in Georg. cecinit facile erit intelligere; ait enim. A B

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
Fœlicis mali, quo non præſentius vllum,
Pocula ſi quando ſæuæ infecere Nouercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba
Auxilium venit, & membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro:
Et ſi non alium late iactaret odorem,
Laurus erat, folia haud vllis labentia ventis:
Flos apprime tenax, animas, & olentia medi
Ora fouent, illo, & ſenibus medicantur anhelis. C

Quas omnes facultates nec Aurancijs, nec Limonibus, nec Adami pomis tributas reperies, Dicendum igitur potius erit, vel ex ipſis corruptis cæteras has inferiores ſpecies eſſe genitas, vel (quod verius mihi videtur) vnamquamque ex ſuo, proprioque ſemine exorta, ingenioque tandem, atque hominum arte excultam, certis deinde temporibus, & ab hominibus comedi, inque menſarum honore haberi cœpiſſe.

D

EPIS-

A EPISTOLA MEDICA, IN QVA VARIA, EAQVE grauia ſymptomata nempe frequens ſanguinis è naribus profuſio, coryza, vẽtriculi tarda, & imperfecta coctio, arenularum multarum mictio; vrina admodum tenuis, ſpumoſa, ac fœtida, & renum, lumborum, ac totus fere corporis ingens feruiditas in Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D. Hynico Cardenas pro Catholico Rege Philippo III. apud Sereniſs. Rempub. Venetam Oratore diligenter expenduntur, atque omnium curatio affertur.

Quæſita poſſunt in ea huiuſmodi eſſe.

B I.

Cur dicat Hipp. Naturam principium eſſe artis medicæ.

II.

An, & quomodo diapedisis cum anaſtomoſi confundi poſſit.

III.

An, & quouſque ſanguis è naribus ſalubriter erumpat.

IV.

Cur calida capita; & ab externis, & ab internis cauſis facilè afficiantur.

V.

Cur rubeæ fiant arenulæ in pituitæ copia.

C VI.

Cur, & vnde lithiaſis oriatur ſuſpicio.

VII.

Cur vrinæ interdum fœteant abſque vlla putredine, ac purulentia.

Ad præclariſſimum Virum Ioannem Gomez eiuſdem Catholici Regis Medicum.

AB inclyta hac Venetorum Vrbe ad Gallorum Regem quam cito migraturus Illuſtriſs. ac Excellentiſs. D. Hynicus Cardenas, vt Catholici Regis nomine apud Chriſtianiſſimam illam Maieſtatem D Oratoris munere fungatur, iuſſit mihi, vt coram celeberrimo Viro Hieronymo Fabricio ab Aquapendente in Patauino Gymnaſio Medicinã publicè profitente, de nonnullis corporis affectibus, a quibus degere cupit immunis, diligenter agerem, vt & ſenex ille doctiſſimus ſuam in medium ſententiam afferret, qua etiam abſens vti Vir Illuſtriſs. queat. Hanc ergo prouinciam libẽtiſſimè ſuſcepi, ne illius præceptis reluctari velle viderer; multum ſane dolui, cum meum conſilium, aut epiſtolam in Hiſpaniam ab eo deferendam eſſe intellexi, vt purgatiſſimi tui iudicij cenſuræ ſubijciatur. Noui enim iampridem quæ, & quanta ſit tua in medicinæ ſtudio excellẽtia, quod nam ingenij acumen, & quæ tandem in quolibet ſcientiarum genere peritia, vt non modo in pri-

marijs Hiſpaniæ Academijs publice honorificeque medicam artem magno cũ A
audientium emolumento excolueris, verumquoque nunc ſanitati Regis, quo
non fœlicior alter, maxima tua cum laude præſis. A me autem in arte adhuc parum verſato,& volanti ferè, non ſolum currenti calamo hæc ipſa exarante, nil prorſus fateor tuis auribus dignum enaſci poteſt. Verumtamen tuæ humanitatis partes erunt cuncta æqui,bonique conſulere. Ad rem. Ordo igitur, quẽ ego in dicendo obſeruaui,huiuſmodi fuit. Primũ affectiones,de quibus anxie quæritur,mox temperamentum, deinde affectionum cauſas expoſui, poſt hæc ſelectis indicationibus,ad medica inſtrumenta me contuli. Inter affectiones primarium ſortita locum eſt quotidiana ferè ſanguinis narium excretio, quæ anteactis iuuentutis annis (nunc enim tertium ſupra quadrageſimum attingit) multo cum largior,tum frequentior erat, quam videatur in præſentia. Ad eandem B
partem ſimiliter ſpectat grauedo,aut coryza,a qua non raro deprehenditur, maximè vero cum auſtrini ſpirant vẽti; aut igni,vel ſoli caput ipſum exponit. Subſequitur huiuſmodi ſymptoma, difficilis in ventre alimenti concoctio, quã nobis indicant pondus,ſeu grauitas ab aſſumpto cibo paulo ſupra vmbilicum,quo anatomica demõnſtratione ventriculi fundus pertingit,flatuumque copia,qui per œſophagum ad os, indeque ſono edito erumpunt, quos aliquando acidos eſſe teſtatur,& deniq; iuuamen,quod vſu calidorum illico perſentit, eiuſdem ventriculi imbecillitatem demonſtrat. Rubeas arenulas copioſe mingit,lotium tamen album,tenue, cui ſpuma innatat,quæ, vrina ipſa in terram proiecta,fumo,& lateribus matulæ adhæreſcit,vt quid pingue, & glutinoſum, non abſque C
fœtore. Quamobrem de imminẽte lithiaſi magnopere timet. Demum de igneo quodam feruore cum in vniuerſo corpore,tum præſertim in renum, & lumborum regione conqueritur,a quo ipſius corporis robur, non ſecus, ac ſi febriret, plerumque elanguet. Hæc igitur ea ſunt,a quibus curari, & ſe immunem ſeruari optat Eques nobiliſſimus. Ad corporis temperaturam me transfero; quam Hip. ipſe tantifecit in morborũ cauſis,& eſſentijs adipiſcẽdis, vt in lib. de loco citato in hom *naturam corporis,principium artis medicæ* ſtatuerit,nec non etiam 4. epid. com. 4. partium omnium temperamentum ſubtilius conſiderandum monens dixerit. *Pilos, colores cutis, venas, neruos, muſculos, carnes, oſſa, medullam, cerebrum, a ſanguine viſcera, ventrem, bilem, alios humores, articulos, accuratè perpendendos.* D
Cum ergo temperatura bifariam conſiderari poſſit,nimirum, vel vt in vniuerſum corpus refertur,vel vt cum membris maximè principibus confertur, ſi priori modo ſumptum temperamentum in Excellentiſſimo Oratore conſideratur,profecto ipſe dixerim,calidioris, & humidioris ſimul eſſe temperaturæ. caliditatem enim arguit promptitudo, velocitaſque ad omnes actiones, & negocia quæque peragenda, eiuſdem ad iracundiam procliuitas, ſolertia, atque animi elatio Humiditatem verò inter alia indicat plenior vniuerſi corporis habitus, color ipſius albus cum rubicundo mixtus, morum lenitas cum hilaritate quadam,ira citò euaneſcens,& facilis,copioſa que ſudoris eruptio. Cum hac totius corporis temperie cõſentiunt principaliã membra. Cor eſſe calidum oſtẽdit illa

ad iracundiam propenſio, vehemens arteriarum pulſatio, animi magnitudo, & celer admodum in omnes animi motus delatio. Calori vero adiunctam humiditatem ſignificat pulſuum mollicies, placiditas morum, iucunditaſque, & pectus glabrum, depileue. Caput calidiori, humidiorique ſimul temperie detineri, ex eo deprehenditur quod partes illius calidæ ſentiuntur, nec raro ſudant, oculi mobiles, & viuaces, ingenium velox, & plurimum verſatile, excreméta craſſiora è naribus emuncta cum pilis planis, & ſubflauis eãdem teſtantur caliditatem humiditate adiunctam. Accedit quod a calefacientibus, humectantibuſq; offenditur non parum. Ideò, vt optimè in præſenti aquilonari cõſtitutione ſe habet, ſic mox elapſa auſtrina ei quam maxime aduerſabatur. Hepatis calida, & humida temperies, ex venarum amplitudine, carnoſo habitu, plurimoque cũ ſangui-

B ne, tum ſpermate, quibus abundat, clariſſimè pater. Quæ breuiter de temperamento dicta ſint a me, vt in cauſarum agnitionẽ facilius deueniri poſſit, & hinc facillime omnibus conſtet, quam vtilis, & quam neceſſaria ſi cognitio naturæ, ſeu temperiei principalium ſaltem partium cuiuſuis corporis male affecti, cuius ineunda ſit curatio. Quod optimè ſciens diuinus ſenex loco iam citato ſumma cum ratione ſtatuit, *initium curationis a propria cuiuſque temperatura eſſe deſumendum*. Ideò in caſu noſtro, quantum ad narium hæmorrhagiam, nemo non videt, eam ſobolẽ eſſe hepatis calidioris, & humidioris, in quo propterea ſanguis multus, & feruens producitur, qui a capite calidiori in ſublime attractus, a venulis poſtmodum in nares deſinentibus, quæ a iugularibus, & carotidibus propagan

C tur, frequentiſſime exit, olim quidem per anaſtomoſim, maioribus venis adapertis, nunc verò potius per diapedeſim, ſi tamẽ eam intelligamus, quæ, vt nos admonet Gal. 5. meth. 2. ex gracilium vaſorum oſculis reſeratis contingit. Aliquãdo enim diapedeſis iuxta hanc rationem cum anaſtomoſi confundi poteſt. Quæ ſanguinis per nares effuſio, quamuis naturæ ſuperuacaneum ſanguinem vtiliter euacuantis motum inſequi videatur, ſitque etiam num cum euphoria, neque ſanguis ipſe in ea egrediatur copia, qua vires deijciãtur, a tali nihilominus ſymptomate præcauendus Illuſtriſſimus Vir, ne dum publicè negocia pertractat, quo tempore incaleſcente capite, profluuium magis excitatur, ab eodem aggreſſus ſymptomate iam inchoatam rem deſerere cogatur, ne dicam, quod om-

D nis ſanguinis excretio, muliebri excepta, toto genere præter naturam cenſetur a Gal. 6. de cauſ. ſympt. 2. quæ ſi nunc parcior non eſſet, quam annis anteactis, dubio procul ea inde iam mala emanaſſent, quorũ meminit Gal. 6. de loc. affec. 5. & 2. aphoriſ. 22. obijciet verò aliquis, Cornelium Celſum lib. 2. cap. 7. vbi tradit, ſanguinem quibuſdam a naribus vel etiam a primis annis ex naturæ præſcripto fœliciter erumpere. Huic dicam ego, non haberi hic intentionem modice fluentem ſanguinem, & a quo grauiora mala non imminent, illico ſupprimendi, ſed illius tantummodo copiam minuendi, & feruorem contemperandi, partibus, vbi primum gignitur, & quo etiam attrahitur, ad vnguem ſi fieri poteſt percuratis. Præterea iam excedit Vir Illuſtriſs. quadrageſimum annum, vltra quem terminum abſque maiorum malorum metu hemorrhagiam cohiberi

poſſe

poſſe Auctor ille ſubiungit. Ratio autem, ob quã hodie, nec tã frequenter, nec A
tam large ſanguis profluit, nulla alia eſt, niſi ætatis declinatio, nam cũ duo ſint,
quibus natura facilè profluuium è naribus excitat, copia ſanguinis, & feruor,
vtrunque coit in iuniori ætate: Propterea enim in coac. prænot. 17. dixit Hip.
Maxime quidem iunioribus triginta quinque annis profluuia ſanguinis expectabis, ſe-
nioribus verò abſceſſus. Sæpe autem a coryza, & capitis grauitate tentatur, quia
caput eius calidum ſimul, & humidum eſt, colligẽdæ materiæ pituitoſæ, & pro-
inde etiam rheumatibus obnoxium, in auſtrina potiſſimum conſtitutione, ob
analogiam. Vnde Hip. 3. aphor. 5. *Auſter*, inquit, *auditum hebetat, caliginem vi-*
ſui obducit, caput grauat, corpori tarditatem, & languorem conciliat, in cuius aphoriſ-
mi explanatione Galenus cauſam afferens omnium, quæ de auſtro ab Hip. re-
feruntur, *quamobrem*, ait, *auſter hæc omnia efficiat, non eſt difficile ex eius tempera-* B
mento intelligere, quippe qui calida ſit, & humida naturæ; eiuſmodi enim omnia vim re-
plendi capitis obtinent. Huius generis capita non modo ab extrinſecus occurren-
tibus, ſed & intrinſecus affici conſueuere. Ab illis quidem, quia per cutis poros,
& ſuturas ipſas patentiores quamlibet aeris alteratione admittũt, ab his verò,
quia præ calore vapores omnes, & habitus a ſubiectis partibus, præſertim ab im
becilliori ventriculo ad ſe iugiter attrahunt, qui a cerebro in humiditates con-
uertuntur, quæ ad narium foramina delapſæ, coryzam vel grauedinem pariũt.
Ventriculi imbecillitatem, quam in Ciceronis vita Plutarchus, *cacoſtomachiam*
appellat, ob eiuſdem ventriculi frigidiorem intemperiem in Viro Illuſtriſſimo
naſci, quis adeo lippis oculis eſt, qui non clare cernat? Appetit enim prõptius, C
quam poſtmodum concoquat. A iuuantibus, atque nocentibus idipſum etiam
apertè conſtat: calida enim, quæ vel exterius ventriculi regioni adhibentur, vel
interius aſſumuntur, magnopere illi in alimenti elaboratione conferre quotidie
experitur. Contraxit autem hanc ipſam intemperiem ab hepate impenſe ferui-
do ventriculi ſpiritus fere abſumente, & frequenti potu aquæ gelidæ, qualis ex
niue, aut glacie parari ſolet, eoſdem enectãte, quorum quidem ſpirituum inopia
pars illa, quam ſerenus totius corporis regem nuncupat, ad propria munia ob-
eunda inepta euadens, copiam multam in dies accumulat frigidæ, pituitoſæve
materiæ, in quam exiguo calore debiliter agente, craſſiores halitus, & flatus gi-
gnuntur, qui ſuperne per os erumpentes ructus illos acidos efficiunt. Ad arenu D
las, & lotium vertere ſermonem oportet. Illæ igitur pro agente habent renum,
& partium adiacentium calorem immoderatum, pro materia verò, frigidam, &
craſſam pituitam ad loca illa a ventriculo imbecilliori delapſam, quæ quidem
exſiccata, & quaſi a calore renũ excocta in arenulas vertitur, vnde verò rubeę?
Nam Gal. in com. 6. lib. Epid. ſcripſit arenulas, & lapillos ſuo colore materiam,
ex qua gignuntur, præmonſtrare? Nam ſi rubeę ſunt, a bile, aut a ſanguine ſu-
peraſſato ortum habent, ſi verò albæ, aut citericij coloris, pituitam ſignificant.
Reſponderem hic non pituitam ſolum ad renes profluere, ſed bilem etiam, &
craſſiorem ſanguinem, a quibus deinde color ad rubeum immutatur, qui tamen
haud intenſe rubeus eſt, albæ pituitæ miſcella ſic enim videre eſt aliquando al-

A bā,& aquoſam vrinā ſubſidentiā rufam habentē, vt notat Hip. in coac. prœn. 67. Addatur, quod pituita craſſior,& lenta, non facilè in arenas vertitur, ſed potiùs in maiores lapillos ob lentorem, qui continuitatis cauſa exiſtit. Vnde arenularum generatio a materia potiùs friabili, nec multi lentoris participe emanare ſolet. Vrinę prorſus crudæ, nimirum tenues admodum, albæ,& perſpicuæ, quibus ſpuma multa innatat, quæ poſtmodum fundo, & lateribus cyathi in pinguedinis, & glutinis modum adhæreſcit, omninò viſcidæ, ac lentæ pituitæ ſoboles, dum ſcilicet lentus ille humor ab excedenti renum calore flatuoſo ſpiritu circumtenditur. An igitur rationi congrua eſt calculi veſicæ ſuſpicio? Si de imminenti ſermo ſit, & non iam facto, adhuc enim de hoc nullę nobis apparent notæ, ſumma quidem cum ratione timendum, ne tandem in Excellentiſſimo:
B Oratore ſuboriatur. Quinimò Hipp. *Quibus,* inquit, *in vrina ſubſident ſabuloſa, ijs veſica calculo laborat, aut renes etiam,* vt notat Gal. in comm. 4. aphor. 79. Et quamuis non ignorem haud perpetuò veram eſſe huiuſmodi ſententiam, cum multis in vrina ſubſideant arenoſa, in quorum veſica, aut renibus nullus vnquā genitus eſt lapillus, nihilominus, quia faciliùs in ijs concreſcit, in quibus arenulæ, ipſæ cumulantur, pręſertim ſi ob declinantem ætatem virtus expultrix infirmior euadit, eapropter Hip. ad ea, quæ vt plurimum eueniunt, more ſuo reſpiciens, iam dictam ſententiam memoriæ traditam reliquit, noſque non iniuria de futuro calculo in Viro eximio ſuſpicamur, licet alibi Hipp. verba aliter ſint explicaturus. Quę ſuſpicio indo quoque magnopere augetur, quod cum lapidis
C generatio in veſica fieri poſſit, non ſolum ab humore craſſiore ibidem a moderato etiam calore denſato, ſed etiam ab arenulis in eandem veſicam a renibus delapſis, quemadmodum præter medicos, probè etiam docuit Ariſt. 5. de hiſt. anim. cap. 15. quidquid hac in re contra Cardanum dicat Argenterius aphoriſmo iam citato libri quarti, vtraque cauſa in ſubiecto noſtro reperitur, veluti ex hucuſque allatis vnicuique patet, vt non citra rationem de imminente lithiaſi verendum eſſe putem. De fętore quid dicendum? An purulentum ſubſidet in vrina, fętor enim putredinis ſoboles? nequaquam, nam omni prorſus pure, vel ſanie carent vrinæ, quod inde clarè dignoſcitur quia in ijs quidquam non apparet, quod commota matula per vniuerſam vrinæ ſubſtantiam diſſoluatur,
D diffundaturque, ſed ſolummodo pingue, ac oleaginoſum corpus fundo, & lateribus cohæreſcens. An verò fętida potius erit vrina, quia inſigniter cruda? nam putidum expirant qui alimentum ægrè concoquunt. Propterea apud Ariſtotilem vrinæ Leonum graueolent, quia voraces cum ſint, multis abundant cruditatibus, quibus putidam mingunt vrinam. Igneus tandem feruor, quo potiſſimum lumborum regio incaleſcit, a calidiori renum intemperie ortum prorſus habet. nam renes cum iecinori proximi ſint, & cum eo communione maximè venarum, quæ emulgentes dicuntur, connexi, mirum non eſt, ſi in idem cum iecinore temperamentum conſpirant, quod etiam inde cognoſcitur, quod facilè ab immodico calore corripiuntut, & ab arenularum rubearum excretione. His in partibus extraneus accenſus calor coeterarum quoque partium vires enervare

uare potis eſt, laxans eas, vt vim natiui caloris diſſoluens. In hunc modum ſe habet ratio affectionum Illuſtriſsimi Viri. Difficulter verò ab iiſdem liberabitur, ob indicationum pugnantiam. Nam ſi hepar, & renes inſpicimus, adeò calidæ ſunt partes ambę, vt valdè refrigerantibus indigeant. at ſi ventriculi tantopere frigidi, & humidi, ſaltem quoad meatus, & cauitates habenda ratio eſt, calefacientibus, & exſiccantibus vti oportet. Idem euenit in arenularum generatione prohibenda, quia dum materialem cauſam euincere ſtudemus, efficiens magis inualeſcit, & è contra. Ideò mirandum non eſt, ſi hactenùs quantumuis generoſis pręſtitis medicamentis, quę mala depreſſa videbantur, rurſus erumpũt, ac reuiuiſcunt. Pro quorum quidem omnimoda abolitione, aut ſaltem mitigatione, meam nunc ſententiam breuiter exponam. Cenſeo igitur in primis, vt eques, Nobiliſs. bis in anno, nempè verè, & autumno corporis plenitudinem, & cacochymiam vena ſecta, & medicamentis diminuat, ſumpto prius minorante ex manna, caſſia, & electuario de ſebeſten, cum puluere ſeminum citri, aut aniſorum, deinde ebibitis vſque in nonum diem iuſculis pullorum, in quibus ferbuerint cichorium, oxalis, betonica, mentha, endiuia, bugloſſum, & borago vna cum ſyr. de beton. & oxymelite, lene pharmacum propinarem ex mell. roſ. ſol. ſyr. roſ. ſol. ac electuario de ſebeſten in decoct. ff. cord dilutis. Sed antequam poſtremum hoc medicamentum exhibeatur ſanguis ab vtraque baſilica extrahi debet, tertia nimirum die ab aſſumpto minorante. Quantitas verò non præſcribitur, vt nec etiam doſis medicamentorum, quia hoc erit munus Medici præſentis. Hac ipſa, aut alia conſimili purgatione ab excrementorum colluuie corpore expiato, illicò priuſquam noui praui ſucci regenerentur, deueniendum ad ea, quę citrà magnum ventriculi detrimentum, hepar, renes, & caput, membra admodum feruentia, refrigerent. Aeſtu enim perpetuo vri videntur in Viro Illuſtriſſimo partes illæ, vt propterea gelida quęque appetat etiam media, ac teterrima hyeme. Huiuſmodi intentio cũ extrinſecis, tum intrinſecis perficitur. In horum ſerie ſunt aquæ ſtillatitię ex fumo, oxalide, cichorio, & de abſinthio ſimul hauſtę vnà cum ſaccharo roſaceo; Serum quoque caprillum optimè depuratum, & radicibus appij, & fœniculorum alteratum ne ventriculus frigidior lędatur, & vt lotis viæ ab arenulis, & lentis humoribus magis expurgentur, mihi ſummopere arridet; quod tamen ad trium libr. quãtitatem aſſumatur. Ad hæc thermales aquæ, quibus vis illa, & facultas inſit, quam apud nos habent inter cęteras Villenſes, & B. Virginis, æſtiuis temporibus mirificè conueniunt, vt ratio dictat, ac experimentum ipſum clarè demonſtrat. Nam proximè tranſacta ęſtate, ab huiuſmodi aquarum vſu magnam percepit vtilitatem. Inter extrinſeca duo tantum proponuntur a me; inunctio renum, & iecinoris, & balnea aquæ dulcis totius corporis, quę quidem eo nomine proderunt, quòd feruidum iecinoris, renum, & vniuerſarum propè partium calorem attemperabunt. Particulares quoque pedum lotiones pro hęmorrhagia placerent; fit enim quędam veluti reuulſio ſurſum deorſum, hiſque ad inferiora pellere noxia natura aſſueſcit. Inunctio hepati fiat a cęna vnguẽto roſ. Meſues, & ſantalino, ſucco cichorij, & mo-

A & modico aceto. Renibus verò infrigidante Gal. nenupharino, & eodem vnguento roſ. M. Pro ventriculo imbecilliori, & flatibus tumultuante haud vna hactenus pręſcripta ſunt medicamina, ſed quam ſtomacho conferentia pręſidia vtilitatem afferebant, eandem gelidæ aquę potus, & multa refrigerantia ad hepatis tam magnam ferueſcentiam infringendam prorſus deſtruebant. Nihilominus non abſque auxilio relinquenda pars tam nobilis, & ad vitam neceſſaria, proptereaque probarem ego, vt Eques Nobiliſſimus aliquando vteretur confectione in rotulis aromatici roſ. & olei aniſorum, aliquando conſerua abſinthij pontici, & aliquando in hyeme Mithridatica antidoto. Extrinſecus autem cum varia cerata ſtomachica, & inunctiones etiam citra manifeſtum iuuamen expertus fuerit, horum defectum, ni fallor, ſuppleret ſtillicidium, vel ex aquis therma-
B libus ventriculum roborandi facultate pollentibus; vel etiam arte paratũ, quale a me iam fuit pręſcriptum in Conſultatione, aut epiſtola pro Moniali huius Illuſtriſſimi D. Sorore, quod nimirum paratum ſit ex oleo amygd. dulc. & vino generoſo, ladano, nuce muſcata, ligno aloes, cinnam. & maſtiche medicato, horis duabus ante cibum mane, & ſerò vnius ferè horę ſpatio ſupra ventriculi ſitum ad hypochondrium ſiniſtrum aliquantiſper vergentem, quindecim ſaltem diebus continuis vteretur. Ab hęmorrhagia autem copioſa, viriumque deiectionem producente, ſi aliquando aggrederetur, quę tamen, ſpero, prohibebitur, copia illa, & efferueſcentia ſanguinis imminuta, & contemperata, tunc ad immodicę euacuationis communia remedia confugiendum eſt, quę de Galeni ſen-
C tentia quinto metho. ſunt reuulſio, ac deriuatio. Propterea balnea ipſa aquę calidæ, in qua ſubinde pedes, & brachia lauentur, ex vſu erunt; frictiones, & ligaturę doloriſicę earundem partium idem pręſtabunt emolumentum, ſed ſi leuiora hęc ſpernat ſanguinis fluor, illicò vena tundatur dextri brachij, &, ſi opus erit, etiam ſiniſtri, pręcipuè ſi ab vtraque nare foras exiret. Sycię quoque cum, & ſine inciſione dorſo affixæ fluxionem aliò euocant. Emplaſtra refrigerantia, & incraſſantia, quæ & gulæ, & fronti admoueri ſolent, a me non recenſentur, vtpote nota etiam tonſoribus ipſis. A generatione calculi præſeruabitur tenui illa, & congrua victus ratione, quæ a me iam præſcripta eſt, diligenter ſeruata, vitatis omnibus craſſioris ſubſtantiæ edulijs, concoctuque difficilibus, nec non
D ſi quæ pituitoſa excrementa in ventriculi, & meſenterij regione ſtabulantur, indeque ad vrinarias vias dilabuntur, frequenti clyſterum vſu ex iure, oleo, melle roſ. & ſaccharo rubro, aut pillulis maſtichinis, ex aloe, & ſimilibus, tempore frigidiori, vel etiam vſu caſſiæ, mannęque per os aſſumptæ, aut melle, & ſyr. roſ. ſol. vt illi mos eſt facere calidioribus temporibus, per aluum extraducere ſtudebit. Ad idem mirè confert decoctum in iure capi betonicæ, millefolij; milij ſolis, quatuor ſem. frigid. maiorum, quo ſubinde vtatur cum ſyrupo de ſucco ipſius betonicæ, quæ citra inſignẽ calorem detergendi, & attenuandi vim habet; imò, ſi Galeno credimus, renes mundos a craſſiori pituita. & arenulis reddit lapillos ipſos atterit, & lotia proritat. Vnde Auctor lib de Theriaca ad Piſonem ſcripſit, betonicam inter cętera ſimplicia medicamenta in male affectis renibus princi-

pem locum obtinere, modeſtaque ſua adſtrictione non modo renes ipſos robo- A
rare, atque firmare, ſed etiam ventriculum, & caput. Quæ breuiter ſufficiant pro arenularum, & calculi quoque renum, & veſicæ prophylactice. Si quandoque ſanguis ex hæmorrhoidibus mitteretur, magnum inde iuuamen perſentiret, nec de virium iactura, aut viſus debilitate vereremur. Iecinoris enim, & renū igneus calor non leuiter ab huiuſmodi inanitione refrigerabitur, ac fęculentus humor, quo etiam ſcatet corpus hoc, per conuenientem locum expurgabitur, & hæmorrhagiæ demum tam præſenti, quàm imminenti magnopere conducet. Haud minorem vtilitatem afferret fonticulus in crure dextro excitatus, & alter in brachio ſiniſtro, ad auertendam materiam ad nares defluentem, ibique grauedinem propignentem. Finem tandem huic meo ſermoni imponam, ſi prius de vini potu quid ſentiam liberè dixero: nam reliqua ad victus regimen pertinen- B
tia abunde iam, vt dixi, à me fuere inſtituta. Quamuis igitur Illuſtriſſimus D. vini guſtum minimè abhorreat, nec ſit abſtemius, nihilo tamen aquam vel ſtillatitiam è fonte cichoraceatum depromptam, vel radicis chinæ, aut cinnamomi, aut denique coriandrorum mixtione excoctam continuo epotat, hancque non rarò, tam hyeme, quam æſtate glacie, aut niue frigidiorē reddit, à qua profectò magna in eo virium ventriculi proſtratio pendet, cuius rei gratia crudiora, & pituitoſa excrementa illa in parte quotidie cumulantur, quibus vinum modicè ſumptum remedio foret. Contra tamen eſſe videtur id, quod ab Excellentiſſimo Viro refertur, nimirum poſt vini hauſtum corpus eius vniuerſum veluti igne quodam aduri, & hemorrhagiam promoueri, & certè in eorum numero C
collocari poſſe videtur, de quibus Hipp. 6. Epid. dixit: *In calidis naturis aqua potio, quies, refrigeratio.* Varia ſunt vini genera, nec vnus vtendi modus. Vinum, quod vinoſum minimè ſit, ſed maturum, & ſtomacho gratum, tenuiſque ſubſtantiæ, cum aquis iam dictis mediocriter hauſtum, haudquaquam Viro Illuſtriſſimo abdicandum eſſe puto; quinimo ad cruditates euincendas, flatuſque diſcutiendos hoc nullum pręſtantius reperietur medicamentum. In eundem finem commendatur vſus vini abſynthitis, ſi tempore frigidiori mane ieiuno ſtomacho cochlearia duo illius aſſumeret. Hæc igitur ea ſunt, quæ in propoſitis affectionibus mihi dicenda occurrebant; Faxit Deus Omnipotens, vt qualiacunque ſint Excellentiſſimi D. ſanitati conducant, nec non tuo admirando ingenio D
minimè diſpliceant, dum interim ego eundem, precor, vt tibi Neſtoream vitam largiatur, quo Regis Inuictiſſimi valetudinem fœliciſsime regere valeas. Vale. Dat. Venetijs, die 10. Sept. 1607.

PRÆDICTVS ORATOR REGIS HISPANIARVM mandauit mihi, vt per Epiſtolam conſulerem celeberrimum Virum Hieronymum Mercurialem, qui tunc Piſis Medicinam primario loco profitebatur, de omnibus, & ſingulis affectionibus quæ & ipſum, & Vxorem (quæ poſt vteri inflammationem de nonnullis adhuc conquerebatur ſymptomatibus) & denique Sororem Monialem, de qua non multo ante ad Mercatum ſcripſeram, diuexabant. Vnde a Mercuriali ipſo reſponſum hoc accepi.

FAma tui nominis, atque inſignis peritiæ ad me peruenerat iamdudum, ſed mirum quantum literæ tuæ, quas ad me poſtremò dediſti, B exiſtimationem tuam auxerunt; in quibus cum Illuſtriſſimarum fœminarum, atque Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Viri ægritudines non minus eleganter, & copioſè, quàm prudenter, & accuratè deſcripſeris, omnem ferme laborem ſcribendi tua facundia mihi putarem eſſe ademptum, niſi eius, qui in me poteſt omnia mandatis obſecundare cogerer; faciam tamen hoc ita breuiter, & perſpicuè, vt nec defuiſſe meo muneri, nec tuis eruditiſſimis cogitationibus aliquid addere voluiſſe videar.

Et quantum ad valetudinem Excellentiſſimi Oratoris, quem vſque adeò flatibus, doloribus, atque cruditatibus affligari ſignificas, vnamque a iugibus vigilijs affligi vehementer, ſcribis, credere non poſſum, quin eius habitus pluſculum C conſumptus, atque exſiccatus ſit; quam ſiccitatem conſequi etiam humidi eſſentialis in ſtomacho pauperiem & ratio, & ſcriptorum teſtimonia ſatis certam fidem faciunt: adeò vt poſſit quidem iecur ipſius ob innumeras, atque inueteratas obſtructiones eſſe calefactum, ſed & ſimul etiam ventriculum exſiccatum, atque refrigeratum; Vnde fruſtratis penè coctionibus omnibus pareſt, & excrementa craſſa, & flatus craſſos, atque copioſiſſimos quotidie generari, a quibus deinde diſtenſa viſcera cruciatus illos pariunt, qui & animum, & calorem natiuum perturbantes, haud mirum eſt, ſi ſomnus abripiatur, atque eo maximè, quod grauiſsima negotia, atque curæ immenſæ magnam ad augenda hæc mala cuncta poteſtatem habent; Itaque in tanta natiui caloris ruina partes D Medici eſſe debent, vt illi recuperando omne ſtudium adhibeat; quod non alia ratione obtineri poteſt, quàm earum rerum vſu, quæ ſimul calefacere, & alimentale humidum conſeruare, atque augere valent. Non proponam alimenta, neque remediorum ſiluam ad id, quod optatur, accommodatorum, ſed tria tantum tibi conſideranda propono; vnum eſt, mihi haud quaquam integre probari tot aromatum, olei aniſorum, atque aliorũ ſimilium potenter exſiccantium vſum; quoniam etſi hæc omnia affectum ipſum mitigare videantur, minimè tamen negare oportet, quin mirum in modum cauſam ipſam, ſiccitatem ſcilicet adaugeant; & forſan vigiliæ illæ inexpugnabiles ab huiuſmodi cauſis exſiccantibus fomentum accipiunt; vt ob id magna cura ſit gerenda ſomni, quem & a victu, & a remedijs humectantibus induci, certò ſcimus. Alterum eſt

M de potu

A autem erit per aluum euacuationes moliri, quo impetus ab vtero deflectatur: Nec debet pro nunc menſtruorum cura geri, quod multum probabile ſit; & vehementia febris, & euacuationibus iam factis, tum per ſanguinem, tum per alia, potuiſſe materiam menſtrualem magna ex parte diminui. Neque infrequens eſt, mulieres magnis morbis perfunctas per aliquot menſes tributo naturæ priuari. Itaque probo magis, quemadmodum dixi, vſum aperientium, atque attenuantium, ſine tamen euidenti vlla caliditate: ſi que perrexerit dolor vteri, ac durities, inſeſſus emollientes, nec calefacientes, reliquias illas morbi ſuperare poterunt, ſimulque efficere, ne nouus morbus oriatur. Et ne ſymptomata illa epileptica, atque hyſterica, a quibus quandoque affligatur, iterum redeant, puto iuuaturum theriacæ vetuſtæ vſum, atque eo maximè, quòd hydrar-
B giri inunctione, peſſimaque lue gallica ſuſpicandum eſt, vniuerſum corporis ipſius habitum eſſe propè venenatum, vt ob hoc antidotorum vſum deceat magnopere commendare, inter quos, & ſi primas partes ipſa theriaca teneat, attamen facere nequeo, quin etiam lapidis bezaartici frequentem vſum proponam, qui conſeruæ boraginis, & meliſſæ permixtus, dubium non eſt, quin & cor & viſcera omnia corroborare valeat, ſimulque prauam quamlibet labem deſtruere, aut ſaltem valdè imminuere; modò tamen ſit prius perpurgata, & a ſuperuacaneis quibuſque excrementis aliqua ex parte liberata.

Nunc ad tertium Monialis Illuſtriſſimæ caſum me conuerto, qui ſicuti poſtremus eſt aliorum ordine, ita magnitudine, ac prauitate alios antecedere ſatis
C literæ tuæ patefaciunt. Verumtamen quia præterita fuerunt complura, de quibus nec tu meam requiris ſententiam, nec vlla conſultatione egere videntur, de eis tantum loquar, quæ magis in præſenti Illuſtriſſimam Monialem exercent, atque ea ſunt, dolor ventris, coxendicis, thoracis, dorſi, & cordis cum ventriculi languore, tardaque coctione. Sed quod mihi non paruam attulit admirationem, eſt, cum tanta malorum colluuie, nihilominus ſingulo menſe, eam ordinatum naturę tributum habere. Dolorem ventris eſſe colicum vocatum minimè dubito, quòd in ea ventris parte eſſe dicatur, in qua inteſtinum colon continetur. Verum poſtquam ad cauſæ, & curationis indagationem loci nomen nihil conducit, ſtatuo maximam partem dolorum eſſe flatulentam mate-
D riam generatam ex caloris natiui ventriculi, ſingulorumque prope viſcerum imbecillitate. Suſpicor enim adhuc in eius corpore ſemina non parua melancholici affectus latitare, ac non tantum cordis illum affectum, atque languorem ex ventriculo malè affecto oriri, quantum ex humore ipſo melancholico vbique collecto; Neque te latet quam aduerſarius ſit hic humor, non modò cerebro, verum etiam ipſi cordi, et, vt dicebat Galenus in libro de atrabile, etiam omnibus corporis partibus. Quapropter cum humor melancholicus, qui videtur ferè omnium dolorum origo, vitio iecinoris calidioris adeò copioſus efficiatur; ad Medicum ſpectat non ſolum hunc vna cum reliquis humoribus peccantibus purgare, verumetiam illius generationem quantum fieri licet prohibere, ſimulque dolentes partes attemperare, & ipſum natiuum calo-

rem conſolari. Quæ omnia vereor ne faciliora dictu ſint, quàm factu; verumta- A
men, ſi quidpiam boni ſperandum eſt, id totum ſitum eſſe video, tum in tua peritia, & dexteritate, tum in ipſius ægrotantis obſequentia. Proponerem tibi ſententiam meam de vniuerſo curationis negotio; atquia a te ſingula prudenter, & exactè ſunt excogitata, & in medium allata, breuiter quædam tantum notabo; Et primum dimiſſa victus ratione, quam non dubito & a te diligenter eſſe præſcriptam, & ab illuſtriſsima Aegrotante pro ſua ſingulari religione diligentius obſeruari; de operationibus Chirurgicis cenſeo, cauterium in cruris ſiniſtri extima parte factum etiam a corde fœdos illos vapores deriuaturum. Sed de altero, quod in occipite faciendum iudicas, valde dubito, quoniam inter præcipua abſceſſuum faciendorum (quorum vicem cauteria gerunt) præcepta ab Hipp. nobis relicta, illud eſt, vt ſint ſemper infra morbum; ſedem autem B
morbi præcipuam non eſſe cerebrum ipſe quoque videris ſignificare. Scio pro articularibus morbis auertendis Hippocratem, atque Arabes commendaſſe ſpatularum inuſtiones: ſed neque has neceſſarias, quemadmodum moleſtæ ſunt, ipſe quidem exiſtimo: blandas purgationes iteratas laudo, ita tamen, vt ſemper melancholici humoris maxima ratio habeatur: poſt quas purgationes galli bimuli ius, in cuius ventre ſaſſafras, China, & ligni modicum vna cum cichoraceis, boragine, meliſſa, coriandro, ac ſandalo rubeo ſint percocta, pluribus diebus vſurpatum mihi placet: ſicut etiam quo tempore hoc vtitur, oleum medicatum ſupra ventriculum more ſtillicidij demiſſum profuturum eſſe ſpero; quinimò, vrgentibus doloribus, ſi ſtillicidia ex oleis anodinis ſupra dolen- C
lentes partes fiant, rationi conſonum eſt eſſe iuuatura. Balnea quæ proponuntur, ſiue naturalia, ſiue artificialia, planè iuuatura ſunt, ſuo tempore adminiſtrata: ſed de ijs poſt alia vſurpata remedia decernendum erit: & ſi quidpiam, pro cordis ſtatu conſeruando, proque prauis humoribus debellandis, nec non calore natiuo reficiendo conferre poteſt, theriacæ vetuſtioris frequentiorem vſum eſſe puto.

In reliquis, quæ & Doctiſs. Saxonia meus olim amantiſsimus, & laudatiſsimus diſcipulus, atque ipſe pro veſtra ſingulari peritia decreuiſtis, etiam atque etiam probo; quinimò quæcunque a me dicta ſunt, purgatiſsimo veſtro iudicio & cenſenda, & moderanda permitto. Vale, meque ama, & a me plurimum D
diligi perſuaſum habe.

QVAE-

A

QVÆSITVM PRIMARIVM IN NOBILI BELGA Angina ſæpius laborante.

I.

Cur tam frequenti ſtrangulationi, & anginæ obnoxius ſit, & quomodo præſeruandus.

Quæſita ſecundaria duo.

I.

Cur copioſa, & ſalſa in eo fiat deſtillatio.

B II.

An, & quæ thermales aquæ in Patauino agro ei conueniant.

Ad præclariſsimum Virum Io. Thomam Minadoum in Patauino Gymnaſio Medicinæ Doctorem celeberrimum.

PLAGVIT mihi ſemper in morbis, vel dubijs, vel contumacibus ad illos Medicos confugere, quorum doctrina, & conſilio res certior euadat, & promptior auxilij ferendi facultas ſuppeditetur, iuxta nō Hipp. ſolum in lib. de Præcept. ſed & ipſius Salomonis ſententiam
C cap. 4. Prou. *Erit ſalus vbi multa conſilia fuerint.* Ideo cum perilluſtris P. aliquot ab hinc annis, occaſione infra notanda, obnoxius valde ſit grauiſſimo ſymptomati, a quo in maximum vitæ diſcrimen per vices incurrere ſolet, nec præſenti quieti fidendum vllo modo eſſe videatur, & a me hactenus pugnatum potius ſit aduerſus morbum, quā aduerſus omnes eius cauſas, videlicet therapeutice dicta, non prophylactice, decreui illum cum meis literulis Patauium mittere, cum vt aquis iſtis thermalibus non intrinſecus ſolum eas bibendo, verum etiam extrinſecus per docciam vocatam, aut ſtillicidium vtatur, tum maximè, vt tuo regatur conſilio in omnibus, quæ ad eius ſalutem ſpectare poſſe videbuntur. Tu enim ille es, vir pręclariſſime, ad quem hodie, poſt Saxoniæ obitum, velut ad alterum Aeſculapium omnes conueniunt. Quæ namque & quanta tua ſit virtus, & quę in cunctis diſciplinis excellentia, in multis editis operibus, & in onere honeſtiſſimo, quod ſuſtines, Apollineam Artem docendi ſa is, ſuperque demonſtras. Aegrotantem, & me vna tibi commendo. Vale.

D

Hic itaque vir perilluſtris ante aliquot annos capitis deſtillatione cum pauca materia, & cum leuioribus ſymptomatibus laborauit, a qua etiam facile liberatus eſt. Anno proximè elapſo hoc eodem tempore, ob externum errorem, iterum ſuperuenerunt aliqua ſymptomata, a quibus vſu ligni guaiaci, & chinæ liberatus, tota æſtate bene habuit. Verum menſe Nouembri, ob vehementes corporis exercitationes, in anginam cum periculo ſuffocationis incidit, quæ ope medica ſublata quidem fuit, ſed iterum atque iterum poſt non multum tempus

eadem reuerſa eſt affectio, quam licet Dei auxilio ſuperauerit, illæ tamen partes A
fauciũ adeo imbecilles, ac debiles permãſere, vt poſtea copioſiſſima, & frequẽtiſ-
ſima deſtillatione vexatę ſint; Nũc verò cõqueritur de varijs ſymptomatibus ad
pectus, ventriculũ, & alias partes attinẽtibus, quæ ipſum per breuia quædã in-
terualla affligunt; Sed de his potiſſimũ, quæ vigent circa eas regiones, quæ ad
reſpirationem pertinent. Quandoquidem materia catarrhalis vocata ad eas par-
tes defluit, quæ pręangustia ſenſum ſtrãgulationes inferre vidẽtur; imò vel illa
excremẽtitia materia, quę antea per nares abundè euacuari ſolita erat, ad iã di-
ctas infirmas partes cõfluit, & propter ſalſedinẽ gingiuas corrodit, adeo vt den-
tes carne, qua ad radicem circundantur, deſtituti appareant, & facit ſimiliter vl-
cuſcula in palato; ſed inter hæc omnia ſymptomata maximè quæritur de ſtran-
gulatione, aut ſuffocatione, a qua ſępiſſimè afficitur. An cauſa vnica eſt, videli- B
cet catarrhus a capite deſtillans, qui vſque adeo obſtruit, & infarcit vias ſpiri-
tus, ad initium præſertim trachęę vt difficilem reddat reſpirationem, & ſuffo-
cationis ſenſum vna cum ardore quodam, quia ſalſus eſt, inducat? Hæc autem
materia, vt oculis cognoſcitur, primò quidem tenuis deſcendit, & aquoſa, ſed
non ita poſt, craſſa, viſcida, ponderoſa, & valde ſalſa; eſtque partim eſſentialis
capiti, partim a ſubiectis partibus per conſenſum eidem communicatur; & eſt
quidem eſſentialis, quoniam nobilis Patiens caput valde calidum, & impenſe
humidum habet, adſunt enim ei capilli flaui, ſomni breues, cutis raræ texturæ,
quibus adiungitur fluxus acris, & mordax. Vnde in cerebro verę cõcoctionis fit
inquinatio, & ſuppeditatur inde excrementitia materia ſubiectis partibus. Per C
conſenſum verò fouetur a ventriculo frigido, nec pituitoſis humoribus vacuo,
quemadmodum & a iecinore calido, ita vt ex euaporatione materiæ frigidæ, &
inconcoctæ a ventriculo, & euaporatione, aut elatione biliosæ ac ſeroſę materię
ab ipſomet hepate fiat in capite materiæ congeſtio, quæ cum non poſſit conco-
qui, ac elaborari ab alteratrice cerebri facultate, & propter ſui copiam ſtimule-
tur expultrix, ad faucium partes imbecilles deſcẽdit, ibique iam dictam parit af-
fectionem. De ſalſa autem eiuſdem materiei qualitate, quid ſtatuendum ſit, non
adeo difficile iudico; cum enim ſalſedo ex Gal. doctrina gignatur tribus modis,
ex detentione materiæ putreſcentis, ex permixtione materiæ bilioſæ, & a calido
extraneo, in P. noſtro omnes iſtę cauſæ ad ſalſedinem efficiendam concurrere D
videntur. Primò namque a capitis caliditate veriſimile eſt reſolui partes tenuio-
res, & remanere tantum partes craſſiores, & magis terreſtres. Secundò quia, cũ
non continua ſit quęrela de ſymptomatibus antedictis, ideo congeritur per in-
terualla materia iſta ſuperuacanea, quæ ob longiorem moram in loco calido pu
tredinem aliquam vna cum ſalſo ſapore nanciſcitur. Tertiò, quia iecur valde ca-
lidum bilioſos ſuccos, & acriores vaporationes capiti communicando, excre-
mentis in eo ſtabulantibus ſalſam ſimul qualitatem impertitur. Quòd verò hæc
materia primum tenuis appareat, deinde craſſa, hęc eſt cauſa, quia reſolutis par-
tibus tenuioribus propter caliditatem, remanet poſtmodum craſſa, viſcida, ac
terrea. Quantum attinet ad futurum rei euentum, iam notum eſt catarrhũ om-

nem

A nem difficilis eſſe ſanationis, at præſens deſtillatio in primis ratione continuæ, & perſeuerãtis intemperiei partium affectarum difficilior euadit. Minatur quin etiam, cum in tracheam, & pulmones tendat, ſputum ſanguinis, corroſionem pulmonum, & phthyſim ipſam. Quia tam affectus recens potius eſt, nec adhuc pectoris, & pulmonum ſymptomata grauiora viſa ſunt, & poſſumus vti re medijs, quæ ipſas affectas partes contingant neq; hactenus ea adhibuimus præſidia, quæ integram ſanitatem afferre ſolent, & poſſunt, ſpe ſalutis concepta, ad ea me confero remedia, quæ nobilem virum ab imminentibus malis præſeruẽt, & a præſentibus liberent. Sed quinam erunt curandi ſcopi? Cum totum conſilium dirigatur ad tẽperandas malas cerebri intemperaturas, iccirco prima erit indicatio blande refrigerandi, & ſiccandi caput, & quoniam illæmet fouentur
B non obſcure a ventriculo frigido, & iecinore calido, ideo ventriculus calfaciendus, & corroborandus eſt, iecur verò refrigerandum. Quatenus autem hic prauus materiæ motus ad varias partes, moleſtiam quoque non vulgarem affert, eatenus præſidia reuellentia ad terminum cõtrarium indicat. Prima tamen intentio ſit cerebri citra calfactionem exiccandi, & iecinoris refrigerãdi poſtea verò vẽtriculi per calfaciẽtia roborãdi. Ad quæ quidẽ priuſquã deueniatur nulli dubium, expiandũ eſſe diligẽter ab humorũ ſarcina totũ, & vniuerſũ corpus, deinde verò etiam caput, ſed cum proximis diebus, & medicamenta ſint propinata, & ſanguis etiam extractus fuerit, abunde huic intentioni ſatisfactũ fuiſſe videri poteſt, nihilominus tamen, quoniam huiuſcemodi intemperata corpo-
C ra, & quæ frequenter in malas incidunt valetudines, pluribus, ac iteratis purgationibus indigent, ideo quæri poteſt, an iterum nunc ſanguinis miſſio, & medicamenta conueniant. Profectò, cum de auxilijs generoſioribus adhibendis agatur, & cum iecur laboret intemperie calida, & ſanguis peccet hic tamquam cauſa adiuuans, & ſine qua alia medicamenta commodè fieri minime poſſunt, iterata ſanguinis miſſio neceſſaria, ne dum vtilis erit, in pauca tamen quantitate, & per venam non iecorariam (quod iam factum eſt) ſed per communem dextri brachij. Venis præterea podicis admoueri poterunt hirudines, ſed congruis interpoſitis interuallis. Quod verò ad fonticulos, & alia præſidia chirurgica ſpectat, fonticulum gerit in epomide ſiniſtri brachij, a quo maximam percipit vtili-
D tatem. De altero in crure dextro excitando quid nam DD. meis videtur? Ego quidem, ſi ſpes ſit ſolis peragendis medicamentis poſſe nos totũ negotium fœliciter abſoluere, libenter omitterem. At ſi euentus optatis non ſuccedat, poterit tandem coxæ dextræ cauterium admoueri. reliqua, vt frictiones, & cucurbitulæ tam ſcarificatæ, quam non ſcarificatæ per ſe ſunt manifeſta ideo accedo ad pharmaca, quæ & ipſa iteranda ſunt. Leniri ergo poterit aluus ſyrupo roſato ſolutiuo cum manna, aut electuario lenitiuo, aut caſſia, tamarindis, præſertim ſi in bolis. Pro alterantibus vterer ſyrupo roſato ſimplici, ſyrupo de ſucco cichorij, & ſyrupo de betonica cũ aquis ſtillatitijs conſimilis virtutis, aut potius iuſculis tantum alteratis cichoraceis ſimul, atque cephalicis, quæ iuſcula ſcio magis quibuſdam probari ſi ſola exhibeantur, quam ſi vna dulciora commiſceantur. Deinde

purgetur

purgetur corpus cum infuſione agarici,& portiuncula rhabarbari, addendo ſy- A rupum, & mel roſaceum ſolutiuum, vel cum pillulis aut de tribus cum rhabarbaro,aut cum aggregatiuis,vel tandem etiam cum pillulis cocchijs,& de agarico M. Poſt quam purgationem haud negligi meo quidem iudicio debet ſpecialis capitis purgatio per errhyna ſaltem mitiora,quia alioquin totum cerebrum turbant,& materiam ad fauces, & affectas partes præcipitant, ideoque ſatis eſſe poterit ſuccus betæ cum ſucco hederæ, vel ſonchi;maſticatoria,& gargariſmata,quia ratione partis affectæ ſuſpecta ſunt, prætermittenda cenſeo. Poſtmodũ ad male temperata mẽbra deſcendẽdũ,quibus & externa, & interna conueniũt medicamenta. Interna verò, quæ adhuc experiri nõ licuit, aquæ ſunt in primis thermales in Patauino iſto agro, & præſertim aqua Laſtrenſis, & aqua B. Virginis. Quæri tamen poſſe videtur,vtra iſtarum magis expediat; ſane,cum aqua B Laſtrenſis prædita ſit calida, & ſicca qualitate, & indicatio videtur eſſe magis refrigerandi,quam ſiccandi,eo quod catarrhus calidus eſt, & ſalſus, cumque ſimiliter caput,iecur,& anni tempus calida ſint, hoc tẽpore videatur mihi vtendum potius eſſe aqua B. Virginis poſtea verò ſi aliquæ remanebunt morbi reliquiæ,in anni maximè tempeſtate minus calida ambæ quidem,ſed alternatim poterunt exhiberi. Interim verò regio ventriculi foueatur cum oleo maſtichino, & de nuce moſchata,vel vino cum mentha,& abſynthio. In aquæ tamen exhibitione conſiderandum etiam occurrit, num melius ſit paucis diebus largam aquæ copiam propinare,an verò tempus protrahendum ſit ad quindecim dies, & ſingulis quibuſque diebus ſex tantummodo libræ offerantur. Mihi quidem C poſterior conditio valde magis placet. Quod attinet ad externa præſidia, ſuo tẽpore ad ſtillicidium accedendum erit;quod tamen nollem ex alto loco decidere, & permixtum magis cum aqua B. Virginis,quam è ſimplici aqua Laſtrenſi, præſertim hoc anni tempore calido,& dum caput exiccatur pannis calentibus, neutiquam fricetur,vt paſſim in alijs fieri ſolet,ne de repente facta colliquatione fluxio impetuoſe deorſum ruat. Autumno proximo eadem repetenda fortaſſe erunt, vt morbus auuerruncetur;quinimo pro illo tempore excogitandum erit, ac præparandum aliquod decoctum, quod minime quidem calfaciat, ſed quantum fieri poterit,moderate exſiccet, quale eſſet paratũ ex radice chinæ,& ſalſa,cum cichoraceis. Quod ſi tranſactum fuerit tempus ſtillicidij,fieri poterũt D lauacra ex lixiuio dulciſſimo alterato cum folijs ſalicis,roſarum,hordeo,betonica,& ſimilibus, quo lixiuio poterit frequenter caput lauare. Victus ratio a me iam præſcripta diligenter obſeruanda erit acria omnia,ſalſa,& aromatica vitando,velut etiam piſces,& lacticinia,quæ excrementitiam materiam adaugere facile poſſunt. Vtitur ſæpiſſime cremore hordei, & amigdalarum dulcium cum ſaccharo,vinum bibit album,tenue,& oligophoron. A zitho, quo ſæpe vti ſolet,vellem penitus ſe abſtineret,quemadmodum, & a ſomno, & a lectione poſt prandium. Aluum lubricam, prout melius potui, vel clyſteribus blandioribus, vel prunis præparatis,vel etiam pillulis ſeruare ſemper ſtudui. Tu modo, Vir Excellẽtiſſime,vna cum alijs almi iſtius Gymnaſij Doctoribus eximijs ad penſum

A ſum cuncta deducito, & ęgro præſenti, antequā ad me reuertatur, quæcunq; magis ſalutaria iudicabis, ad vnguem exponito. Vale iterū, & fœlix viue. Venetijs.

Hic vir præclarus cum ab Excellentiſſimis Patauinis Medicis rurſus fuiſſet exactè purgatus, & aquas thermales aſſumeret, ad ducciam miſſus, ſub ea ictu oculi tanta in copia catarrhus ad fauces, & vias ſpiritus lapſus eſt, vt parum abfuerit, quin ibi præfocatus vitam finierit. Quare hoc relicto remedio, Venetias redijt, vbi leuioribus præſtitis, quod erat in votis, aſſecutus eſt; & nunc etiam viuit.

EXCELLENTISSIMO EIDEMQVE DOCTISSIMO Viro Vincentio Alſario Crucio Io. Thomas Minadous ſalutem plurimam D.

B Literæ à te datæ mihi ſignificarunt ſimul humanitatem eruditionemque tuam, nec minus eruditio admirationem quam humanitas beneuolentiam in me excitarunt. Itaque mihi gaudeo oblatam mihi eſſe occaſionem qua poſſim de doctiſs. & humaniſs. viro bene mereri. Ad me certè quod attinet dabo operam, vt niſi poſſim illum rerum cognitione atque doctrina, ſaltem ſtudijs, officijs atque beneuolentia ſuperem. Ad caſum noſtri patientis quod attinet nihil habeo, quod dicam, præter ea, quæ a te ipſo primum diſertiſſime literis antedictis perſcripta ſunt, moxque a nobis in conſultatione diſputata fuerunt. Recepimus enim, atque ego inter reliquos

C modicos defendi ſententiam de aquis B. Virg. porrigendis a te propoſitam, & commendaui pariter ſtillicidij vſum; quamuis non defuerit aliqua his de præſidijs hæſitatio; ſpero fore, vt illuſtris patiens hinc diſcedat cum honeſtiſſima, & optima Patauinorum medicorum opinione, quod & tui, & illius gratia pro viribus ac perquam diligenter curabo. Tu interim vir excellentiſſime, qui me etiam nondum de facie cognitū (ita mihi ipſi blandior) amas, pro certo habeas, neminem tibi occurrere poſſe, vel in te ipſo obſeruando fideliorem, vel in te ipſo amando conſtantiorem. Vale. Patauij.

QVAE-

A

QVAESITA PRIMARIA QVINQVE IN VVLNERE capitis Iuuenis Rauennatis, qui obijt.

I.

An vulnus ad meſinnges vſque, & piam in primis, ac cerebrum pertingeret,

II.

An prognoſticum de non deſperata ſalute ex arte magis fuerit, quam quod a Chirurgo de obitu conſtanter fiebat.

III.

Cur perperam ſanguis miſſus.

IV. B

An cranij terebratio conueniret.

V.

An è ſpongia ad labiorum vulneris luxuriantium coalitum præpediendum adhibita læſio maior, & mors ipſa emanare potuerint.

Secundaria Decem & octo.

I.

Quamobrem in prognoſtico faciendo euentus aliquando nos fallat.

II. C

An Chirurgiæ Theoria ad Medicos Phyſicos etiam ſpectet.

III.

An lædi, ac vulnerari dura meninx poſſit, pia cum cerebro illæſa permanente.

IV.

Cur præciſo cerebro ſuperueniant rigor, inflammatio, bilis euomitio, & anorexia.

V.

An promptitudo ad cibos, vel eorundem faſtidium quicquam boni vel mali in morbis capitis indicet.

VI.

An Chirurgi decipiantur interdum in cerebri ſubſtantia diſcernenda a fungis appellatis. D

VII.

Cur membrana cerebri craſſiore vulnerata fungi dicti ſuboriantur.

VIII.

Cur vulnerum ariditas mala ſit.

IX.

An cerebri ſubſtantia ſauciata, & in notabili quantitate extracta, euadere homo poſſit.

X.

An capitis vulnera in locis maritimis curatu difficiliora ſint, vt voluit Pareus.

XI.

An, & cur ſanguinis miſſio in vulnere capitis celebranda ſit non è brachio ipſi vulneri oppoſito, ſed è directo, ac eiuſdem partis.

Cur

A XII.

Cur terebratio periculoſa res ſit.

XIII.

Cur, & quando terebratio ipſa ſit neceſſaria.

XIV.

Cur capite vulnerati diutius viuant in hyeme, quam æſtate.

XV.

Cur in æſtate longe citius celebranda terebratio quam hyeme.

XVI.

Cur dolor vulnera faciat grauiora.

XVII.

B *Cur a dolore in vulnere capitis exaſperato altus, & profundus ſomnus oriri poſſit.*

XVIII.

Cur facultatis animalis deperditionem totius animantis ſequatur interitus.

Ad Donatum Capram Medicum Rauennatem.

EN tandem a tam multo tempore a te, mi Capra, expectata diſputatio illa, quam ego olim, dum illo ſub Cœlo degebam, & medendi artem in antiqua Rauennatum Vrbe primario loco exercebam, occaſione iuuenis in capite vulnerati pro viribus confeci, vt ex ea om-
C nes iudicarent, vtra prognoſis rationabilior eſſet, vel aſſerentis ægrum omnino moriturum, vel exiſtimantis locum ſalutis a timore ſpei haud penitus intercludi. Qua de cauſa, ſi memor es, conſcripta a me fuit, veluti etiam ex nuncupatoria epiſtola, quæ ſubnectitur, ad Bonifacium Cardinalem Caetanum fœlicis recordationis tunc Aemiliæ de latere Legatum, conſtare facile poteſt. A qua quidē diſputatione hauries quam facillime ſolutionem Quæſitorum illorum, quæ te alias delibaſſe tantum ſcribis, & quæ pariter in capitis vulneribus tractandis non raro inter medicos excitari conſueuerunt. Tu meum iam pridem noſti liberum, & ingenuum animum, quem in fronte promptum gero, quia nimirū quod cenſeo non flexe, ac tortuoſe oraculorum more, ſed ſine tergiuerſatione, cla-
D rè, & diluci le profero. Placet enim quod 11. de offic. traditur ab eloquentiæ parente. *Ex omni vita ſimulatio diſſimulatioque tollenda eſt*; nec ad meum vnquā genium, quod de Tiberio legitur 4. annal. Taciti. *Nullam, vt rebatur, ex virtutibus ſuis magis, quam diſſimulationem diligebat.* Obijciant alij quantum libet, quod veteranus Imper. dixit, ſeu Frider. ſeu Sigiſmundus fuerit. *Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare, & neſcit regere, qui neſcit tegere.* Hæc ſi quidem ad Principes quandoq; de nonnullorū ſententia, nullatenus ad medicos, ſaltē vt medicos, qui dum cæterorum incolumitati cōſulere ſtudent, vel propria, vbi agnouerint, errata propalare tenentur, exemplo Hipp. & aliorum. Silebo ne hic illud Iob. 36. *Simulatores, & callidi prouocant iram Dei.* Si quis ergo ex iſtis medicis dixerit, hęc a me edita, & in apertum miſſa, vt de illorum eudoxia detractum velim, qui re-

ſpon-

ſpondendum a te ſit, cum ex alibi ſcriptis, tum ex paulo ante notatis facile intelliges. Fac eo in me ſis conſtanti animo, quo ſemper fuiſti, &, ſi opus ſit, non ad arma, ſed ad ſtylum, non Lucilij, de quo ita Plinius in Præfat. op. *Quod ſi hoc Lucilius, qui primus condidit ſtyli naſum, dicendum ſibi putauit*; ſed quod graphium vocatur, vt a vate. A

Quid digitis opus eſt graphium laſſare tenendo?

Pro ingenij tui acumine, proque tua mihi optimè perſpecta litteratura te accingito cum Ariſtophane Nebul.

Conſilio, calamis, & lingua pugnaturus.

Quia me, reſque meas tuendo, te ipſum quoque defendis, quia mea ſub diſciplina interdum militaſti, &, vt hæc vna cum alijs diuulgarem, me tam nixè rogaſti. Vale. Dat. Romæ Kalend. Auguſt. 1619. B

Bonifacio Cardinali Caetano Aemiliæ de latere legato Vincentius Alſarius Crucius F. P.

QVale nam meum fuerit ante decimum quartum diem præſagium in vulnere capitis adoleſcentis, qui nuper vita defunctus eſt, non te certè later, Cardinalis ampliſſime; nimirum ſi, non vti vates de futuris iudicant, ſed per ſigna, vt præcipit Hipp. & per accidētia, quæ de mente Philoſophi 1. de Anima, *magnam partem conferunt ad cognoſcēdum quod quid eſt*, de morborum euentu iudicium à medicis fieri debet, nihil certi de ſalute vel interitu vulnerati iuuenis pronunciari cum ratione poſſe; non de ſalute, quia ſæpiſſime cōtingit in vulneribus, præſertim capitis, accidētia niſi poſt multos dies ſeſe nobis obuiam facere; nō de obitu, quia reuera læſio ad illas interiores capitis partes non pertingebat, quas credit Chirurgus alioqui in ea medicinæ parte admodum verſatus, dum cerebri, & inuolucrum, & ſubſtantiam vulneratam fuiſſe cum eiuſdem ſubſtantiæ deperditione palam omnibus perſuadere conatur; Interim propterea ſalutis ſpei locum a timore non penitus intercludi: Addens ego per quam graue eſſe vulnus, vt pote capitis vacuū apprehendens, cum cranij ſcilicet fractura, & duræ etiam meningis inciſione. Vnde ſi ab Hipp. ipſo cutis tantū capitis vulnera magnifiunt, quanto magis timenda intra caput penetrantia? Nihilotamen multo grauiora vulnera capitis, & cerebri non raro perſanata fuiſſe, vt idcirco nullo modo eſſet omnino de ſauciato iuuene deſperādum. Hoc ipſum fuit, quod ego vſq; in prædictam illam diem præſagire cum ratione poſſe exiſtimaui. Poſt quam mutata ſunt omnia in deteriorem conditionem, vt nulli non perſpicuum foret, breui iuuenem interiturum. Quamobrem vt cum alijs, tum Domino meo in primis ſapientiſſimo, & medicinalium axiomatum nauiter perito, res omnis, prout ſe habuit, innoteſcat, & an ipſe temere, & citra rationem de iuuenis ſalute deſperandum non fuiſſe dixerim, præſentem diſputationem pro virium mearum tenuitate confeci, quam ſub Gaetano

Clypeo

A Clypeo ſartam tectam non minus, quam ſit auctor, fore confido. Hanc itaque legere ne dedigneris, cum aliquantulum ocij a grauioribus tum negocijs, tum ſacrarum literarum ſtudijs nactus eris, &, ſi quæ legendo offenderis quæ pur gatiſſimo tuo, & admirando iudicio non vndique ſatisfaciant, dele, & quomodolibet immuta; Non enim ego in eorum cenſu eſſe volo, qui quaſi Attali incipere diſcere erubeſcunt, & in ſua ignorantia cum ſuperbia iuncta verſari non verecundantur. Diù vale decus, & præſidium meum. Rauennæ 1609.

Prognoſtica recte, ac prudenter enunciata, non tantum medicum ab omni calumnia liberant, verum ad ipſius gloriam etiam magnopere conducunt, præter, quam quod ægros obtemperantes reddunt, ac efficiunt, vt audentius B illi medico ſe ſe committant; Quare vtiliter monet Galen. vt ante curationem præſagiamus, iuxta Hippoc. ſententiam lib. 1. prænot. vbi hæc ſunt ver ba: *Medicum prænotionem adhibere, optimum eſſe mihi videtur; prænoſcens enim & prædicens apud ægrotos, & præſentia, & præterita, & futura, & quæ ipſi ægroti relinquunt exponens, fidem vtique fecerit, quod ægrotorum res magis cognoſcat; quare audebunt homines ſe ipſos Medico committere; at verò curationem optime fecerit, vbi prænouerit futuras affectiones*; hæc ille; qui etiam libr. prædict. 1. *conſulo*, inquit, *vt quam prudentiſſime agant, tum in reliqua arte, tum in huiuſmodi prædictionibus illius probe memores, quod ſi cui ſucceſſerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia prædictum in admiratione fuerit*. Vnde ſumma C cum ratione in eiuſdem operis initio, medicorum quorundam prædictiones admirandas quidem, ſed parum ex arte pronunciatas irredet, atque contemnit, vtpotè *quales*, ait, *neque ipſe prædixi, neque alium aliquem prædicere audiui: inter huiuſmodi ſunt, hominem pernicioſè affectum eſſe, & Medico ipſum curanti, & alijs videri; verum Medicum alterum ſuperueniſſe, & dixiſſe; non peribit hic homo, verum cæcus euadet. Item ad alium, qui omnino male habere videbatur ingreſſum prædixiſſe hominem quidem euaſurum eſſe, verum manum claudam habiturum, & ad alium quendam, qui ſimiliter ſuperſtes fore non putabatur, dixiſſe ipſum quidem ſanum fore, verum pedum digitos nigrefactos putrefactione corrumpendos eſſe*; ſed hæc præſagia ad vates potius attinent, quam D ad medicos, & ideo ibidem ſubdit Hippocrat. *Ego verò talia quidem non vaticinabor, ſed ſigna ſcribam ex quibus, & ſanos futuros, aut perituros*. Quam rem haud ignorans ipſemet Galen. libr. de conſtitution. artis capit. 18. ita ſcribit. *Ridiculus eſſet, qui arbitraretur tale eſſe medicorum præſagium, quale profitentur vates; hi hominem liberandum autumant; nec adijciunt, ſi rectè omnia agantur*. Propterea 1. aphor. comment. 12. 1. ad Glauc. & 2. prognoſt. cap. pen. *ille* inquit, *melior prædicendo eſt, qui minus errat, non errare enim eſt ſupra hominis naturam*; in facultate præſertim coniecturali; nam ratio coniecturæ talis eſt, vt cum ſæpius aliquando reſponderet, interdum tamen fallat nos, quemadmodum docte explicat Celſus libr. 2. capit. 5. tandem ipſe met Hip-

N pocrat.

pocrat. in libr. de vet. med. cum medicum vehementer extollit, qui parum A
delinquit, quando certitudinem exactam raro videre contingit; quod ſi quis à me quærat, vnde nam dubia magna ex parte, & ad ſalutem, & ad mortem præſagio exiſtat; reſpondebo propter ignoratam cum morbi, tum virium laborantis magnitudinem, quæ certa ſcientia edoceri nequit; Hinc ergo eſt, quod interdum moritur aliquis, de quo medicus ſecurus primo fuit, atque adeò accidit nonnunquam, vt deſerti a medicis conualeſcant: ſicut Celſus narrat libr. 2. cui Auicenn. 4. fen. 4. & Auerr. 7. colliget adſtipulari videntur. Alia ſunt innumera, quæ poſſunt, quod prædictum eſt, impedire, vt animi accidentia quæque, & quiuis etiam minimi errores in alijs rebus non naturalibus, aſſidentes, & huius generis multa; Non enim poteſt medicus ſalutem certo polliceri, dum æger inobediens B
eſt, quique ægro ipſi inſeruiunt, & quæ demum circa ipſum omnia exacte non procedunt. Quinimo licet omnia adunguem reſpondeant, ſuſpectum tamen, & conditionatum debet eſſe iudicium, quoniam, vti nos docuit Hippocrat. in lib. de decenti ornat, in quo medicum monet, vt ingreſſu frequenter vtatur, veſiteque diligentius, *inſtabilia ſunt, quę in humidis conſiſtunt*; in quem ſenſum dictum fuit ab eodem: *Acutorum morborum non omnino certas eſſe pronunciationes ſalutis, aut mortis*. De repente ſiquidem poteſt ſuperfluus quidam ſuccus in corpore interius in partem aliquam vitæ neceſſariam defluere; poteſt etiam è contra ab aliqua principe parte ad ignobiliorem impelli, & ſubinde neceſſe erit, vt is, qui in principem partem C
fertur extremum periculum, qui verò ab ea repellitur, inopinatam ægrotanti ſalutem afferat, ſicuti a Galen. traditur libr. conſtitution. artis iam allato. E quibus omnibus haud obſcure elicitur summopere decipi medicos illos, qui empiricorum more temere, & ſuis tantum quibuſdam experimentis innixi, de morborum euentu pronunciant, nec alia quapiam ratione quandoque metam attingunt, quam communi illa paſſim decantata; *qui ſæpe collimat, aliquando collimat*, aut; *ſi ſæpe iactaueris, aliquando venerem iacies*. In quorum numero ne collocer, totis viribus ſemper ſtudui, ſtudeboque dum viuam, vt mea prognoſticandi ratio à naturæ cum morbo comparatione potiſſimum deprompta ſit, diligenter omnibus tacita mente D
examinatis, quæ vel certum reddant præſagium, vel rarò ſaltem a veritate aberrans, non oblitus præcepti, quod ſapientiſſimus ſenex 6. epid. traditum reliquit. *Nihil temere affirmandum, nihil contemnendum*. Cumque naturam dico, vires dico, ſeu tres illas facultates, a quibus noſtrum corpus regitur, & gubernatur, vt puta, animalem, naturalem & vitalem, ſi morbus intēdatur, & vires prædictæ diminuantur, de ægri morte dubitandum, ſi vero naturæ victoria ex illarum facultatum robore indicetur, de eiuſdem incolumitate concipienda ſpes eſt; & hæc vera eſt de morborum omnium fęlici, aut infęlici exitu perſagiendi ratio, dūmodo medicę artis Corypheis a nobis credatur. Iuxta itaque tan-

A que tantorũ virorũ doctrinã,ac tam preclarę diſciplinæ iam pridem iacta funda mentá,interrogatus,quidnã de vulnerato iuuene proponendo cenſerem, moriturus ne eſſet,an conualiturus;reſponſum dedi,nullũ capitis vulnus de Hip.ſen tentia in de c.vul. leuiter contemni debere,cũ ſæpè cutis ſola contuſa ferro, aut aliqua alia re,ſi non diligẽter, & cum quadã cautione curetur, veluti ſi ſanguis concretus non expurgetur, aut aliud quiddam negligatur, vlcus incrudeſcens, non parum moleſtiæ exhibeat, & aliquando etiam febrem inducat, & medico quidem negotia, ægroto verò periculum non minus afferat, tantum abeſt, vt quæ alicuius eſſe momenti ab omnibus iudicantur,magnifacienda non eſſe exiſtimem,qualia ab eodem Hippocr. cenſentur,ſi caluariam, & cerebri membranas occupauerint, quæ ſi non diligenter medicus curauerit, *ſæpe*, inquit, *mortis,*
B *cauſa exiſtit*; Nihilo tamen addo præſentem vulneratum in tam euidenti,ac manifeſto vitæ diſcrimine neutiquam verſari, vt de vita illius deſperandum omnino ſit; id quod pronunciatum à me fuit, non ſolum,quia ſæpè viſi ſunt ex lethaliſſimis capitis vulneribus incolumes euadere,ſed etiam quia ſuaptè natura huiuſmodi vulnus non penitus inſanabile mihi videbatur, dummodo rectè omnia a medicis, tum chirurgo, tum phyſico peragerentur,& æger ipſæ bene monenti medico pareret. Hoc ipſum eſt, quod ſemper ego, audientibus omnibus, de ſauciato iuuene protuli, & ſi ad id probandum teſtibus indigeo; in teſtimonium voco chirurgum ipſum, eiuſdemque aſſeclas, vulnerati parentem,fratrẽ, & quotquot; dum ills medela parabatur, præſentes aderant; ſed inſtar omnium
C mihi erit Franciſcus Ingolus I.V.D. huiuſce Vrbis decus,& ſplendor, tã ſi morum integritatem, ac uitæ candorem quam ſi in quolibet ſcientiarũ genere prẹſtantiam, ac excellentiam ſpectes. Solum itaque quorundam cauſa aliquamdiu factum putaui, vt apud vulgum, & plebem ferè totam hæc diuulgata vox eſſet me ſcilicet omnino conualiturum patientem dixiſſe, cum è contra vulnerarius medicus omnino moriturum pronunciaſſet: ſed vbi rem intimius conſidero,ſecus ſe habere rem ipſam cognoſco,nimirũ à neſcio quo fonte expirare craſſiorẽ hanc aurum, quæ dignitatem meam obtenebret, ſuæ famæ, ac vtilitati non parum conſuli quidam iudicantes, vbi de mea apud vulgares, & rei medicæ ignaros detrahatur; vnde, & ſi huiuſmodi leuem ſatis, ac delebilem notam non cu-
D rare decreueram,tum quod ſummæ prudentiæ loco diſſimulatio habeatur, tum quia, *conuicia, ſi iraſcare, agnita videntur, ſpreta exoleſcunt*, auctore Tacito 4.annal. ne tamen in poſterum chirurghi extra ſuos limites ſe ſe efferant, aut ſaltem non indigne ferant alios, & phyſicos, & chirurgos ad curationem vocari, quibus cũ de agẽdis conſultatio habeatur, cohibere me non potui, quin palã omnibus rẽ, prout ſe habuerit, manifeſtã facerẽ. Hęc eſt, quod aliquis obijciat phyſicos appellatos ad vulnera non deſcendere, eo quod huiuſmodi morbi ad chirurgos tantummodo ſpectant, cõſtat.n.apud omnes illi medicæ artis mẽbro, quod cuilibet morbo accõmodata remedia opponit, *Therapeuticen* Græci appellant, inter cętera inſtrumenta, quibus ad ſuum opus ritè peragendum vtitur, illud

N 2 perquam

perquam vtile, & perquam neceſſariam eſſe, quod manuum adminiculo perficitur. Chirurgicum propterea nuncupatum, abſque quo reliqua vix eſſe poſſunt, nam *quæ mala*, inquit Hippocrat. *non ſanant medicamenta, ſanat ferrum, & quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat*; cuius quidem inſtrumenti ſcientia, ac Theorica ampla admodum eſt, infinitaque habet apodictica axiomata, quibus ceu fundamentis firmiſſimis innititur; ne quis putet eam adeo ieiunam eſſe, vt aliquot vnguentorum, ac emplaſtorum formulis, ſoloque manuum artificio, tuto licet, ac expedito, contenta ſit. Vnde merito a Celſo libr. 5. in prob. ita coniuncta hæc pars alijs duabus eſſe creditur, vt ab illis ex toto ſe iungi minime poſſit, & a Gal. 3. de compoſitione medic. ſecundum genera, hac de re ſcriptum ita legitur; *Medicinæ partes mutuam opem requirunt; tum quæ manu, tum quæ medicamentis, tum etiam quæ victu medetur; at illa præſertim quæ manu curat reliquis duabus indiget.* Hanc poſt Hippocratem tanti fecit Galenus, vt vbi opus fuit proprijs manibus exercere, quæ in illa docentur, omnino voluerit, præſertim vero in Aſia, in qua diſtincti artifices non erant, vt patet è libr. meth. 6. cap. vltim. quem qui deinde inſecuti ſunt primi cenſus medici tum Græci, tum Arabes, & Latini, hanc medicinæ partem mirum in modum excoluerunt. Ea propter nullum verè Chirurgum dixerim, qui idem verè phyſicus non ſit, quique in omnibus, quæ ad medendi facultatem ſpectant, Phyloſophorum Doctrina primo imbutus, diu, multumque non pernoctauerit, & qui denique exactam conſecutus non fuerit humani corporis partium notit am, ſine qua chyrurgia non minus mutila eſt, & claudicat, quam ſine Theorica praxis, ſine ratione experimentum. Hac præditus qualitate Chirurgus, non equidem video in quo a medico vocato Phyſico diſcrepet. Quinimo pars hæc, ſi eam Chirurgus cum via, & ratione exercet, alijs duabus longè antecedere videtur, cuius nimirum ope euidentiſſimi quotidie in noſtro corpore cernuntur effectus, quos vel ipſemet natura, ab Hippocr. 6. epid. ſection. 5. ſine doctore magiſtra in profligandis morbis, & his, quibus opus eſt, faciendis, appellata, & quæ ſæpe ſola medicamentis non adiuta interiores affectus depellet, promere neutiquam valet; luxatos enim artus non reponit, facta non dirigit, & coaptat, ſuperuacanea non excidit, & plura huius generis minimè pręſtat, quæ ſola Chirurgia duabus potiſſimum ſuis primarijs actionibus, quæ ſunt compoſitio, & diuiſio, vti ex Galen. patet in introd. ad miraculum ſæpiſſimè exequitur; ſed ne ſim longior in chirurgica parte extollenda, eiuſdemque ad ſuperandos morbos neceſſitate demonſtranda, dicatur ſolum quod ad rem noſtram facit, ex præmiſſis omnibus euidentiſſimè conſtare, Chirurgiam, ſi non ſpeciatim ſumatur pro ſimplici expedita manuum operatione, adeò neceſſariam eſſe Phyſico dicto medico, vt me iudice, illo nomine haud quaquam dignas cēſeri debeat, qui eiuſdem pręcepta nō tam prompte calleat, quā pharmaceutica, & diætetica. & phyſicam hodie ſic vocatam Chirurgis ita conuenire, vt qui in ea deficiunt, nullo alio, quam Barbitonſorum titulo inſigniri debeant. Ex qui-

A bus pariter infertur haud verum eſſe, quod perperam a multis traditur, vulneratos Chirurgis tantum ſubijci poſſe; niſi per Chirurgos vere tales intelligant, nempe etiam in Phyſica parte præſtantes; aut pſeudo chirurgos, qui ſola manuum vtuntur operatione, ſed Phyſicorum admonitionibus ſe ſe ſubijciunt. Quę cum ita ſint, & in curando capitis vulnere inter Chirurgum, qui tamen & Phyſicis principijs imbutus eſt, & me contentio orta ſit de ſede, aut parte potiſſimum vulnerata, de prognoſtico, & intentionibus, alterum de duobus verum ſit oportet, vel me in his quæ ad chirurgiæ theoricam ſpectant parũ eſſe verſatum, vel qui contrariũ tuetur non ad vnguem phyſicam partem, atq; chirurgicam tenere. Sed age alijs omnibus omiſſis, ante oculos ponere opus eſt, vulnerati iuuenis hiſtoriam, ex qua prædictorum veritas eluceſcet; ne dum progno B ſticum a me cum ratione factum fuiſſe, quicquid alij in oppoſitum deblaterent. Iuueni ergo, aut potius adoleſcenti, tertium enim adhuc ſupra vigeſimum annũ vix attigerat; temperaturæ calidæ, & humidæ cum vniuerſi fere corporis, tum præcipuè capitis, vnde & frequentibus catarrhis, ſeu coryzis obnoxius, & in articulanda voce non ita expeditus eſſe ſolebat, in cõtentione, in qua ad arma ventum eſt, inflictum vulnus fuit in capite propè verticem, ad lęuam tamen partem verſus aurem inter obelęam, & *ſquammoſam* vocatam commiſſuram; quod vulnus non modo craſſiorem cutim pericranium, & cranium ipſum occupabat, verum etiam, & duram meningem, vulneris oſculo rotundo, nec admodum hiãte, imò lentis formã, vel magnitudinem vix ſuperante. E vulnerato loco nulla fere C ſanguinis effuſio, nulla prorſus vnquam ex aliqua alia faciei parte. In patiente nulla corporis ſegnities, nulla mentis obtenebratio, aut rotomia, imo viriliter ſe tunc temporis gerens, ac ſi vulnus non accepiſſet, in locum medicationi opportunum ſe recepit, inde etiam in carcerem paucis ab infixo vulnere horis interiectis, ita iubente iudice ſuis pedibus profectus eſt, & ex carcere ad paternã domum non minori alacritate migrauit: eodem tempore veniunt ad me vulnerati frater, & barbitonſor, conſilium de euacuatione aliqua, & victus regimine petentes, quos primum diligenti examine interrogo, non de natura iuuenis, quæ mihi perſpecta admodum erat, ſed de vulnerato loco, & an alia pars vulnere, vel quauis alia læſione labefactata appareret, reſponſoque accepto de D loco iam deſcripto, nec non, & brachium ſauciatæ parti oppoſitum præpeditum motum habere, conſulo, vt quam primum acriori clyſtere iniecto, ad ſanguinis miſſionem deueniatur, è cephalica ſiniſtri brachij, vtpotè etiam quæ vulneri è directo reſponderet, & me tamen inſcio, ſanguis ex iam læſo brachio aufertur; triduo poſt vocor ad ægrotantem vbi, & chirurgus aderat, cui tota curatio credita erat, qui de terebrando cranio cogitat, cuius foramen ab enſe factũ parum idoneum ad expurgandã ſaniem iudicabat; Cum ab aſtantibus in re tanti momenti meam ſententiam deſiderari cognoſcerem, hæc ipſa verba protuli; quãdo ab eo, qui huiuſmodi vulnera nõ ſemel pertractat, vulneratę partis oſculũ exile, & anguſtũ nimis iudicatur, vt corrupti ſanguinis, & ſaniei exitus minus

mè pateat, accedente maximè, aut ruptæ ad intra venæ, aut contuſi oſſis ſuſpi- A
cione; nondum enim quicquam certi de cauſa lædente, aut per quid vultus fa-
ctum eſſet, haberi poterat, trepanum haud eſſe improbandum. Reſponſio fuit,
anguſtiſſimum eſſe foramen, & carnem, non oſſa contundi. Terebratione ita-
que peracta diſcedimus. Craſtina die iterum vocor cum alia de cauſa, tum etiam
quia epiphænomena quædam ſymptomata inſurrexerant, quæ tamen multo an-
tequam accederem, vno excepto, euanuerant. Fuere autem veluti ex Chirurgi
ore percepi, tenſio quædam vniuerſalis, balbuties maior, quam illi conſueta na
tura foret, delirium quoddam, & epiphora, ac veluti ophthalmia oculi eiuſdem
vulneratæ partis, quæ biduum perdurauit. Pulſus etiam velociores, & maiores
inuenti ſunt, quam alijs ante actis diebus, in quibus fere omnia concinne ſe ha-
buerant. Quarum rerum occaſione multa præſcripta fuere medicamenta, nimi- B
rum balani, & clyſteres vehementiores, ſyciç Suris, & homoplatis, cum frictio-
nibus, inunctiones medullæ ſpinali, & ſyrupi è cichoraceis ſimul, & capitalibus
parati. Septima die inclinante, rurſus, me abſente obſeruata ſunt accidẽtia præ-
dicta, vna cum aquei humoris ſanguineo colore ſuffuſi per os ipſum excretio-
ne. Sequentibus diebus nihil tale amplius viſum eſt, imo aut nullam, aut certè
perexiguam febrem pulſus indicabant, & illa brachij reſolutio iam penitus abie-
rat, abſq; ſiti prorſus erat, mente admodum vigili, & ſenſibus expeditis, ad ob-
lata ſemper ſe bene habens, imo de tenuiori victu medicorum cum omnibus,
qui ad illum accedebant, conquerebatur. Ante vndecimam diem cum aluus pi-
gra foret, & ægri corpus prauis etiam ſuccis copiosè ſcateret, ob regimen vi- C
ctus inordinatum, quo tempore ſanitatis in dies vti ſolebat, & quia demum in
capitis affectibus frequentes laudantur purgationes; vnde Hippocrat. lib. de
vlcer. cui Gal. 4. meth. cap. 6. & Paulus lib. 6. cap. 90. aſſentiuntur: *Purgatio uen-
tris deorſum pluribus vlceribus confert, & vulneribus, quæ ſunt in capite, & in uen-
tre, & articulis.* medicamentum purgans propinari iuſſi ex diacatholicone mel-
le roſaceo, & ſyrupo roſato ſolutiuis, in decoctione betonicæ, ſampſuci, & florũ
cordialium dilutis. Ex qua quidem purgatione melius ſe quotidie habere viſus
eſt, vt vndecima dies feliciſſime tranſacta ſit, & tunc eſſent qui ad naturæ robur,
& iuuenilem ætatem mutata ſententia confugerent, voluti eo tempore, & Pa-
tri, & mihi retulit Dominus Marcus Antonius de Inſildis vir nobilis, fide di- D
gnus, & vulnerati cõſanguineus. Imò SKenKij medicæ obſeruationes in medi-
cinam afferabãt, vt oſtenderẽt exemplo multorum, qui in illis ex varijs magni
nominis Chirurgis referuntur, prodigioſam eſſe ſanationem. Pari cum felicita-
te 12. 13. & 14. dies pertranſierunt; Vrinæ vſq; in vndecimam diẽ paleares, &
ſanorũ vrinis prorſus ſimiles, ab ea die in conſiſtentia paulo tenuiores, in colore
vero potius cãdidæ. Adcãtur mõ ſigna a vulnere depropta, quæ ad extremum
vſq; diẽ ſpẽ ſalutis indubitatã vndiq; oſtendebant. Labia n. vulneris nõ erant,
ſqualida, depreſſa, flaccida, & mali coloris, qualis eſſe ſolet ſaliuę carnis, ſed, vt in
nõ lethalibus, & non periculoſis ſubdura, & tumida mediocriter, abſq; inflãma-
tione,

A tione,& viui coloris. Sanies, quæ inde reſudabat, copioſa per dies multos fuit, in colore,odore,& cõſiſtentia, nullã præſeferẽs malã qualitatẽ, vnde in ore Chirurgi,& aliorũ nil magis frequẽs hiſce verbis. *Habemus ſaniẽ ſatis laudabilẽ*. Prope 14. diem, quæ per oſcula tam ab enſe, quam a trepano facta exibat materia, pauca admodum erat, & nullam cum ſanie ſimilitudinem habebat; erat enim lactei prorſus coloris,& nullius fętidi odoris. Decimaquarta die mane ad ægrotantem me confero, cuius faciem valde mutatam obſeruo, dumque de antea acta nocte ipſum interrogo, ſtatim non ſedato animo, vti ſemper antea, ſed irato prorſus reſpondet, neſcio quid intra vulnus fuiſſe impoſitum, cuius gratia peracerbum dolorem tota nocte illa in parte paſſus eſt, vt ſomnum, cui natura deditus erat,& quo alijs noctibus ſanorum more vſus ſemper fuerat, ſuis oculis nõ
B viderit, & faſciam de loco tollere coactus fuerit. Spongiam id fuiſſe ſubiungit frater a Chirurgo ideo impoſitam, vt, ne vulneris labia coaleſcerent, impediret. Hac nouitate territus diſcedo non amplius reuerſurus. Circa veſperas eiuſdem diei venit ad me frater, cui inter alia illud impono, vt alterum Medicum meo nomine admoneat, ne, ſi fieri poſſet, ſpongiam illam denuo intromittat, quod tamen a Chirurgo aſſequi non potuit, illius vſum ſummis laudibus extollente. Ea propter ſubſecuta eſt nox ante acta multo grauior, ſine ſomno, cum dolore immenſo, vt mane nobis accedẽtibus patiens ira percitus cõtumelioſa verba in nos ipſos effuderit, nolletque amplius a nobis curari, & cibum quoque ſumere truci vultu, more iratorum, recuſabat. Vnde in deterius prolapſam rem videns
C carpum arripio, & arteria contrectata, febrem grauiorem ſuperueniſſe cognoſco, & mihi de dolore vulneris interroganti, reſpondit illico ex eadem cauſa multo peius ſecum actum fuiſſe, quàm præterita nocte. Ab illo autem die mutata ſunt omnia in deteriorem conditionem; inuaſit enim Iuuenem altus quidã, ſiue profundus ſopor, lethargo affinis, a quo expergefieri vix poterat; adaucta febris eſt, cum frequentibus oſcitationibus, & pandiculationibus; & ſudores etiam cum leui refrigeratione obſeruati ſunt vſque in vigeſimam diem, quæ illi fatalis fuit. Ad incipientem ſoporem interpellandum acriora primum ſuppoſitoria ex puluere trociſchorum alhandal,& ſalis gemmæ ſuppoſita fuere,& frictiones iterum infernis in partibus factæ ſunt, & ligaturæ, adhibitæque cucur-
D bitulæ ſine ſcarificatione; cumque nihil vtilitatis afferrent, & vitalis virtus valida perſeueraret, Phœnigmos cruribus apponi mando, vt nihil quod ad meam partem ſpectabat, intactum relinquerem, Celſi præceptum ſecutus lib. 2. c. 10. *In magnis morbis ſatius eſt anceps auxilium experiri, quàm nullum*. Sed omnia hæc fruſtra fuere tentata. Propoſita igitur vulnerati, ac defuncti Iuuenis hiſtoria, ſupereſt, vt ad omnia illa, quæ controuerſa inter nos fuerunt, diligentius expendenda, meum ſermonem conuertam. De tribus itaque potiſſimum, in quibus tota curationis ſumma conſiſtit, inter Chirurgum, & me orta contentio fuit. Primum de vulnerata ſede, aut parte interiori capitis, cum ego neque piam meningem, neque cerebri ſubſtantiam medullarem ſauciatam eſſe dicerem; contra ipſe adeò clarè conſtare vtramque partem eſſe inciſam, vt vel a primis diebus

cerebri

cerebri ſubſtantia per vulneris oſculum exiret, ex quo mãnauit alterum, ſiue ſe- A
cundum de præſagio, & euentu, affirmante Chirurgo, Iuuenem intra paucos dies omnino moriturum, cum ipſe non penitus eſſe diſperandum exiſtimarim. Tertium ad curationem, ac topica remedia ſpectat, de quo poſt alia agendum a me erit. Pro ſua parte Chirurgus nihil aliud afferebat, niſi quod cerebri corpus iam in fruſtula quædam abiret, quod ego ſemper conſtanter negaui: Fuit hoc autem in controuerſia poſitum, altero a trepano die, cum ipſe craſſiorem quandam ſaniem ſubcruentam inſpexiſſet; quæ tamen argenteo inſtrumento quo vtebatur, vix tacta diffluebat, quod medullæ cerebrali, vtpotè compactæ, non tam facile euenit. Medullæ ſiquidem, quæ in oſſium cauernulis continetur, haud quaquam ſimilis eſt cerebri medulla, vti ex Gal. patet 1. de motu muſculorum; ſed altius rem hanc trutinari oportet. Vbi igitur quis in capite vulneratus B
fuerit, ſtatim de mente Hipp. in initio lib. de cap. vulneribus. Sciendum a medico eſt, per quid nam vulneratus ſit, deinde quid homo fecerit cum vulneratus fuit, poſtea qua parte vulnus inflictum fuit. De quibus quidem cur aut ægrotũ, aut alios interrogari opus ſit, omnibus in arte verſatis haud ignotum eſſe ſcio; nec ego in his longius immorabor, ſed ad illud, quod pro mea ſententia tantopere facit, nunc ſtatim deſcendo. Perſpecto ſemel, & bis cranij foramine circulari, magnitudinis grandioris lentis, ſub quo cerebri motus non obſcurè cernebatur: de cauſa lędente conſanguineos interrogo, ideò parens Iuuenis Ingolum prædictum, me, & alios in cubiculum conuocat, & enſem oſtendit, cuius illicò ſubſtantiam, pondus, & figuram obſeruo, veluti poſt Hipp. Chirurgiæ profeſ- C
ſores faciendum omnino imperant. Nam ſubſtantiæ teli durities ad augendam noxam plurimũ poteſt, quam mollities imminuit. Pondus quo grauius, eo maius periculum fiſſuræ, colliſionis, & effracturæ ſignificat, in leuiori contraria omnia. Quod denique figura acuta eſt, carnem, & os incidit, retuſa collidit, findit, deprimit: *In vniuerſum*, ait Gal. lib. 5. meth. *Secant, quæ acuta ſunt, collidunt quæ grauia, duraque abrumpunt omnia, cum vehemens ictus fuerit; idem facit caſus ab alto, vel graue quippiam, durumque incidens*. Video itaque oblongum eſſe telum, non ponderoſum, forma quadrangulari, angulis tamen duobus inuicem oppoſitis latioribus; & duobus alijs multo humilioribus, in apicem tandem deſinentibus, ſed modicè obtuſam, breuem, & non in mucronis formam ſeſe elongan- D
tem. Argumento igitur a telo ipſo deprompto, & craſſitiei caluariæ, & foraminis in ea exiſtentis habita ratione, non ego ſolum, ſed quotquot aderant, vnanimiter affirmabant ſe vix poſſe credere, vt ad ipſam craſſiorem meningem, quæ cranio adhæret, pertingere vulnus poſſit, ne dum altius deſcendere ad cerebri corpus. Confirmor eo magis in mea ſententia, quo, & ex ſenſu, & Anatomicorum libris abundè conſtat, cerebrum pia matre inuolutum, a dura meninge quàm longe diſtare, quæ propterea affici per ſe ſola poteſt; id quod etiam notauit Iacotius lib. 1. coac. prænot. ſect. 3. aph. 15. Eidem argumento innixus Pereda in ſuis ſcholijs ad Paſchaſij methodum medendi cap. de Phrenitide, ſumma cum ratione, vt mihi quidem videtur, Velleſium notat, eo quod ſcripſit li. 5.

Epid.

A Epid. poſſe eſſe inflammationem in cerebro ſine delirio, ex eo quod in fracturis
capitis viderit inflammatione exiſtente in dura meninge, hominem non delira-
re: *inflammatio enim* inquit paulò ſupra Pereda. *poteſt eſſe in cerebro, & membrana
tenui: quæ duæ partes adhærentes, cum ſint, affectiones ſibi communicant: quod non eſt
dicendum de dura meninge, quæ cum ſeparata ſit, ſola poteſt affici, neque cerebrum ei
conſentire.* Addo inſuper tanto magis hoc veriſimile fieri, quanto vulnus non in
ſincipite in quo ſub tenuiſſimo oſſe, & modica carne cerebrum iacet, ſed prope
verticem, cuius partis os omni capitis oſſe robuſtius eſt, & ampla carne obtegi-
tur, quod propterea minus rumpitur, difficiliuſque contunditur, eodem Hip-
pocrate auctore. Quinimmo paucius etiam cerebrum illa parte eminentiori
ſubeſt, non plurimum, vt circa ſinciput. Illud vnum tantummodo hac in re me
B dubium aliquantiſper tenuit, quod vulneris oſculum aciei enſis formæ minime
reſpondebat, ſed illa in vulnerato cranio rotunditas orta eſt forſitan ex brachij,
& conſequenter etiam teli motu in gyrum facto, dum telum ipſum in oſsis du-
riciem impegit. Poſt hæc ad accidentia, quæ in vulneribus capitis pro varietate
partium laeſarum de communi omnium medicorum conſenſu oriri conſueue-
runt, mentis aciem dirigo, non ignorans quod Ariſt. 1. de Anima tex. 2. tradit,
accidentia nimirum *magnam partem conferre ad cognoſcendum ipſum quid eſt*: &
poſt eum Galenus 3. de Criſib. *ex accidentibus naturam morbi optimè deprehendi.*
Ex quibus non difficulter intelligo, neque piam matrem, neque cerebrum ip-
ſum vulnere affici. Quis enim vidit vnquam meningem illam gladio inciſam,
C quin aut ex vulnerato loco, aut per nares, aures, aliamue capitis partem ſanguis
copioſè exeat? Venis etenim membrana illa abundat, ex qua etiam in vniuer-
ſum cerebri corpus deducuntur; qua ratione *chorotides* ideſt ſecundina vocatur;
neque enim verum eſt, quod de venis in cerebro ſcripſit Ariſtoteles 1. de Nat.
anim. cap. 16. ſub his verbis: *Cerebrum omnibus priuatum ſanguine eſt, nec venam
intra ſe vllam continet, & ad tactum frigidum natura exiſtit.* Propterea Celſus
lib. 5. c. 26. inter ſigna vulnerati cerebri, aut membranarum ſanguinem per na-
res, vel aures exeuntem refert. Sed hoc in vulnerato nulla prorſus hemorrhagia
viſa vnquam fuit. Et quoniam pia mater non ſolum cerebri corpus tangit, ac
circumueſtit, ſed in omnes quoque eiuſdem membri ſinus ſeſe inſinuat, merito
D creditur in ea fieri vix poſſe vulnus, niſi & cerebrum vulneretur. Quare cere-
brum etiam fuiſſe vulneratum affirmabat, qui tenuiorem membranam a telo
inciſam arbitrabatur, imò ſubſtantiam medullarem exire ſe vidiſſe, mihi, & alijs
perſuadere conabatur; Cui tamen ego ſemper reluctari non deſtiti, cũ nullum
ſymptoma in iuuene appareret, quod huic aſſertioni fidem faceret, ne dicam,
quòd pariter a cauſa laedente huiuſmodi opinio abunde refellebatur; nam ſi,
vti iam oſtendimus, dura mater vulnerari vix potuit, quæ cranio proxime ſub-
iacet, quomodo pia longe diſtans eodem vulnere læſa eſt, & cum ea cerebrum?
Huius enim membri ſubſtantiam tenui membrana ſuccinctam a cranio, & du-
ra matre, quæ illi potiſſimum per villos alligata adhæret, manifeſte abſcedere,
ſeu diſtare neceſſarium omnino fuit pro motu, qui per diaſtolem, & ſyſtolem
efficitur

efficitur, veluti a corde pericardium; & licet medijs quibuſdam venarum, arte- A
riarumque ſurculis ab vna in alteram porrectis ambæ illæ meninges cohærere
videantur nihilo tamen hoc adeò laxè efficitur, vt cerebri impulſus minimè im-
pediatur; Vnde etiam ſi ſpecillum aliquantiſper deſcendebat, non inde propte-
rea arguendum erat, vulnus meningem tenuem, & cerebri ſubſtantiam corripo-
re. Cerebrum enim nemini ſauciatum etiam leui vulnere aut legi, aut audiui vn-
quam, quin illico, aut paulo poſt timenda alia ſimptomata orta ſint, nempe ca-
ſus, vomitus, vertigo, obcęcatio, obmuteſcentia, febris, delirium, rigor, paralyſis,
conuulſio, ſopor, inappetentia, & conſimilia, quæ quidem vel ſimul omnia, vel
maiori ex parte cerebro læſo inſurgunt, & medicis negotium, vulneratis autem
periculum non vulgare affert. *Quibuſcumque cerebrum præciditur, ijs neceſſe fe-
brem, & bilis vomitum ſuperuenire*; ex Hipp. ſententia lib. 5. aph. 50. An quia pre- B
ciſo cerebro ſuperuenit inflammatio, quam febris ſubſequitur non ſimplex, aut
blanda, ſed acuta, & intenſa valde, & permoleſti etiã rigores corpus vniuerſum
conquaſſant, ſiue fiant acri quapiam ſanie membranas vellicante, ſiue coacto in
intima ob inflammationem calore; At in Iuuene febris per quam placida erat,
quãuis a quarta die vſq; ad ſeptimam aliquantulũ maior fuerit; & rigores in eo
nunquã viſi ſunt. Bilis inſuper vomitio fere ſemper apparet, de qua idẽ Hip. in
Coac. prænot. li. 1. ſect. 3. aph. 13. in hunc modũ ſcribit. *A vulnere bilis vomitio
mala, maximè in capite*; cuius rei cauſam eſſe ſtatuũt medici mutuũ ventriculi, &
cerebri cõſenſum propter neruorũ a cerebro ad os ventriculi deſcẽdentiũ inſi-
gnẽ magnitudinẽ, per quos ẽt ſenſus huic parti magis quã vllæ alteri noſtri cor- C
poris exquiſitus eſt. An ab hac eadẽ cauſa fit, vt qui in interioribus capitis parti-
bus vulnerati ſunt, in ijs ciborũ appetẽtia quã ſummopere proſternatur? appe-
tere n. ad os vẽtriculi maxime ſpectat, ſed hoc in iuuene nullus vnquã bilis, aut
alterius humoris vomitus viſus eſt, imò neq; nauſea, & ad oblata nõ ſolũ prom-
ptè ſe ſemper habuit, quod ab Hip. li. Aph. 2. aph. 33. inter ſigna fere certa recu
perãdæ ſalutis reponitur, ſed nos ẽt quotidie rogabat, vt alimẽta liberalius cõce-
deremus, addens a fame, non a vulnere necari; Nec obijciat nobis aliquis, prõ-
ptitudinem ad cibos, qui afferuntur, indicare tantum ſana, quæ ad ventrem atti-
nent, & hepar, & cor ipſum, velut ex Gal. in com. allati aph. probari poſſe vide-
tur; nam de cerebro quoque bene, maleue ſe habente inde coniecturam inire D
poſſumus, quemadmodum ex mutuo per neruos conſenſu iam probaui. Scribit
enim ibidem Gal. *Conſtare mente, & appetitum permanere, bonum eſt ſignum in
quouis morbo, quadam namque non in omni bona ſunt, vt ipſe conſueuit nobis ſignifica-
re inquiens: Spirandi autem facilitatem putare oportet valde magnam habere vim
ad ſalutem in omnibus morbis acutis. Quod autem conſtare mente bonum ſit ſignum,
ex iſto cognoſces. Quæ ad cerebrum attinent, atque membranas, & ſpinalem medul-
lam, nec non & ſeptum tranſuerſum, & omnino partes neruoſas, quæ præſertim ſunt
iuxta cerebrum, ſana eſſe omnia ſignificantur, ex mentis conſtantia, ſicuti & quæ ad
ventrem attinent, & hepar, & cor ipſum vbi adeſt promptitudo ad cibos, qui offe-
runtur*; Concludens verò hæc ſubdit verba. *Cum autem hæc omnia robuſta ſunt,*

non

A *non parua ſpes de ægroti ſalute haberi poteſt*. Quæ ſanè cum in præſenti iuuene ob-
ſeruarentur, vt ſpem aliquam de non infęlici a morbo euentu conciperem effe-
cerunt. *In capitis ictu*, inquit Hipp. 7. aph. 14. *obſtupeſcentia, & deſipientia malum*.
Horum neutrum in vulnerato vidi vnquam; ſemper enim rationi conſentanea
agebat, & loquebatur, nec viſus eſt apertis oculis quietus manere ſimilis ijs, qui
ex timore attoniti ſunt, quæ quidem niſi cerebro bene ſe habente haud poſſe
fieri manifeſtum illis eſſe puto, qui in eo animæ principatum ex Gal. mente re-
ſidere non ignorant. Adde ex eod. Hipp. aph. 24. eiuſdem lib. *In oſsis præciſione
fieri deſipientiam, ſi in vacuum apprehenderit*, eſſe nimirum, quod in capite eſt, prę-
ciſo vſque ad interiorem ſuperficiem, quam vacuus excipit locus, qui cerebrum
continet, eò quod paſſio proxima tunc exiſtit membranis, & cerebro: Quæ de-
B ſipiētia cum in Iuuene minimè fuerit, merito aſſeri poſſe videtur, vulnus etiam
ſi vacuum capitis apprehenderet, & ad interiorem ſuperficiem perueniret, non
tamen cerebri ſubſtantiam attigiſſe: Quibus in hunc modum ſe habentibus, an
vulnus ad cerebri inuolucrum; & ſubſtantiam penetrauerit, vel rudi iter in arte
verſato dijudicandum relinquo. Sed videor mihi audire, qui ſymptomata quar-
tæ diei, & ſeptimæ obijciat, præter oppoſiti brachij momentaneam paralyſim,
quæ non longè poſt inflictum vulnus apparuit, quaſi ex ijs cerebrum ſauciatum
eſſe certo demonſtretur. Veruntamen cum accidentia illa communia ſint ce-
rebro, piæ, & duræ matri, non erat illico pronunciandum a cerebro vulnerato
pendere, atque eo magis, quo citiſſime euanuerunt, nec amplius reuerſa ſunt.
C Inditio enim fuere manifeſto cerebrum conſenſus gratia, & per ſympathiam il-
lamet pati, non per ſe, ac ex primaria dicta læſione. Quomodo autem craſſiori
membrana vulnerata paralyſis in parte ſauciatæ oppoſita contigerit, neruorū-
que diſtentio, & pſeudo delirium, ita namque vocari debet cum non perſeuerat,
& ægri denuo rectè, vt antea, ratiocinantur, loquelæ impedimētum, veluti vul-
nerati lateris oculi inflammatio, non eſt cur longiori ſermone hoc in loco oſtē-
dere aggrediar; Ita enim volumen, non diſputationem conficere velle viderer,
cum præſertim abundè nota ſint omnia ex anatomica diſciplina. Clamabit de-
nique alter me dignū eſſe pęna ſenſus, qui ſenſum nego, qui ex Ariſt. 1. de gen.
& corr. tex. 58. & 2. de Anima 63. *in proprio obiecto decipi non ſolet*, & in morbis ex-
D ternis rationes omnes antecellit. In quę ſenſum dictū puto ab Hip. 1. de dięta;
Oculis magis credere oportet, quàm opinionibus; Nam cerebri ſubſtātiam exeuntem
Chirurgus ſe vidiſſe vel in ipſa quarta die affirmabat, quam rem ego audiens, &
in non leui errore hominem alioqui oculatiſſimum verſari ob iam allatas ratio-
nes animaduertens, moneo ipſum, ne tam conſtanter de re incerta, & contro-
uerſa loquatur, quoniam maximè contingit, vel in arte præſtantes ſæpiſſimè ob
ſimilitudinem decipi, ac falli, vt apertè docet Hipp. 5. Epid. Addens ex Chirur-
giæ primatibus, imò ex ipſomet Gal. 1. de locis aff. in nōnullorū, capitis vulne-
ribus craneo fracto ex humorum affluentium denſitate ab oſſis, & aeris quoque
frigiditate genita, adnaſcentias quaſdam interdum apparere, quas multi fungos
nominant, quos vbi vident Chirurgi, ſubſtantiam cerebri eſſe putant. Vnde nō

grauabor

grauabor hoc in loco referre Ioannis Langij viri in vtraque parte celebris the- A
ma quoddam Chirurgicum ad Amicum exaratum, in quo de hac re breui, & do-
cto ſermone ſic loquitur: *Petiſti a me certior fieri, quare fungos in vulneribus ca-
pitis naſcentes non inter fracta caluariæ ſimptomata enumerauerim, cum tamen Gal. in
1. lib. de l. aff. eos non obticuerit, dum ex agnatis, vt ait, aliquando locus affectus quoque
cognoſcitur; agnatæ enim ſubſtantiæ proprietate participant, quemadmodum in capitis
fractura fungi, quando membrana cerebri meninx græcis dicta læſa fuerit, & patitur.
Simul quoque oras, vt quales hi fungi ſint tibi declarem; Nihil certè tam arduum, mo-
do ſit noſtræ opis, noui, in quo non libenter tibi obſecundarem, ob id & in hoc libens tua
iuſſa capeſſam; Primum quod fungorum non memini, id a me dedita opera factum ſcito.
Non enim apertæ crancı fracturæ, & vlceris ſymptomata, ſed cæca, & occultæ acciden-
tia recenſere libuit, in qua raro, vel ferè nunquam fungi naſcuntur. Quemadmodum* B
*ſanè in ſtipitibus arborum humores ſemiputridi per corticem extuberantes in fungos
coaleſcunt, ſic vulnerato cranio humores cerebri affluunt, qui teſte Alex. Aphrod. lib. 2.
probl. 86. oſſis frigore condenſati, in ſpeciem fungi concreſcunt, qui in ſuperiore parte am-
pliuſculi, infra verò prętenues pro ratione loci perficiuntur; Vnde Gal. lib. epid. 3. ait
Denſitate humorum tales in vulneribus adnaſcentias efficiente, quos multi fungos ap-
pellant, quos cum noſtrates Chirurgi in capitis vulneribus enatos vident ſubſtantiam
cerebri eſſe arbitrati, aut ægros tanquam deploratos relinquunt, aut ſi fortè fortuna eos
curauerint, vulnera cerebri ſe ſe curaſſe, tantillumque de cerebro fractum exemiſſe glo-
riantur. Quid igitur ſint fungi, & qua ratione in vlceribus quoque naſcantur te intel-
ligere puto, vale.* Problema verò Alex. tale eſt; *cur membrana cerebri pleniore vul-* C
*nerata oriri per ſuturam ſolent, quæ fungorum nomine appellamus? Quia vapores, qui
ex cerebro aſſiduè proficiſci, digerique per rimas conſueuerunt, diſiecto iam oſſe, amplo-
que patefacto itinere effluunt vniuerſi, oſſique gelido occurſantes concreſcunt, & ſpe-
ciem fungi capiunt, quippe qui ſupra ampliuſculi, infra prætenues, videlicet loci ratione
perficiantur.* Ne igitur in errorem conſimilem ex Langio notatum lapſus eſſet
Chirurgus noſter propter ſimilitudinem, ab initio ſuſpicabar, ſed vbi propius
ad vulnerati caput, dum illi medicamenta adhibebat, accedo, rogans, vt cerebri
ſubſtantiam indicet, inde ſtatim cognoſco eum multo magis decipi (aut ipſe to-
to aberro cęlo) quam qui a fungis interdum falluntur; oſtendit enim mihi fru-
ſtum quoddam ex ſanie, & ſanguine concretum ad grani tritici magnitudinem, D
quod ferro tactum, illico diffluebat. Num verò ita fluxilis ſit cerebri ſubſtantia,
iudicent omnes, ego quidem obiecta longè remota præ uiſus imbecillitate non
admodum clare dignoſco, ſed proxima tam clarè, quàm quiuis alius. Meus ergo
ſenſus hoc in ſubiecto deceptus nõ eſt. Hæc itaque partim ad diagnoſim, partim
etiam ad prognoſim; quæ mox ſequuntur, ad prognoſim tantum; quis enim vn-
quam vulneratum in capite moriturum ita conſtanter affirmare auſus eſſet, cui
præſertim non modò vulnerati cerebri ſymptomara minimè ſuperuenerint, vt
iam oſtendimus, ſed in quo etiam nullum malum ſignum in vulnerata parte
exortum adinuenietur? Magni etenim refert ad rectam præſagiendi rationem in
vulneribus non ignorare, quæ a vulneribus ipſis hauriuntur conditiones; Hac

enim

A enim de cauſa dictum fuit ab Hipp. 1. progn. 25. *Nec verò ignorandum an vlcere, vel ante morbum, vel in ipſo morbo nato laboret; Nam ſi æger moriturus eſt, liuidum, & ſiccum, aut pallidum, & ſiccum ante euadet.* Quem locum latinus Hipp. ita vertit lib. 2. *Vlcus, quod aut ante, aut in ipſo morbo natum eſt, aridum, aut pallidum, aut liuidum factum eſt;* Idem met Hipp. lib. 7. Coac. præn. ſect. 2. aph. 26. *Vlcus*, ait, *liuidum, & ſiccum, aut cloron redditum, lethale eſt:* & 7. aph. 2. *In oſſe ægrotante caro liuida malum eſt;* Præterea lib. 5. aph. 66. *Si in vulneribus prauis, & fortibus tumor non appareat, ingens malum.* Et Celſus lib. 5. nimis intumeſcere vulnus periculoſum eſſe ſcribit, vt nihil intumeſcere periculoſiſſimum. Quamobrem verò vulneris ariditas mali præſagij indicium ſit, docuit nos Gal. 1. progn. 25. & 1. aph. 22. è quibus locis facilè intelligitur vulnerum ſiccita-
B tem ob imbecillitatem illius potentiæ prouenire, quæ noſtrum corpus alit, ac manutenet, necnon maximum vlceri ſignum ad ſecuritatem eſſe vbi pus generet, (*Nihil enim*, ait, *mali poteſt aduenire vlceri pus generanti*) Atqui præſens, de quo agitur, vulnus ad extremum ferè vſque diem non mala ſanie madidum ſemper obſeruatum fuit. Et vſque in vndecimam diem copioſa etiam fuit, qua tranſacta; minori in copia apparere incepit, non quidem propter vel cerebri, vel meningum inflammationem, ob quam innatus calor ad intima coactus, vulnus ipſum omni prorſus humore deſtitutum relinquit, vt nec propter intenſam, & aſſiduam febrem, quæ cum naturalem, tum aduentitiam humiditatem abſumere ſolet. Nam vtraque carebat patiens noſter, veluti
C ex corporis nulla prorſus inquietudine, nulla ſiti, nulla mentis alienatione, cum tam magna ad cibos deuorandos promptitudine argui facilè poteſt. Auic. quoque fen. 4. tract. 3. 1. puris inopiam condemnat, ceu indicantem abolitionem ſuppurantis innati caloris, & cuius penuriam refrigeratio, ſphacelus membri cum extinctione ſequitur. Nullam præterea liuorem, qui natiuum calorem extinctum nobis indicare ſolet; hoc in vulnere fuiſſe norunt optimè omnes, qui dum curatio fiebat, præſentes aderant. Nam ſi de labrorum vulneris colore ſermo habetur, rubeus, & floridus, ſi de oſſis, & membranæ albus vtique, & nulla prorſus denigratione commaculatus apparebat. Tumor quoque labiorum vulneris mediocritatem quandam præſeferebat, vt neque
D magnæ inflammationis, neque corporis emortui indicium nobis eſſet. Illud enim contingit in vulneribus nimium extuberantibus, hoc autem in non intumeſcentibus. His ergo omnibus rationibus adductus vſque in decimam quartam diem mordicus defendi propoſiti adoleſcentis vulnus haud penitus eſſe lethale, cum alij huiuſce modi præſagiendi rationem tamquam temerè initam irriderent; ſed quàm prudenter, & ex arte id efficerent, lectoris iudicium erit. Quinimò hoc etiam dato, ſed non conceſſo; quod vulnus ad cerebri corpus penetraſſet, cum tot bona ſigna in ægrotante reperirentur, nullus profecto Chirurgus, qui etiam ſola vtatur experientia abſque doctrina, de tali vulnere omnino deſperandum eſſe dixiſſet, atque eo magis, quo ſcimus infinitos

propemodum ad cerebri vſque ventriculos fuiſſe vulneratos; & non paucos A
cerebri ipſius ſubſtantiam ex vulnere illato amiſiſſe, vita tamen ſuperſtite.
Vnde Gal. 6. aph. 18. *Cerebrum*, inquit, *vulneratum ſæpe ſanatum vidimus, ſe-
melque in ſmyrna Ioniæ, viuente adhuc præceptore Pelope; e vulnere eſſatu digno;*
Quod tamen rariſſimum eſſe ſubiungit, veluti adoleſcenti contigit, cuius etiam
meminit 8. de vſu partium 10. qui vulnere in alterum ventriculorum exterio-
rum ſuſcepto, non tamen obijt. Multoties enim nobilia membra fauciata
ſupra ſpem mirabiliter ſeruata fuere, vt ait Paul. lib. 6. cap. 88. &, ne a cerebro
diſcedam, Auic. prima tertij tract. 3. cap. 14. (*In vulneribus*, inquit, *peruenien-
tibus ad panniculum cerebri accidit laxitas in latere vulnerum, & ſpaſmus in op-
poſito eius, & cum inciſio non peruenit ad ventres, ſed ad terminum velaminis ſub-
tilis, eſt magis incolumis; cum verò peruenit ad cerebrum, apparet febris, & vo- B
mitus choleræ, & non eſt ex eis, qui ſanentur, niſi rarò.*) Cuius ſummi viri aucto-
ritas quantum meæ ſententiæ faueat, non eſt cur pluribus oſtendam, nam &
aliquando cerebri vulnera ſanari ſignificat, & eo membro ſauciato febrem non
mediocrem, (ita enim intelligendus Auic.) ſuperuenire, & bilis vomitum, quo-
rum neutrum in vulnerato iuuene viſum eſt. *Muſa*, inquit, Iacotius lib. 1. præ-
not. ſect. 3. *duorum meminit, quibus abſciſſa parte cerebri ſalus, ſed ſtupidi man-
ſerunt, Alter capitis ferè dimido cum ſua cerebri portione ablato, non intelligebat,
mutus erat, ſine voluntate meiebat: edebat tamen quod indebatur in os. Alter, cui
tanta ſubſtantiæ cerebri portio abſciſſa fuit, vt oui gallinæ magnitudinem æquaret,
triennio ſuperuixit ſtupidus, ineptus, ſine voce.* Guido quoque ſe quendam C
vidiſſe affirmat, cui ex vulnere parte capitis poſtica accepto, parua quædam
portio ſubſtantiæ cerebri exierat, vt ex memoriæ læſione cognitum eſt, &
tamen is a tali vulnere conualuit, reſtitutaque eſt illi ex integro poſt curatio-
nem memoria, non tamen aſſerit illum ſuperſtitem permanere potuiſſe,
ſi totus ventriculus per vulnus exijſſet, vt de quodam Cellario refert Theo-
doricus. Idem auctor in comm. eiuſdem operis aph. 3. *Nos certè obſeruauimus
quibus cerebri partes ſauciatæ eſſent, alios repentè mortuos: alios ſeparatos, cruen-
tatis etiam auribus, & naribus diu manſiſſe, tandemque euaſiſſe. Quendam Are-
latæ cum diu obmutuiſſet, crebriſque conuulſionibus prehenſus ſupremum, vt vi-
debatur, diem conficeret, ſubitò è lecto noctu exilientem, ac furore percitum in eos, D
qui aderant, impetum feciſſe, proſtratiſque alijs, cum franciſcano valente, & ner-
uoſo diu pugnis, vnguibus, calcibus certaſſe, quem fruſtra cæterorum opem im-
plorantem, ita miſeris tractauit modis, vt arrepta primum cruce, deinde matula-
fuſte, ferro etiam incredibili vi è feneſtris detracto hominem non ſine eiulatu
penè oppreſſerit, ac certè ſublato lapide quadraginta pondo tandem oppreſſiſſet, niſi
franciſcanus in ſumma deſperatione collectis viribus ictum grauem ægri pudendis
impegiſſet, quo ille humi concidit. Hic tamen præter opinionem noſtris auxilijs adiu-
tus tandem conualuit.*) Iacobus Berengarius in Bononienſi Gymnaſio olim
Chirurgię profeſſor non in celebris, in tract. de cranei fractura; hęc habet verba.

Credo

A *Credo ego mihi ipſi & fateor quod vidi vſque ad hunc diem ſex homines, a quibus no-*
tabilis quantitas medullæ cerebri exiuit, & ſanati ſunt. De quibus aliqui non poſt mul-
tum tempus mortui ſunt apoplectici; Aliqui eorum, maxime duo ſemper paſſi ſunt pa-
ralyſim vnius lateris, tamen vixerunt per duos annos. De quibus tres vidi, & cura-
ui in terra Carpi, etiam dum eſſem ſatis Iuuenis, & pro ætate non fui deceptus, & ha-
bui fideles, & peritos Phyſicos in ſocietate, a quibus in prima, vel in ſecunda viſitatio-
ne ego extraxi a labijs vulnerum magnam cerebri partem, quæ ex ſe exierat cranium.
Fallopius cap. 45. de cur. vuln. cap. *Poteſt,* inquit, *egredi cerebrum in magna quan-*
titate, & ſtare vita, ideo non relinquatis ægros. Multa ſunt exempla a Gal. a Carpo,
& a multis alijs propoſita. Ego etiam mirabilia expertus ſum. Qui pariter in comm.
ad Hipp. lib. de cranij fractura, exempla affert de cerebri grauiſſimis vulneribus
B ab eo curatis. Tandem Nicolaus Maſſa Venetus tom. 2. epiſt. 11. de Alphonſo
quodam Bononienſi in eadem parte, qua noſter hic Iuuenis, vulnerato, ita ſcri-
bit, *Percuſſus fuit cum enſe in parte ſiniſtra capitis inter ſuturam ſagittalem, & men-*
doſam, cum inciſione non ſolum oſſis, & membranarum ſed etiam inſignis quantitatis
ſubſtantiæ cerebri, etenim vulnus erat ad longitudinem vnius digiti cum dimidio, ita
quod manifeſtiſſimè ſubſtantia cerebri inciſa inſpiciebatur, & digito tangebatur: Cum
ſuperuenerunt accidentia omnia mala mortem, & interitum atteſtantia, vt eſt febris,
rigores, paralyſis lateris oppoſiti, alienationes continuæ, qui tandem Domino auxiliante
euaſit noſtra rationali adminiſtratione regiminis, & medicinalium medicamentorum.
Si itaque tot clariſſimorũ virorum exemplis, & oculatis obſeruationibus abun-
C de omnibus conſtat, etiam grauiſſima cerebri vulnera non raró perſanari, &
perſępe illos, de quorum ſalute medici cum ratione deſperant, naturæ de repen-
te aduerſus morbificam cauſam inſurgentis opera, & adminiculo, præter ſpem
omnium euadere, quemadmodum quotidiana nos docet experientia, & Auerr.
etiam tradit 7. coll. qua ratione præſentem vulneratum omnino interiturum
dici potuit? Non parum quoque huic præſagiendi modo aduerſatur, quòd ſub
hoc cęlo, vti omnes ſub eo degentes amplam fidem faciunt, grauiſſima capitis,
& cerebri vulnera recta adhibita curatione, ad ſanitatem rediguntur. Multum
enim refert ſub quo cęlo vulnera ipſa tractentur. Qua de re audiamus Querce-
tanum lib. de Vulner. ſclop. cap. 3. *Quid,* inquit, *dicemus de ſitu, & poſitione Vrbis*
D *Florentiæ, aut Ferrariæ, quarum in illa vulnus omne in capite acceptum peſtiferum*
eſt, in hac tibijs impoſita vulnera immedicabilia ſunt. & Amatum Luſitanum Cur.
100. Cent. 6. *Florentiæ, & Bononiæ ita capitis vulnera periculoſa ſunt, vt raró ca-*
pite vulneratus ſanetur. In hoc verò ſaxo Raguſæo contrariò euenit, vix ex fracto &
comminuto capite ægrotus decedit. Quod autem de Ferrarienſi cęlo tradit Quer-
cetanus, Rauennates paſſim de patrio aſſeuerant, vt capitis vulnera quan-
tumuis magna ſub eo facile ſanentur, crurum verò, & vulnera, & vlce-
ra difficillime: Quod Amatus de Raguſæo, incolæ de Veneto affirmant, in
quo capitis vulnera multo facilius, quàm pedum, vel tibiarum vlcera ſanantur,
vt non vndique acquieſcendum eſſe videatur Ambroſij Parei ſententiæ, quòd ſ.

O 2 in locis,

in locis, quæ mari ſunt vicina, ob vapores in aere ſparſos, & a mare eleuatos A
vulnera ſint curatu contumacia lib. 10. cap. 8. Quinimo ex Ariſtot. in probl. de mare contrarium potius elici poſſe videtur, dum vlcera nauigantium externa ſiccari, & facile ſanari ſcribit. Quo argumento ducti Medici in pulmonum vlceribus frequentem, aut longam nauigationem commendant, & veteres Alexandriam, & in Aegyptum phthyſicos mittebant, ob nauigationem potius, quàm propter illud cęlum. Sed ad rem noſtram reuertamur; Quod igitur ad curandi intentiones, & localia medicamenta attinet, tria in primis ante oculos legentiũ ponere cõſtitui, in quibus, niſi ego decipior, vehementer erratum eſt; Incipiam autem a ſanguinis miſſione, quam ipſe fieri iuſſeram è cephalica brachij, quod vulneratæ parti reſpondebat, non ignorans per hanc viam ſanguinem, & reliquos humores a vulnerata parte citius ob vicineam, ac rectitudinem auerti, & li- B
cet non deſint, qui ex oppoſito brachio detrahendum illum eſſe exiſtimant, inter quos nunc mihi in mentem venit, Franciſcus Valleriola obſer. med. 5. obſer. 9. ego tamen in illorum ſententiam libentius deſcendo, qui è directo, non oppoſito brachio id faciendum præcipiunt, ea forſitan ratione ducti, qua in internorum quoque membrorum inflammationibus Hippocrates 2. & 4. de rat. vict. Gal. in comm. & lib. de ſang. miſſ. & Rhaſis 9. ad Almans. 57. a brachio eiuſdem lateris ſanguinem mitti oportere memoriæ mandarunt. Ita enim celerius è parte affecta deturbatur infeſtans humor, & inflammatio tali euacuatione fieri prohibetur. Vnde in pleuritide poſt varia neotericorum certamina, ea tandem inualuit conſuetudo, vt ab affecto latere, non aduerſo ſanguis ipſe hauriatur. C
Verum etiam dato, quòd de aliorum mente ab oppoſito brachio dextro, nempe hoc in Iuuene ſanguis mittendus fuiſſet, cum iam reſolutio ipſum inuaſiſſet, cauſam libenter ediſcerem, cur a iam læſo brachio potius, quàm a ſano auferri ſanguis debuit. Imò ſi in re tanti momenti liberè quod cenſeo in medium proferre mihi fas eſt, neque Valleriolæ, neque cæteris eiuſdem opinionis aſſentiri cum ratione poſſe cogito, tum alijs de cauſis, tum ob hanc potiſſimum, quia pars ſauciata aduerſa ferè ſemper aut conuellitur, aut relaxatur, quacunque de cauſa id ipſum contingat, aut propter humores in illam ex ægri decubitu delabentes, aut etiam ob ſpiritus vna cum ſanguine ad vulneratam partem euolantes. Vtro enim modo eueniat, nulli dubium è venæ ſectione partis oppoſitæ, maius eidem D
parti damnum, ac detrimentum conciliari, In eadem qua ego ſententia reperio fuiſse Falop. in lib. Hipp. de Vulneribus capit's cap. 20. vbi confutata quorundam opinione, qui venam minime ſecant, vna tandem cum Galeno 2. catat. cap. de dolore capitis ex plaga tuetur eſſe venam ſecandam capitalem, vel communem lateris læſi. At ſi pariter cum Hipp. & Galeno quàm longiſſimè a tentata fluxione parte reuellere velimus, e vena tali, ſed eiuſdem lateris auferre ſanguinem poſſumus. Verũ de hac re ſatis. Ad trepanũ, ſiue cranij perforationẽ deſcendo. In qua operatione perquã cauti debent eſſe Chirurgi, ne pro leuioris vulneris curatione, periculũ de induſtria intẽdatur ægro, lacerato pericranio, cuius ob exquiſitũ ſenſum dolores, ob ſocietatẽ cũ meningibus grauia ſymptomata excitantur;

A citãtur; præterquã quod in cranio perforãdo vena lacerari,aut mẽbrana pungi, aut cerebrũ cõcuti poteſt. Facile inſuper natiuus calor,ſede eius detecta,in ambientem diſſipatur; inde refrigeratio vulneris,oſſis, & membranarum ipſarum inſequitur,grauiſſimorũ ſymptomatum maxima occaſio, qui quidem alioquin incluſus materiam deſcendentem per naturales meatus non ſemel expurgat, per palatum dico,nares,aures,oculos,& glandulas poſt aures exiſtentes. Vnde Ambroſius Parius lib.9.cap.22.ſe non paucos obſeruaſſe fatetur, quibus talia contigerunt. Merito itaque Antonius Chalmeteus in ſuo Enchiridio Chirurgico cap.14. ita ſcribit: *Animaduerſione, ac reprehenſione dignus mihi videtur eorum error, qui in parua cranij fiſſura tametſi non penetrat, vel etiam in magna fiſſura, & quæ ſatis hiat, modiolum ita admouent, vt quo quis maiorem cranij partem ademerit, eò B maximè glorietur: quaſi verò opus aliquod inſigne, ac præclarum effecerit. Adeo enim ſunt plerique ignorantes, & in artis operibus ita cæcutiunt, vt non videant hac ratione vulneris curationem in longiſſimum tempus protrahi, atque ægrum in multorum ſymptomatum diſcrimen adduci, quod hac ratione facilius cerebrum ab aere alteretur, denique afflicto ea de cauſa mortis imminere periculum.* Non temerè igitur ad cranij perforationem accedendum eſt, ſed cuncta prius diligenter expendenda ſunt, quæ huiuſmodi opus pro vulnerati ſalute neceſſarium eſſe demonſtrent. Nam & aliquando tale opus aggrediendum eſſe cum Hipp. cenſeo, qui vbi cranium colliditur,aut contunditur,ſiue rima in aperto ſit,ſiue in abdito lateat, perforationem præcipit. Galenus autem 6.meth.cap.vlt. ſi rima non ſit patens, ideſt,ſi C non abunde detur exitus ſaniei,os excidere,& perforare oportere affirmat,alioqui vulnerati intereunt; ſed cur hoc? quoniam cum os præ fractura redditum ſit imbecillum, non amplius alimenti proprij concoctionem probam efficere valet, inde neceſſariò excrementitia quædam humiditas in loco fiſſuræ ſegregatur, & alia è partibus vulneris ſuperpoſitis per rimam induram matrem deſcendit,quæ ob debilitatem, ac rimæ anguſtum foramen, foras extrudi nequit. Quæ cauſa eſt, vt ferè omnes in capite vulnerati moriantur, dum ſcilicet materia illa intus cohibetur, nec licet chirurgo detergere, & abluere ſordes a membrana. Sed quando,quæret alter,inſtituenda eſt cranij perforatio? Idipſum nos poſt veteres breui,& eleganti ſermone docuit Hieronymus Fabricius ab Aqua-D pendente lib.2.cap.8.ſuæ Chirurgiæ hiſce verbis: *Perforatio igitur facienda eſt, quando hæc duo adſunt; primum, ſi timetur materiæ deſcenſus, deinde ſi non abunde detur exitus materiei; Contra ſi rima ſit patens, aut ſi fractura non penetret totum os, nec adſit contuſio, vt nullus ſit metus ſaniei intus contentæ, non eſt perforandum cranium, nec fruſtra meninx dura acri exponenda.* Hic autem nulla prorſus contuſio, cum inciſio tantum fuerit ab enſe non ponderoſo facta, vulgo dicta, *ferita di ponta*; inde nec multam malam materiam ſubeſſe credendum erat, & quæ ſubiacebat, per vulneris foramen, vti obſeruandum eſt, ſatis liberè exibat. Quamobrem non ita ex arte factum huiuſmodi nouum foramen cuipiam videbitur, hyeme præſertim media, ac teterrima, in qua cerebrum, & omnes capitis partes a frigore aeris maximoperè læduntur, licet non

O 3 me la-

me lateat Hipp. in lib. de vuln. capitis non longè ab initio, & in alio de Vi- A
ceribus afferere eos, qui capite vulnerati ſunt diutius viuere hyeme, quā æſtate, vel nimirum quia minor fit hyberno tempore corporum reſolutio, vel quia ocyus æſtate, quàm hyeme, cerebri, membranarumque confractarū, atque ſanguinis ibi collecti corruptio adueniat, ex quo fit, vt Chirurgicæ partis ſcriptores omnes in tradenda vulnerū fracturarumque capitis curatione, ad oſſis perforationem longè citius in æſtate, quàm hyeme deueniendum eſſe iubent, præſertim verò Arabes, & multa ante Hipp. ipſe lib. de capitis Vulneribus illis in verbis. *Poſtquam autem os ſcalpro raſeris ſiquidem ad perforationem tendere oſſis ſanciatio videatur perforare oportet, & citra perforationem triduum non excedere; ſed in hoc perforare, tum aliàs, tum tempore calido, ſi ab initio curationem ſusceperis.* Quæſitum vltimum in curatione, quod ſine diligenti examine omittendum non eſt B
ad ſpongiæ vſum attinet, poſtquam dicto citius cuncta in peius mere viſa ſunt. Ad labiorum itaque vulneris luxuriantium coalitum prępediendum Chirurgus ſpongiam immiſit, & intra caluariæ foramen indidit, quæ intumeſcens præ humore vulnus ipſum ampliauit, & membranam, vt reor, vellicauit; nam & dolor ingens, & vigiliæ nocte illa iuueni ſuperuenerunt, & ſequēti die cibi faſtidium, & animi triſtitia cum propenſione ad ſomnum. Quibus tamen neglectis, iterum ſpongia immittitur, me penitus reclamante, vti frater, qui aſſiſtebat, teſtis eſſe poteſt. Dato enim quòd intempeſtiue vulneris labia inuicem coaleſcerent, & dilatatione indigerent, ad alia tranſeundum erat, quæ minori cum moleſtia hyperſarcoſin compeſcerent, cum præſertim nocte antecedenti tot incommoda C
ſuborta fuiſſent, quæ proximè ſequenti nocte multo magis inualuerunt, cum extrema iuuenis pernicie. Scio equidem ſpongiam a nonnullis pro vulnerum dilatatione, & exſiccatione quandoque vſurpari ſolere, ſed noui etiam multos ex huiuſmodi medicamento in partibus valde ignobilioribus adhibito in vitæ ferè diſcrimen deductos fuiſſe. Quod ſi mihi credere alij nolint, audiant ſaltem, quid nam de hac ipſa re ſcripſit Bartholomæus Maggius in lib. de Vuln. ſclop. curatione, vbi hæc leguntur verba: *Nec mihi in hoc caſu*, loquitur autem quot modis dilatari vlcus poſſit, *vt vitiatum os, quod abradi debet, detegatur, admodum ſpongia placet, quoniam adeo extenditur, intumeſcitque, vt etiam ipſius ſpongiæ foramina, & poroſitates in ſe carnem recipiant, quam ſi deinde volueris extrahere, carnem dilaniabis, dolorem excitabis, & ſanguinem ad fluxum irritabis.* Sed præter viri huius D
auctoritatem, antecedentis noctis circa vulnus, & caput tantorum accidentium innouatio inſtar omnium eſſe debebat, quominus iterum ſpongia intromitteretur ad patientem acrius torquendum, cum præcipue multo iucundius id quod erat in animo, perfici potuiſſet, nimirum pulueris alicuius exſiccantis, & adauctam carnem abſumentis inſperſione, qualis ab omnibus celebratur aluminis rochę combuſti, aut zuccharini, aliquando hermodactylorum, aut ariſtolochiæ aut etiam eiuſdem ſpongiæ adustæ, & nouæ, in qua etiamnum ea, quam a mare accepit facultas, modice corpora exſiccandi, ſeruatur, auctore Galeno 2. de ſimpli. med. facult. Ita enim citra omnem Aegri dolorem, & alia, quæ mox inſurrexere,

A xere, ſymptomata, res melius eueniſſet, & æger ipſe adhuc forſitan inter viuos
degeret. Prædicta enim abſque nulla mordicatione probe ſiccant, cuiuſmodi
medicamenta neceſſaria ſunt, vbi, ne membranæ vellicentur, periculum adeſt;
Quod pariter elici poteſt à Gal. lib. 5. meth. cap. 1. ſcriptum eſt autem ab eo-
demmet Galeno lib. Art par. c. 88. dolorem repentinas facere mutationes, vir-
tutes omnes deijcere, & mortem cum delirio præcipitare, vt idem nos docuit
in com. in Hiſtoriam Vxoris Philini. Quod ſomnum tollat, concoctiones om-
nes interturbet, & alia non pauca ſymptomata inuehat, notius eſt, quam vt hic
longius oſtendere opus ſit. Illud certè nullo modo ſilentio inuoluendum eſt,
quod vbi dolor fortis, & potens eſt, qualem iuuenis noſtri fuiſſe non ignorant,
quicunque præſentes aderant, etiamſi purum ab excrementis totum corpus fue
B rit, fluxiones vndique ad afflictam particulam conuocantur, & ſanguis cum cę-
teris ſuccis copioſius, quam ſit illi parti ex vſu iugiter confluit. Vnde in ea fre-
quenter ſuboritur inflammatio, & ex ea febris maior, maioraque alia inſurgunt
ſymptomata. Propterea videmus Chirurgos omnes in qualibet vulnerata par-
te, ſi dolor eam afficit, huic primum ſedando totis viribus incũbere, medicamen
tis etiam vulneri, prout vulnus, minime conferentibus eſt enim dolor inter acu
ta illa ſymptomata, quæ ad ſe omnem trahunt curationem, dum ſcilicet vehe-
mens, & fortis perſentitur, & principem maxime partem, cui reliquæ conſen-
tiunt, affligit. Norunt inſuper Chirurgi ex Hipp. lib. de capit. vuln. & Gal. 3.
meth. 4. in cura caluariæ fractæ præcipuã indicationem eò dirigi, vt inhibeatur
C inflammatio, quam nil magis inducit, quam dolor ipſe, Gal. auctore 13. meth. 2.
ſi quærat aliquis, quanam ratione, & quomodo profundus ſopor ex vehemen-
ti illo dolore, a quo vigilias fieri dictum eſt, iuuenem inuaſerit, non difficile erit
reſpondere, ſi memoria habeantur ea, quæ ſuperius de temperamento capitis
illius a nobis relata ſunt. Erat enim ei humidiſſimum cerebrum & pituitoſis ex-
crementis refertum, quæ quidem veriſimile fit vulneris tempore fuiſſe adaucta
ex cõcoctricis facultatis imbecillitate, ob ſpirituum, & caloris in ambiẽtem de-
tecto cranio diſſipationem, & ob aerem frigidiorem ad intimas vſque cerebri
partes penetrantem. Hæc autem cum quieſcerent, & ab innato regertur calo-
re, qui etiam temporis tractu validior redditus eadẽ fortaſſe euiciſſet, dolor exa-
D gitauit, eorumque veluti fuſione facta, ad cerebrum irrigandum magis idonea
reddidit. Accedit quod à dolore facultas animalis labefactata admodũ fuit, ve-
lut ab adauctis & commotis in cerebro frigidis illis, & humidis excrementis, fri
gefacta, & denique etiam præfocata. Ad cuius extinctionem vitalis quoque po
tentiæ robur vna mox deijciatur oportet; læſa ſcilicet muſculorum thoracis, &
aliorum membrorum reſpirationi inſeruientium actione, qua quidem læſa, &
deperdita, lędedi, & perire ſimul reſpirationem neceſſe eſt. Vnde cordis quoq;
temperamentum ſoluitur, quo fit tandem, vt etiam animantis ipſius neceſſario
ſequatur interitus, vt a principio lib. 5. de loc. aff. memoriæ proditum eſt a Ga-
leno. Hucuſque ergo habes lector, in quibuſnam ego in propoſito iuuene vul-
nerato a Chirurgo diſcrepauerim; videlicet in vulnerata parte, in præſagiendi

modo,& in nonnullis etiam,primarijs cum intentionibus,tum remedijs. Tuæ nunc partes erunt, Capra ingenioſiſſime, de ſingulis tuum afferre iudicium, & in quibus non vndique tibi, & alijs iſtic medendi artem exercentibus ſatisfecero,libere,& amicè commonefacere,qua re nil mihi vnquã gratius,nil antiquius eſſe poterit. Iterum vale. A

QVAESITVM PRIMARIVM IN PARTV GEMINO, quem ruſtica mulier apud Rauennates ſub fimo ſepelire reperta eſt.

I.

Perfectus ne, an abortiuus fuerit. B

Quæſita Secundaria ſeptem.

I.

Cur abortus non præſumatur, & quid ſit.

II.

Cur fetus in vtero calcitrans exitum quæritet.

III.

Cur mola in vtero tamdiu geratur. C

IV.

Cur abortus deterior, & periculoſior ſit partu.

V.

An fetus emortuus in vtero diu ferri queat, abſque Matris interitu, vbi admiranda referuntur obſeruationes.

VI.

Cur mulieres in octauo potiſſimum menſe abortiant.

VII.

Cur qui gemini naſcuntur alijs ſint imbecilliores.

Ad Gubernatorem Rauennæ. D

RVſtica mulier ex illegitimo,& clandeſtino concubitu geminas peperit vnico partu fœmellas, quas quidem vix in lucem editas ignominiæ cęlandę gratia (proh ſcelus infandum) ſub fimo ſepelire diuina prouidentia reperta eſt. Tantum crimen, tibi, Gubernator perilluſtris, denunciatum cum fuerit, merito de præfocatione non parua ſuſpicio animum tuum inuaſit,licet bona mulier id mordicus,& conſtanter neget, aſſerens partum neutiquam fuiſſe naturalem,ſed violentum,ac pręter naturam,atque ideo abortiuum, gemellaſque iam antea extinctas exiſſe clamans. Cauſam

verò

A verò, & extinctionis, & abortus intexendi laborem ipſi inſuetum pro ſui tutela
refert. Attamen tu non extinctum fœtum, vt nec ex illata naturę violentia, pro-
pter cauſam ab ea in medium productam, ſed omnino viuum, ſponte naturæ, &
numeris omnibus abſolutum prodijſſe obijcis. Meę nunc partes erunt, rationes
quæ aduerſus mulierem afferuntur, expendere, an ſcilicet veterum medicorum
placitis, quæ legum latores omnes magnifeciſſe conſtat, conueniant, non præ-
termiſſis tamen illis, quæ pro tutanda etiam rea opportunæ mihi videbuntur.
Vulgatiſſima eſt philoſophorum ſententia, naturam quicquam repentinum, &
violentum neque pati, neque moliri, quia quæcunque natura fiunt, omnia ordi-
nate fiunt, cum ipſa ſit in omnibus ordinis cauſa, quemadmodũ nos probe do-
cuit Ariſt. 8. phyſicorum tex. 15. apud quem etiam in lib. de Cœlo legitur, *na-*
B *turam ſemper facere eorum, quæ fieri poſſunt, quod optimum eſt*. Iuxta itaque hunc
ordinem, quo progredi cunctis in rebus natura ſolet, non temere apud vos ip-
ſos iuris peritos abortus non præſumitur, quippe qui, vti accidens quoddã præ-
ter naturam, habet contra ſe præſumptionem ipſius naturę quæ ordinatim con
ſueuit tempore congruo fętus parere, fructuſq; emittere. Mehercle ſi conſidera-
mus quidditatem abortus, ſtatim præter naturæ inſtitutum, illum omnino con-
tingere apparet; quandoquidem natura ab imperfecto incipit, & ad perfectum
miro quodam ordine procedit. At *abortus*, vt Gal placet. 6. epid. 1. com. 2. *im-*
perfecta eſt fœtuum emiſſio, ſeu *violenta, & immatura fœtus excretio*; & licet cum
Hipp. 1. de morb. mulier. per abortum vitium illud intelligere oporteat, in quo
C fœtus deperditur; ſiue egrediatur, ſiue etiam in vtero detineatur, paſſim tamen
apud medicos ſymptoma dicitur vteri, in noxa functionum naturalium & mini
me retentricis, quę debitum tempus anteuertit, & ſimiliter expultricis, quæ ex
aliqua cauſa laceſſita pariendi tempus accelerat, qua de re legendus Galen. li. 3.
de facul. natural. cap. 11. abortus igitur præter naturam cenſeri penitus debet.
Alia ratio depromi poſſe videtur ex Baldo, dum affirmat, neminem præſumi na
ſci mortuum, ſed viuum, & quidem natum in ſeptimo, vel nono menſe, quo par
tus vitalis edi ſolet, vt apud Menochium, & alios legi, quos hic recenſere ſuper-
ſedeo. Hæc autem ratio vt confirmetur, ſciendum eſt ad fœtus excretionem in-
fantem ſimul, ac matrem concurrere, & illum quidem calcitrãdo, ac diſrumpen
D do inuolucra, iuxta Hipp. lib. de nat pueri, & Gal. com. 1. ſect. 1. lib. 6. epid. Ae-
rem enim pro cordis refrigerio qualitate frigidiorem appetit, & alimentũ quod
a matre deſcendit, illi amplius ſufficiens non eſt, vbi auctus fuerit; ideoque iam
grandior factus, & maturus, copioſius nutrimentum deſiderans calcitrat, ac pel-
liculas rumpens initium partus matri inducit; hanc verò, nempe matrem, non
vteri tantum expultricẽ, quantum eandem per abdominis muſculos voluntarie
coadiuuando, Gal. teſtimonio lib. cit. de facult. natural. cap. 3. Quod ſi mortuus
in vtero ſit infans, neceſſario illius adminiculo deſtituta mulier, ipſaque etiam
viribus, morboſam ob cauſam, difiectis, fętũ emittere non valens, vna cũ emor-
tuo infante extinguitur. Idquod multis euenire, quotidie videmus, niſi & phar-
macis ad expellendum partum idoneis, & chirurgicis inſtrumentis a perito ar-
tifice,

tifice, quod corruptum in vtero eſt, quam primum extraducatur. Ariſt. lib. 4. de Gener. animal. cap. 7. de mola ſcribit, eam in vtero mulieris manere per annos quatuor, imo tota vita, vt & conſeneſcat, & commoriatur, de qua multo ante Hippoc. in lib. de ſterilibus ſic fuerat locutus: *Hæc ad duos annos, ſæpè etiã tres, ita ſe habet.* Quærens verò tam longi, ac tardi exitus rationem idem Ariſt. 10. de hiſtor. animal. reſpondet, quia cum animal non ſit, nullum ciet motum, neque vterum ſollicitat, vt puer, qui calcitrando exitũ ſibi, & accelerat, & facilitat. Præterea aduerſus mulierem excogitari poſſunt nonnulla, quæ ſuſpicionem enecati fœtus non parum adaugent, inter quæ illud in primis recenſeri poteſt, quod, vt audio, partum facillimè edidit; nam intra ſpatium vnius horæ, abſq; vllo prorſus alieno auxilio duas peperit puellas omnibus ſuis organis recte cõformatas: parere autem cum adeo parua moleſtia, ac tanta cũ celeritate, haberi poteſt pro magno viuacitatis partus argumento. Accedit quod fœtus, quando mortuus, & extinctus eſt, non abſque maximis difficultatibus ex vtero matris extrahitur, vt cum Hipp. & Gal docent, tum ſenſus, & experientia quotidiana demonſtrant. Eandem vim habet, quod partus modico, & leui cum dolore fuerit, vt refertur, quia, ſi abortijſſet, longè acerbiores fuiſſent dolores, vt mulieribus omnibus abortum facientibus contingere ſolet: quarum etiam bona pars, inter quas fuit Tulliola Ciceronis filia, & mea quoque genitrix, in ipſo puerperio cõcidit. Cui rei magna additur veritas ex Hipp. lib. 1. de morb. mulier. vbi abortum peiorem eſſe partu, & fœminam magis pati in abortu, quam in partu, vt ex illo non rarò moriatur, memoriæ traditum reliquit. Quod ſimiliter legitur 6. epid. ſect. 1. comm. 1. & 3. eiuſdem operis ſect. 2. comm. 7. Profectò ſi naturalis partus difficilis, periculoſuſque exiſtit, quanto grauior abortus erit, in quo fœtus citra violentiam non corrumpitur? Ratio autem, ob quam abortus valde periculoſior partu iudicatur, eſt, quia in abortu vteri expultrix facultas intempeſtiuè, ac violenter irritatur a cauſa morbifica, eaque ſæpius maligna, ac deleteria, quam tamẽ Gal. 3. de facult. natural. 12. triplicem eſſe ſtatuit, videlicet molem, pondus, & morſum, loquens, vt arbitror, de cauſis abortus ad vterum tantummodo ſpectãtibus, & de frequentioribus. Inſuper ad probandum fœtum geminum exijſſe viuum, contra mulierem afferri poteſt argumentum a membrana illa, quæ *ſecunda* a Latinis, & vulgo etiam vocatur, deſumptum; quoniam, vt audio, illa cũ partu fęliciter exijt; hoc etenim ſignum euidens eſſe videtur, fœtum fuiſſe viuũ, quemadmodum è conuerſo, cum retinetur, contrarium ſolet indicare. Quod argumentum ſcio magni fieri a iuris peritis auctoritate præſertim cuiuſdã Franciſci Martij. Atqui rationi conſonum eſt, quando huiuſmodi inuolucrum tam promptè exit, omnia, quæ ad vterum, & fętum attinent, bene ſe habere, ſicque fœtum ipſum viuum potius, quam vita ſpoliatum in lucem editum fuiſſe, non temere credi poſſe videtur. Denique aduerſus mulierem mire ſtat Hipp. auctoritas ex opuſculo de ſuperfæt. deprompta, dum ita loquitur. *Cum puer non vitalis futurus naſcitur, caro ipſius vngues ſuperemmet, vngues vero tum in manibus, tum in pedibus deficiunt.* Gemellæ verò ambæ, & in manibus, & in pedibus vngues

A gues cum haberent, ex mente Hippocr. veriſimile fit, editas fuiſſe tẽpore, quo
vitales futuras ſperari omnino poterat. Quod vero pro ſui tutela mulier abor-
tus cauſam in laborem texendi refert, non ita facile admittitur; quia huiuſmodi
labor neque in ea, neque in alijs abortum efficere poſſe videtur; primo quia le-
uis fuit, momentaneus, & (vt audio) animi potius, ſi non vteri laxandi gratia;
ſecundo quia ruſtica mulier laboribus aſſueta multo grauioribus, nihil aut parũ
incommodi a tam valde minori pati potuit. Scio equidem ex Hipp. 7. epid mu-
lierem grauidam ictu, caſu plaga, aut quauis alia externa violentia abortire, ad
quæ tamen texendi exercitum minimè redigi poſſe putauerim. Hucuſque con
tra rem, pro qua tamen pietas christiana requirit, vt non nulla in medium pro-
feramus. Quamuis abortus, vt pote quid violentum, & intempeſtiuum, naturæ
B ordini prorſus repugnet, nihilominus ita frequens apud nos eſt, vt nulla alia
de re magis, quam de abortu noſtræ fœminæ conquerantur, in quibus neſcio an
locum habeat Hip. aſſertio, *mulieres periclitari magis in abortu, quam in partu*, adeo
facilis illis eſt, & minima cum moleſtia contingit. Quam rem optime vidit Lu-
douicus Mercatus Hiſpaniarum Regis Philippi Secundi, & Tertij Medicus pri
marius lib. 4. de morb. mulier. cap. 2. vbi hæc ipſa habet verba: *Abortiunt quidem
frequenter mulieres, vt ſi quis id diligenter examinet, facile inueniet, plures eſſe deper-
ditiones, ſeu abortus, quam legitimos partus*. Quare primum illud argumentum nõ
vndequaque achilleum cenſeri debet, vt nec alterum ex Baldi auctoritate rela-
tum; *neminem* ſcilicet *præſumi naſci mortuum*. Quandoquidem, & ego ſæpiſſime
C vidi, quæ fœtum emiſere emortuum, ipſis illæſis ex abortu reſurgentibus, & ſi
exemplis tibi notis corroboranda hæc veritas eſt, præ manibus habeo hac in
Vrbe iuuenem quandam prope Fanum S. S. Ioannis & Pauli habitantem, nono
fere ab hinc menſe vtero gerentem. Septimus, vt ipſa, & coniux referunt, annus
agitur, quo viro nupſit ſingulo quoque anno vtero concipit, fœtumque ad plu-
res menſes, aliquando vſque ad nonum geſtat, motumque in ventre validum
perſentit; paucis tamen diebus ante fœtus exitum (interuallum quandoque octo
quandoque duodecim dierum eſt) motus ille ceſſat, & ex eo infantis mortẽ di-
gnoſcit. Parit enim eum morte fere prius, quam vita donatum; cui partui mox
ſecundæ exitus ſuccedit, & purgationes, quæ λοχῖα Græcis vocantur, eandem
D inſequuntur, difficultas in pariendo nulla maior illi, quã ſit alijs viuum, & per-
fecte maturum partum edentibus. Alia non longe a D. Ioãnis Baptiſtæ templo
fœtum emortuum diutius ſolet in vtero gerere, qui ſola vteri facultate iam fere
putridus, abſque vlla matris manifeſta læſione extruditur. Hoc autem iam ter
illi contigit; Neq; enim audiendi ſunt illi, qui negant in vtero fœtum emortuum
diu ferri poſſe, parente ſuperſtite; Foreſtus lib. 28. de mulier. morb. obſeru. 68.
alterius medici teſtimonio narrat, Traiecti mulierem prægnantem fuiſſe, quæ
per nouem annos oſſium particulas tũ fœtus corrupti reddiderit, & mox ex Do-
doneo ſubnectit de muliere, quæ annis tredecim in vtero geſtauit fœtum mor-
tuum. Dum eram Venetijs conuocarunt me alij Medici ad Xenodochium S. S.
Ioannis, & Pauli, vbi iacebat mulier, cui fœtus in vtero ex caſu ab alto mortuus
iam

iam,& putrefactus erat,cuius expulſionem natura quoquo verſum aggreſſa,cir A
ca vmbilicum tumor extuberari viſus eſt, vt iam Chirurgi de abſceſſu ſub re-
ctis abdominis muſculi latitante vererentur,& poſt neſcio quædam topica emol
liendi,& maturandi vi prædita,tumẽs locus dum ferro aperitur, poſt ſanguino-
lentam,& putridam materiam,oſſicula quædam prodeunt,quæ dubiam rẽ pro-
palant; extrahitur maxima cum omniũ noſtrum admiratione ab ea parte fętus
iam pridem emortuus, & purulentus, vtero ipſo rurſus ad vnitatem redacto, &
muliere non valde poſt inde incolumi egreſſa. Albuchaſis etiam lib. 2. cap. 76.
notat ſe vidiſſe mulierem, quæ manente fętu mortuo, nihilominus nouiſſime
concepit, & in qua mortuo fętu putreſcente, ſanies ad vmbilicum ablegata eſt,
ibique abſceſſum fecit,quo quidem diſrupto,auxilio emplaſtri attrahentis (cu-
iuſmodi ſolet a chirurgis parari ex odellio, dictamno, & ariſtolochia) oſſa ipſa B
exierunt integra. Hinc ſumpta, vt puto, occaſione Franciſcus Roſſetus Gallus
librum de partu Cęſareo compoſuit (licet operis titulus eſſentiæ rei parum cor
reſpondeat) in quo multæ ſunt hiſtoriæ,quibus demonſtrat fętum extrahi poſ-
ſe per ventrem ſalua matre. Marſilius Cagnatus lib. 4. Vaiarum obſeru. cap. 9.
ſcribit *quod Romæ anno 1571 plebeia diu quadam ægrotauerat fœmina febre perpe-
tua,ac debili,duroque imi ventris tumore. Febrem hecticam vocabãt; vnde ille eßet tu
mor,non facile inueniebatur,quando eam vtero gerere nihil amplius ſuadebat. Deſpe-
rata res dicebatur tamen ſic inſperanti ſalus aduenit; poſt quam via, qua venter deij-
citur,fętus humani carnes in fruſtra diuiſæ,& oſſa ſeparata (quæ tumoris illius mate-
ries fuit) ſponte naturæ exiuerunt. Sepulchrum diu fuerat vterus fœtui, priuſquã na-* C
*ſceretur,defuncto,nec poterat cadauer reijci,qua naturaliter debebat. Aliam vel cum
periculo viã natura aggreßa eſt; coaluit recto vterus inteſtino,vlcus commune,ac per-
uium ſponte factum aditum ad inteſtinum carnibus putridis,atque oſſibus præbuit,quæ
per auerſa corporis egreßa ſunt. Vtero igitur hunc in modum purgato, mulier priſtinæ
valetudini reſtituta diu vixit,& adhuc fortaße viuit.* Et paulo poſt addit: *In Ger
manorum hiſtorijs notatum eſt anno 1550. infantis membra iã diu putrefacta ex vte-
ro a chirurgis extracta mulieris, quæ onus hoc integrum quadriennium poſtquam pare-
re debuerat,interim cum morte ſemper colluctans, geſtauerat, quæ tandem onere depo-
ſito priſtinæ valetudini reddita eſt. Id vero proditum eſt Viennæ Auſtriæ accidiße*
Nulli ergo mirum videri debet, ſi fętus diu etiam in vtero matris extinctus mo- D
retur,matre non pereunte,quando vel purulentus iam,& a multo tempore cor
ruptus extra feratur,genitrice ſuperſtite. Quod vero perfecta eſſent mẽbra ge-
mellarum,vti fuit a mulieribus fide dignis obſeruatum,non conuincit fętum nõ
potuiſſe edi niſi viuum;nam plerumq; fęminæ in octauo menſe abortiunt,quo
quidem velut etiam nono partes omnes infantis iam abſolutæ ſunt,& perfectæ,
vt conſtat ex ſeptimeſtri partu,qui affirmante Hipp. pro ratione editus eſt, ac
viuit,in eo ſi quidem ad partium perfectionẽ nihil deſideratur,& quicquid duo-
bus ſequentibus menſibus additur,ad roboris,non ad partium perfectionẽ addi
videtur. Cauſa vero,ob quam in octauo menſe,quo tamen iam perfectus eſt in-
fans,mulieres præcipue abortum incurrunt, illa pro tempore ſit, quæ ab Hip.
affertur

A afferturin lib. de Carnib. de octimeſtri, & ſeptimeſtri partu, quia nimirum in
octauo menſe fętus ita infirmatur, vt nec etiam vſque ad decimum noni menſis
diem vitalis exiſtat. Ideo hoc tẽpore imbecillis in vtero manens, accedente ali-
qua lædente cauſa, facilè facto abortu exit. Quare apud eundem lib. de alim. ſic
de octimeſtri partu legitur. *Partus ducentorum quadraginta dierum* (talis autem
eſt octimeſtris) *eſt, & non eſt*; innuens quod fætus in octauo mẽſe editus aliquo
modo eſt, & natus videtur, at reuera non eſt partus naturalis, ſed abortiuus. Pro-
babile eſt ergo mulierem hanc octauo menſe peperiſſe, aut potius abortum fe-
ciſſe, cum gemellæ eſſent membris omnibus cum capillis, & vnguibus perorna-
tæ. Accedit quod geminus fœtus magna cum difficultate ad debitum tempus in
vtero geritur, vt vel ante quam prodeat commoriatur, vel ſtatim a partu. Hoc
B experientia monſtrat, & ſi rationem aliquis peteret, non aliam ego adducerem,
quam defectum alimoniæ, quæ geminato fętui ſufficiens plerunque non eſt; in
ruſtica præſertim muliere prauo, ac tenui cibo victitante. Audias perpulchrum
Ariſt. probl. 28. ſect. 10. *Cur in animalium cæterorum genere ſeruari æque gemini poſ-
ſunt quamquam ſexus, ſunt vtriuſque, in hominum autem non poßunt*. Ad quod
reſpondens ait; *An quod debiles maxime qui gemini ſunt?* Et ſcimus reddi ſem-
per infirmius, quod diuiditur, eoq; magis hebetari, quo ſectum numeroſius eſt.
Tandem quod obijciebatur fœtum exijſſe viuum, quia ſtatim poſt eum excreta
eſt ſecunda, quaſi cum mortuus editur, pellicula illa internis partibus adhæro-
ſcat, nec extra proijciatur, nihil prorſus contra mulierem concludit: videmus
C enim quotidie fœtus non modo vitales, ſed validos admodum, & uiuidiores etiã
enaſci, ſecundam tamen intus detineri; & è contra, fœtu edito mortuo, mem-
branam illam fęliciſſime expelli: quam rem pariter nos docuit Hippocr. vt ex
lib. de ſuperfęt. conſtat. An verò leuis ille texendi labor, mulieri tamen inſoli-
tus in cauſa eſſe potuerit, vt abortum faceret, meritò dubitatur, cum multo gra-
uioribus ruſtica, & robuſta iuuenis eſſet aſſueta; nihilominus ea ratione defen-
di mulier poteſt, qua dictum ab Hippocr. fuit 2. aphor. 29. *Qui conſueti ſunt ſo-
litos labores ferre, & ſi fuerint imbecilles, & ſenes, non conſuetis fortibus, atque iuueni-
bus facilius ferũt*. Nec valet cõtra mulierẽ, quod labor leuis fuerit, in ruſtica iuue
ne, eo quod idem Hipp. 2. de Diæta ſcripſit vel *exercitata corpora ab inſuetis labo-*
D *ribus delaxari*. Quinimo conſtat apud omnes ſuſpirium ſolũ ex imo pectore edi-
tum, pro abortus cauſa ſtatui ab Hippocr. in lib. de morb. mulier. & a Plinio lib.
4. cap. 6. ſolam pandiculationem. Addamus denique, quod Ariſtot. 8. de hiſtor.
animal. cap. 24. ſolo lychnij recenter extincti fętore in nares grauidæ fœminæ
inſpirante abortum fieri prodidit. Hæc breuiter ante iuxta medicorum placita
fuere notata; Tu verò tamquam iudex prudentiſſimus ſingula ad penſum de-
ducito, & me, vt ſoles, ama. Datum Rauennæ die. 6. Martij. 1609.

Prædictorum vigore mulier è carnificis manibus euaſit, nec morti damna-
ta fuit.

P QVAE-

QVAESITA PRIMARIA TRIA ORTA EX EO, quod cum Princeps Illuſtriſſimus ludo paruæ pilæ cum domeſticis ſeſe recrearet, pila vehementer repercuſſa alteram faciei partem prope oculum oblædens, tumorem in ea, & colorem turpem excitauit.

I.

Cur ex pilæ repercuſſione, & ictu faciei vitiatus ſit illius partis color, & vibex orta. B

II.

Cur ad ſugillationem, quæ hypopion *dicitur, redigi debeat.*

III.

An, & quomodo aggredienda ſit eius curatio.

Secundaria quinque.

I.

Cur ecchymoſis ad coſmeticem pertinere videatur.

II.

An ὑπώπιον, & ὑπωφθάλμιον eundem apud Hippocrat. ſenſum habeant. C

III.

An in curatione ecchymoſis præmittenda ſit vniuerſalis euacuatio.

IV.

Cur non eadem ſemper debeat eſſe ratio topicorum in ecchymoſi.

V.

Cur in ὑπωπίῳ ab initio curando Neoterici Chirurgi Galeni mentem aſſecuti minimè ſint.

Ad Ioannem Benedictum de Sinibaldis Leoniſſanum meum olim Diſcipulum. D

PAulo antequam in morbum incideres, mi Ioan. Benedicte, cuius cauſa Romanum Cœlum relinquere, & in Patriam concedere neceſſe tibi fuit, dum meis tranſcribendis opuſculis nauiter operam dabas, neſcio qua occaſione de liuidi coloris, & liuidarum macularum noſtro in corpore generatione inter nos loquendi ſuborta, petijſti a me nonnulla ad ecchymomatum naturam, & curationem pertinentia, quibus ex tempore, ſi memoria te-

A ria tenes, pro viribus ſatisfeci, ſaltem quo ad cauſam, & modum generationis ipſorum; quæ enim ad curationem facere videbantur longiori, & opportuniori otio indigebant; ideo quæ coram exponere nequiui, nunc abſens per epiſtolam mittere volui, cum præſertim illa ipſa ſint, quæ alias ego, dum eſſem Rauennæ, occaſione iam præſcripta typis etiam excuſſa diuulgaui. Hæc ſiquidem vbi attentè legeris, omnibus a te petitis me abunde reſpondiſſe fateberis. Video te iam vndique confirmatum; Deum precor, vt tibi contingat, quod de quibuſdam affirmat Liuius: *Defuncta morbis corpora ſalubriora eſſe cæpere*. Ad id autem, quod nuper mihi ſcripſiſti, ad calcem doctæ, & elegantis tuæ conſultationis, de meo ab Vrbe diſceſſu Bononiam verſus, quid reſpondeam non habeo, preterquam B quod eloquentiæ Parens quadam in epiſtola dixit; *Vrbem mi Ruffe cole, & in iſta luce viue*; Et Caſſiodorus; *Piaculi genus eſt abſentem ſibi Romam facere; qui conſtitutis in ea laribus poteſt habitare*. Taceo Symmachi dictum, tu apud eum videris; ſileo, & alias intimiores cauſas, quas ſcrutari quidem poteris, ſed minime aſſequeris. Fac me ames, & inchoata ſtudia ne deſeras, quia in magnum euades Medicum. Dat. Romæ 16. Septembris. 1619.

Cum Princeps Illuſtriſſimus temperaturæ ſanguineę, capitis calidioris, ſed vnà humidiſſimi, a grauioribus animi curis, publiciſque negotijs parua pila, vulgo *pilotta*, cum domeſticis ludendo ſeſe recrearet, forte fortuna C euenit, vt a validiori brachio per ligneam tabellam pila ipſa repercuſſa, naſum eiuſdem Illuſtriſſimi Viri vehementer offenderit, ab ea nimirum parte, qua ad læuam inclinat. Quem ictum, & percuſſionem mox ſubſequuta eſt ab ea tantum nare ſanguinis profuſio ad vncias quinque, quæ quidem hæmorrhagia vberior etiam fuiſſet, niſi a frigida aqua attracta venularum oſculis occluſis, tenuior ſanguinis portio intro pulſa, & intercepta fuiſſe. Proxime ſequenti die iuxta conſuetudinem ad eandem ſe contulit exercitationem. Nocte pars faciei ſiniſtra, vbi gena naſo eſt vicina in mollem, ac tactui ſine dolore cedentem inflationem eleuari incępit, & ſubtus inferiorem palpebram ad initium imæ partis orbitæ oculi nigrities, ſeu liuor D quidam apparuit, qui faciei formam, alias viſu hilarem deturpabat. Quęritur nunc modus generationis, & quo nomine primum ex veterum Medicorum doctrina hæc affectio appellanda ſit, & quæ eiuſdem ſit eſſentia, & charateriſmus; deinceps verò, quæ nam intentiones in curatione medicis ante oculos obuerſari debeant, & quæ tandem cum intrinſecus, tum extrinſecus ad id mali genus profligandum medicamina requirantur. Quod igitur ad modum generationis huius ſymptomatis attinet, vnde poſtea, & nomenclaturam, & characteriſmum ipſum aſſequi arduum minimè erit, nemo non nouit ex carnis, & cutis a graui quodam corpore, quod extrinſecus ſuper inciderit, contuſione venulas perambas

P 2 excur-

excurrentes contundi, ac pene dilacerari, ita vt ſanguis ex eis elidatur, & A
eliſus diſpergatur per ipſam cutis ſubſtantiam, nec non tenues eiuſdem meatus repleat; a quo, & pars in inflationem extuberat, & liuido etiam, ac nigricante colore ſuffunditur. Sanguis enim quotieſcunque extra vaſa diutius moram alicubi trahit, primo liueſcit, & tum affectio πελίωμα Græcis nuncupatur, mox nigreſcit, & μέλασμα dicitur; cum ibi denique in grumos, eoſque multos, ac paruulos pro ratione anguſtiç loci, in quo continetur, conuertatur. Vt huiuſmodi mali curatio non tantum therapeuticç, quantum etiam coſmeticæ conuenire videatur; deformitatem enim potius hoc in affectionis genere timemus, quam quod morbo propriè dicto lædamur. Quare Hippocrat. in lib. de affection. poſteaquam enumerauit lepram, pruritum, ſcabiem, impetiginem, vitiliginem, & B
alopeciam, ſtatim ſubiungit. *Sunt talia turpitudo magis, quam morbi.* Idem aſſeri de ſugillatione debet. Ioannes Fernelius libr. quinto de partium morb. & ſympt. capit. octauo *Eiuſmodi,* inquit *deformitatum ingens eſt numerus, quæ quoniam corporis functionibus haud quamquam obſunt, non inter morbos, ſed quod omnino præter naturam ſint inter ſymptomata recenſeri debent.* Hoc itaque deformitatum genus varia apud Græcos, & Latinos nomina ſortitum eſt. *Ecchimoſis* enim; & *ecchymoma* ab illis dicitur; vti videre eſt apud Galen. lib. quarto meth. primo & libr. 14. capit. ſeptimo, & apud Paulum Aeginetam libr. quarto capit. 30. idemque ſonat, quod apud nos *effuſio*, quæ, vt dixi, fit, cum ſanguis ex contuſione, vel ruptione cu- C
tim ſubit, atque in ea liueſcit. *Vibicem* quoque appellant Latini, & Auicennæ Interpretes percuſſionis veſtigia ſpecialiter tamen, & magis propriè quæ circum oculos ex re aliqua contundente excitatur nigrities, a nobis *ſugillatio* quidem dicitur, ſed quæ *hypopion*, quaſi ſub oculis, vocatur, vnde Græci vibices μώλωπες, ſugillationem verò, quæ eſt ſub oculis, ὑπώπιον appellant. ὦπες enim Græce oculi nuncupantur. Hypopion itaque per omega in ſecunda ſyllaba, & ἰῶτα in penultima ſugillatio erit, quæ ſub oculis in malis fit, genere *ecchymomatum*, ideſt effuſionum, comprehenſum. Eandem apud Hippocrat. habet ſignificationem, quam apud eundem *hypophtalmium*, nam quarto coac. prænot. 26. de lethargicis lo- D
quens tradit eos habere *hypophtalmia*, nempe genas inferiores inflatione, & laxo tumore extuberantes. De hoc affectionis genere Gal. quinto catat. capit. primo ita per interpretem loquitur. *Quod hypopion ſub oculis fiat, nomen ipſum indicat. Idem enim eſt veluti ſi quis hypophtalmium dicat, quod ipſum ſub oculis ſonat; eſt autem ex genere effuſionum ecchymomatum appellatarum. Appellant ita Hippocrates, & alij multi Medici, circa cutim affectionem cum tenuibus in ipſa venis contuſis ſanguis per fiſſuras effunditur, non vno loco aceruatim, ac ſtatim ita excretus in grumos coiens, ſed poſtquam per perſultationem, hoc eſt diapedeſim, vt ipſi vocant, effuſio ipſa*

facta

A *facta eſt ; contingit ſane aliquando vbi ita coierit, temporis progreſſu liueſcere, & denigrari, paruis nimirum grumulis ex diſperſo in multas cutis partes ſanguine coactis.* Huiuſce prorſus naturæ eſſe malum Illuſtriſſimi Domini ex relata a me hiſtoria quis non videt? Contuſæ ſiquidem fuerunt venulæ cutis genarum a grauiori pila per ligneam tabellam magno cum nixu repulſa venularum autem nomine venulas intelligo tam per interiorem, quam per exteriorem naſi partem excurrentes, quarum externarum origo, vt anatome docet, è ramo quodam iugilaris venæ iuxta angulum lachrimalem procedente manifeſtè inſurgit. Ex ipſa ergo percuſſione illico è ſiniſtra nare ſanguis exilijt, parumque abſuit, quin veluti ſcotomatico capitis motu arreptus in terram ceciderit. Cumque ſanguis ipſe, quo valde ſcatet Illuſtriſſi-
B mi Domini corpus, citius, quam oportuiſſet ex frigida per nares attracta reſtiterit; perque iteratam exercitationem, & eodem illo momento, & ſequenti pariter die, capite magis concalefacto, ſurſum maiori in copia fuerit euocatus, mirum nulli videri debet, ſi portio, quæ tenuior, & ad cutis poros ſubeundos idonea magis eſt, ex relaxatis vaſorum tunicis, & rarefactis, per quandam quaſi tranſcolationem, aut proprie ſumptam diapedeſim egrediens, inter obuia quæque inania, & anguſta valde illius cutis ſpatia ſeſe indiderit, eandemque tunc aſpectui noſtro colore cum liuido ex ſanguine ipſo exſiccato, tum citrino ex bile intermixta non ſine molli tumore magnopere fœdatam offerret, ac repræſentaret. Sanguis verò ab internæ naris venulis dubio procul
C per anaſtomoſim effuſus eſt, vaſorum illorum oſculis a copioſiori, & feruentiori ſimul ſanguine in ipſa confluente reſeratis. Cauſa autem fluoris vna fuere calor, & dolor peracerbus ad oſſis naſi membranulam ex ictu, & colliſione excitati. Ex quibus omnibus, quæ nam ſit præſentis ſugillationis natura nemini non patet. Reliquum modo eſt, vt quibus intentionibus eidem obuiam eundum ſit, aperiamus. Primaria igitur intentio communis eſt omni ecchymoſi, aut effluxioni, nimirum, vt quod præter naturam in læſa particula apparet, euacuetur, & diſſipetur. Hæc etenim eſt ecchymomatis, pro vt ecchymoma eſt, propria, veraque curatio, vt nos docuit 4. meth. Galenus illis in verbis. *Sanè ecchymoſis omnis vacuationem pro remedio curationis indicat*; quod simili-
D ter traditum ab eo eſt libr. eiuſdem operis 14. capit. ſeptimo. Ratio etiam a natura ſugillationis deprompta hanc ipſam curandi methodum aperte admodum demonſtrat, cum enim in plenitudine conſiſtat pororum cutis, plenitudine ſcilicet ſanguinis extra vaſa delapſi, inde ſtatim generaliter indicatur, id quod repletum eſt, vacuatione tollendum. Verum hic dubitandi inſurgit occaſio, an de alia etiam vacuatione ſit huiuſmodi ſermo intelligendus; præter quam de particulari, quæ per ipſam met læſam particulam fieri ſolet; neque enim omnis vacuatio ad illum ſanguinem educendum idonea eſſe videtur, cum neque miſſio ſanguinis, neque purgatio per medicamenta ſanguinem ipſum concretum, & in cutis poros impactum euacuare poſſit. Addo neque cucurbitulas id ipſum exacte præſtare, vti fere

omnes exiſtimant. Pereas enim, vt experientia conſtat, ſanguis potius in A
venulis contentus, quam ille, qui ſit in cutem impactus, euacuatur. Quam-
obrem de illa vacuationis ratione accipi ſermo debet, quæ ſenſum prorſus la-
tet, videlicet per diaphoreſim, ſeu per digerentia, ac diſcutientia; ideo ſtatim
emergit primus ſcopus diſcutiendi, vel digerendi. Quo reſpexit Galen. ipſe lo-
co citat. præadducto dum ait. *Quare merito ad eius curationem ſtatim feſtinant.*
Medici, priuſquam denigreſcat, ſcopum medendi habentes, vt ſanguis diſcutiatur,
cum ſciant id quod in grumos coierit ex ſanguine, ægerrime diſcuti poſſe. Quoniam
autem digerentia medicamenta inter initia, quo tempore etiam ſi corpus in-
tegrè foret expiatum, ſanguis tamen ad effectam ſedem iugiter affluit, ſuſpe-
cta habentur, implent enim potius, quam euacuent, vtpote quæ calefaciunt,
& aperiunt, idcirco ad ea ante deueniendum non eſt, quam fluens ad locum lę- B
ſum materia aliò fuerit auocata, & imminuta; quod optimè fit phleboto-
mia, clyſteribus, purgationibus, & aliquando etiam apophlegmatiſmis, ſed le-
nioribus. Statim verò a percuſſione ſi perſiſtat dolor, hic eſt omni arte ſedan-
dus, & contuſæ particulæ ne fluxionem tam promptè excipiat, robur concilian-
dum erit rebus frigidis, ac ſtypticis eam perfundendo, ac illinendo. In quibus
quidem abſoluendis intentionibus multum refert læſionis tẽpus metiri, quem-
admodum aperte nos docuit ibidem Galen. Alio ſiquidem modo tractanda res
eſt in principio, alio in fine, & cum iam inueterata eſt affectio, non quod tem-
pus ipſum aliquid indicet, ſed hoc potius dicitur propter materiei naturam, quę
tempore mutatur. Iuxta hanc veritatem in initio ecchymoſis, cum haud vna ſit C
affectio ſimplex, ſed plures commixtæ, quæ cõtrarias habent indicationes, mi-
xta quoque debet eſſe medicamentorum ratio; nam a principio leniter repellen
tibus, ac adſtringẽtibus vti opus eſt, mixtis modice digerẽtibus; Ad huc.n. vena
rum tunicæ quodãmodo dilaniatæ, & colliſæ adſtringentia poſtulãt, quibus ro-
borentur, & ipſarũ meatus contrahantur, ne ſanguinem fluere permittãt. Pro-
grediente tẽpore mens tota ad diſcuſſoria verti debet, in quorũ vſu medendi ra-
tio poſtulat, vt a lenioribus exordiamur, ac ita ad valẽtiora progrediamur. Quod
ſi hic quærat aliquis, qũo cognoſcere id tẽpus valeat, reſpondebo ex afflicti loci
colore. Inter initia enim rubor eſt aliquo non ſine liuore, mox liueſcit omnino,
& denique ad nigredinem vergit, quo tempore grumoſus factus ille ſanguis D
ægrè admodum diſcutitur. His cognitis facilè etiam intelligitur, quamobrem
Gal. lib. & cap. iam adductis, partem ſugillatam decocto fęnugræci, & meliloti
foueat, deinde vtatur collyrio è roſis, & primum aqua præcipuè pluuia, quę nõ
obſcurè adſtringit, deinceps verò eodem, meliloti, & fęnugræci decocto exci-
piat. Aquæ enim beneficio fluxio, & inflammatio inhibetur, virtute meliloti, &
fęnugræci ſanguis effluxus in halitum diſcutitur, eadem de cauſa tandem me-
lilotum a decocto detrahit, quia aliquando aſtringit, & ſolum fęnugræcum
concoquit, in quo vis molliendi eſt, & maturandi, & diſcutiendi. Hiſce inten-
tionibus ſatisfacere non valde arduum, ac difficile iudicaui, in ſubiecto præſer-
tim texturæ admodum raræ, & ſanguine prædito bilioſo, ac tenuiori, qui facil-
limè

A ſimè diſcuti ſolet: atque eo magis, quò ſtatim ſeſe tenui multum, & exquiſito victui addixit, vt plenitudine imminuta, fluxio magis cohiberetur, ad frigidum etiam in actiuis qualitatibus inclinante. Ad hæc ſugillatio non in profunda aliqua parte latitabat, ſed in ſuperficie, vbi etiam cutis tenuiſſima eſt, efflorefcebat. Ad medica auxilia deſcendo: quæ quidem vel communia eſſe poſſunt, & generalia, vel topica, & particularia; ſi priora reſpicimus, nulli dubium ante omnia conuenire phlebotomiam, vel è iecoraria, vel è mediana dextri brachij, dextrumque dixi, non propter iecur ſolum impenſe feruidum, & multo ſanguine abundans, verum quoque, vt particulari contuſioni oppoſitum auerſionis gratia; necnon purgationem, cum per medicamenta bilem præſertim educentia, tum etiam per enemata validiora, quæ aſcendentes in caput euaporationes B mirum in modum reuellunt. Illuſtriſſimo Domino neque ſanguis miſſus, neque pharmaca propinata ſunt, quamuis a me ſuo tempore fuerint propoſita. Nam etſi appropinquarent caniculares æſtus, & dies, quibus difficulter fiunt corpora medicationes, nihilominus adeò temperata fuit mox præterita temporis conſtitutio, vt frigus ne, an calor in ea præualeret, a nobis dignoſci vix poſſet; ne dicam, quòd illa Hippocratica aſſertio noſtro æuo, & noſtro in climate non vndequaque veritatem habet. Sæpe enim etiam furente canicula purgantia blanda, & benedicta exhibemus, quorum ferax admodum eſt præſens ætas. Sanguis pariter, vrgente neceſſitate, non infæliciter euacuatur, parcius tamen, quàm alijs in temporibus, ne ingens fiat ſpirituum reſolutio, & inanitio. Nam C & Gal. 14. de cur rat. per ſang. miſſ. dicit in ſummo æſtatis, ideſt ſub cane, minus ſanguinis detrahendum. Quare non prohibet, quin etiam media in æſtate ſanguis mittatur. Sed quia nobiliſſimus Dominus viſus hebetudinem patitur, ſanguinis miſſionem abhorret, vel eam, quæ cucurbitulas cum ſcarificatu ſpatulis affixas fieri ad reuulſionem ſolet. Valeſcus ſanè frequentem vſum cucurbitularum cum ſcarificatione viſum quoque debilitare annotauit. Sed hæc omnia fuiſſent abſque vllo dubio neglecta, ſi uel minima alicuius imminentis periculi ſuſpitio inſurrexiſſet. Per alium abundè, & ſæpius in die cum exirent excrementa, omiſſa ſunt vel ipſamet eccoprotica, quæ fæces ſolum deturbant. Topica igitur tantum, eaque ſelectiora remedia in vſum fuere deducta, quorum admini-D culo breui dierum ſpatio ſugillatio non leuis penitus expugnata fuit. In his recenſendis localibus eo vtar ordine, quo vſum fuiſſe Galenum conſtat. Primum enim ſua enumerat, deinceps verò alia multa ex alijs refert. In curatione igitur ſugillationis Illuſtriſs. D. a principio vnguento roſ. Meſuæi affectam partem illiniui, & illo etiam quod ex alabaſtrite lapide conficitur, addito roſarum puluere. Tale enim & fluentes ſuccos repercutiendi, & conquaſſatas venularum tunicas, & quoquo pacto rarefactas in vnum comprimendi facultatem non obſcuram habet. Adiungi tamen vel ab initio curaui eidem vnguento parum ſucci raphani ad diſcutiendum iam liueſcentem ſanguinem; nam & hac ratione adhiberi in primis diebus raphanum poſſe exiſtimo. Poſt hæc ad diſcuſſoria magis, & digerentia me contuli, adſtringentibus non omnino prætermiſſis.

Quia

Quia tamen cum Principe munditiem amante res agebatur, cui propterea non A
niſi quæ gratum redolerent odorem adhiberi medicamenta permittebatur, ideò
fouere partem illam incepi ſpongiâ madefacta in decoctione parata ex vino al-
bo odorato, roſis, meliloto, camæmelo, calamento, fœnugræco, abſynthio, origa-
no, & cimino; qua ſpongia ſæpius in die contuſa pars fouebatur, & ablata pars
tota vnguento de dialthea inungebatur, eidem polline tenuiſſimo ex relatis re-
bus inſperſo. Demum cum maximè diſcutientibus opus eſſet, decocto dicto ſer-
pentariam, & radicem raphani incoqui, & ſal, acetumque adijcienda mandaui.
His itaque Illuſtriſſimus D. paucis interiectis diebus melius ſe habere viſus eſt,
liuorque intra anguſtum valdè locum coactus, citius etiam euanuiſſet, niſi præ
caloribus, qui tunc temporis inſæuire incipiebant, prætermiſſa eſſent medica-
menta illa, maiorem profecto, quàm ipſa met affectio, moleſtiam afferentia. B
In principio Galenus, & Aetius Nili ex roſis collyrio, quod diachoron vocant,
vtebantur, ex eo in aqua diſſoluto locum ſugillatum illinentes, cuius quidem
collyrij Gal. lib.4. cap.7. catat. duplicem adfert compoſitionem, alteram nimi-
rum, qua vtebatur Andreas, & alteram, qua vti ſolitus erat Gallio ophthalmicus
Medicus in frequentiori tamen vſu erat prior compoſitio; ego autem ab initio
magis vterer poſtrema, quæ ob additam acaciam maiorem habet adſtringendi
facultatem, poſtea verò ad aliam quoque deuenirem. Prodeſſe ab initio ſolet re-
pellens ex ouo integro agitato cum roſaceo. Recentiores roſaceo, oui candido
inſperſo puluere myrtillorum vtuntur. Ioannes Tagaultius lib.2.cap.10. *Raſis,*
ait, Lanfranchus, partem eo vitio laborantem inungebant roſaceo, & poſt vnctionem C
puluere myrtillorum reſpergebant, ac mediocri deligatura ſtringebant. Antonius Chal
metæus in ſuo Enchiridio Chirurgo cap.8. *In concuſſionibus,* inquit, *particularibus*
ſic fiat in primo apparatu. Recip. olei roſ. vnc.2. ouum.1. pulu. myrt. vnc.ſem.ſ. linim.
quo calenti locus vngatur. Alij liniunt tantum oleo roſ. & aſpergunt puluerem myrti,
aut gallarum, aut corticis granatorum; hæc ille. In vſu tamen myrtillorum a princi-
pio curationis abſtinendum potius eſſe videtur iuxta Galeni doctrinam, quā vi-
deo non obſeruatam a iam citatis Chirurgis, Laudans enim Galenus ab initio
roſam, melilotum, crocumque poſtea ſubdit. *Non tamen ex eiuſmodi pharmaco-*
rum numero eſt myrtus, vtpotè vehementer adſtringens, qua propter ego nunquam
ipſa vti auderem, præſertim ſi iam liuidus ſit color ſugillatorum. Ob eandem pariter D
rationem alicui fortaſſe magis arridebit incipiente malo collyrium Andreæ,
quàm Gallionis. Deinde vbi iam ſanguis defluxerit, priuſquàm omnino de-
nigretur, ſanguinem columbarum, turturum, aliarumque calidarum
auium multi cum ratione apponunt, vt diſcutiatur; nec non lac ipſum muliebre
cum pauco thure, aut croco; ſed hæc in hypophagmate potius, quàm in hypo-
pio, quamuis & huic ſugillationi mirè congruant. Alij pro fomento vtuntur
decocto meliloti, & fœnugræci; alij farinis fabarum, & hordei, & fœnugræci in
oxymelite coctis pro cataplaſmate, nonnulli verò magis faciunt oui luteum cū
melle, & croco. Sunt qui cyminum nodulo includunt, & feruenti aqua ſalſa
immergunt, & ita imponunt. Alij valdè probant ſugillum B.Mariæ forma cata-

plaſmatis

A plaſmatis admotum. Caſeus recens cum melle ſugillata quæque emendat, & litus ex lapathi acuti radice ad putrilaginem in aceto decocta; mummia, thapſiaque Neronis dicta. Pannum oleo de Kerua, & de nucibus veteri inculcatū quidam adhibent. Nux rancida, & iam oleoſa cum melle ſubigitur, & ſupinè decũbente ægro ne excidat hypopio tribus horis imponitur, quæ cum excidit alia reponitur. Vnde Aetius ſerm. 8. cap. 2. *Ego autem*, inquit, *expertus ſum nucem pinguem vetuſtate rancidam certiſſimum ad liuores remedium; Quod ſi inueteratum ſit malum*, ſcribit idem ibidem, *ex ſandice collyrium, & ſimilia præclarè omnino diſcutiunt, qualia Dioſcorides inter facile parabilia enumerauit; ea enim, quæ ſub oculis fiunt, ſugillata, & liuores iam inueteratos tollunt; raphani cortex cũ melle illitus; bryoniæ radix vino, aut ceraſo excepta; bulbus cum vitello oui impoſitus, aqua marina calida pro fomento; aut muria, vel ſalſugo; caſeus antiquus cum decocto hyſſopi impoſitus.*
B *Statim autem tollit ſepiæ teſta cum aceto illita; ſinapi cerato exceptum; cucumeris ſylueſtris radix contrita cum melle; lini ſemen contritum cum lacte.* Plura qui volet Galenum, Paulum, & Aetium in iam adductis locis adeat oportet. Ego enim ſelectiora, & paratu faciliora remedia tantum huc ante legentium oculos afferre contentus fui, quæ tibi, Iuuenis ſtudioſiſſime, tuique ſimilibus acceptiſſima fore non diffido. Rurſus vale, & me ama.

QVÆSITVM PRIMARIVM IN HONESTISSIMA

C Muliere Rauennate, ætatis floridæ, optimique habitus, quæ vtero gerere credebatur, ſolis clyſteribus carminatiuis, & emplaſtro de baccis lauri ventri admoto ſanata.

I.

An de mola, aut aquoſa materia, vel flatuum craſſorum copia in vtero latitante dubitandum magis eſſet, dum re vera minimè vtero gerere compertum eſt.

Quæſita Secundaria ſeptem.

I.

D *Cur ſine maris copula mulier molam concipere nequeat, vt gallina ſine gallo oua concipit ſubuentanea.*

II.

Cur ſemen ebriorum infœcundum magna ex parte ſit, & qui ex eo concipiuntur parum ſint vitales.

III.

Cur dicat Hipp. Cur mola adeſt in ventre nihil moueri.

IV.

An lac eſſe poſſit in mammis vtero non gerentis.

V.

Cur Hipp. pleuritidis curationem à fomentis inchoaret.

An

VI. A

An morbus in numero apud Galenum à naturali tantũ materia excedente ſemper fiat.

VII.

Cur, & vnde in mola curatione ſanguinem haurire oporteat; & quómodo illius curatio ineunda ſit.

Ad Carolum Leonardum I. V. D.

DOleo equidem non parum me nunc Rauenna abeſſe, tibique, ac tuæ
honeſtiſſimæ filiæ coram inſeruire minimè poſſe; faciam tamen,
quod optatis non minori cura, & ſtudio, quam ſi præſens cum altero
Medico, qui nuper iſthuc acceſſit, colloquerer; cui quidem meã B
hanc epiſtolam legendam offeres, curans ſimiliter, vt ſingula diligenter filia
enarret; ita enim & ipſe melius ſuam poterit in medium proferre ſententiam.
Viginti itaque & plures ſunt menſes, quibus tua filia vtero gerere arbitratur, cui
aliquando credendum fuit, cum iam ſæpius pepererit, & eadem nunc, quę alias,
ſe perſentire, ſeu pati affirmet. Decepta enim, & illuſa eſt primò a tumore ventris,
qui in dies, ac menſes augeri viſus eſt; deinde ex motu quodam in ventre
percepto, quem ipſa ſemper dixit motum eſſe infantis, tandemque ex nonnullis
ſymptomatibus, quæ grauidis superuenire ſolent, & quæ olim ipſamet experta
fuit, dum vtero verè gerebat. At cum hodie manifeſtiſſimè præterlapſum ſit
tempus, quo geſtari fœtus ſolet, & nihilominus tumor ille, & alia iam dicta per- C
ſeuerent; meritò, & cum ratione ambigitur, quidnam in ventre latitet, & quid
nam præſtari hac in re dubia poſſit. Cum igitur abundè conſtet ex florido, &
optimo cutis colore, carnoſo totius corporis habitu, & integra, qua fruitur, valetudine,
nullum prorſus reperiri vitium in membris præcipuis, & ad vitam neceſſarijs,
auſim liberè dicere malum omne intra vteri latebras deliteſcere, quæ
pars gignendæ potius proli, quàm indiuiduo conſeruando deſtinata eſt a natura.
Verumtamen quid nam in ipſo vtero adſit, hoc opus, hic labor: Suſpicio etenim
eſſe poteſt, vel de hydrope vteri ab aquoſa materia, vel de inflatione a flatibus
craſſioribus, vel de mola. Sed cum impoſſibile videatur (licet non me lateat
adeſſe in contrarium obſeruationes aliquot, & hiſtorias, de quibus alibi) tam co- D
pioſam aquam tamdiu contineri in vtero iuuenis naturali calore valido prędi-
tæ, & inculpata prorſus ſanitate fruentis, ſuſpicio tantum erit de duobus alijs,
quæ ſolent diu in vtero mulierum latitare, etiam ſi, quoad reliquum corpus, bene
ſe habere fateantur; Et quantum ad carnem illam informem, otioſam, nec
omni vndique vita deſtitutam, quam molam appellamus; ecce nunc quæ me de
ea faciunt opinari argumenta: Primum ergo deſumitur à modo generationis
eiuſdẽ molæ, quẽ nos docuit Hipp. in li. de ſteril. cum dixit: *Quando copioſiſſimus
ſanguis ſuſcepit debile, & paucum ſemen, tunc legitimus non fit conceptus, ſed venter
intumeſcit, ac ſi vtero gereret.* Sermo enim ipſi eſt de vera, & legitima mola, &
inualido ſemine virili, ex quo Hipp. loco obiter notetur, non rectè eos ſentire,

A qui mulieres etiam viduas, aut virgines abſque vllo viri concubitu molam con-
cipere poſſe contendunt, quorum opinio refellitur & ab experimento, & ab
Ariſt. 4. de Gener. animal. 7. velut a Gal. 14. de vſu part. 7. & ab Auerr. in præ
adducto loco Ariſt. Vnde mirum certè eſt, quòd, præter Syluium in lib. de natu-
ra Hom. in ſchol. illius ſententiæ, quę ſic incipit: *Primum igitur neceſſe eſt:* Ferne-
lius 7. de procreatione hominis cap. 1. tradit, fęminã ex ſe ipſa ſine viro molam
plerumque producere, ſicuti certum eſt gallinas ſine gallo emittere oua *hype-
nemia*, hoc eſt ſubuentanea appellata; atque eo magis, quo idem ſibi parum in
ea re conſtans 6. de par. morb. & ſympt. cap. 5. ſcribit efficientẽ molę cauſam nõ
ſolum eſſe ſanguinem menſtruum, ſed etiam ſemen viri, quod aut corruptum,
aut quouis modo inualidum fuerit, nec vnquam viſam eſſe mulierem ſine mare
B molam concepiſſe; quod confirmatur Actuarij doctrina lib. 1. meth. c. 23. *Mola
eſt tumor carneus, qui principium, & quod habet compactum ſumit à ſ. mine prolifico.*
Vnde exploditur opinio quoque Plutarchi autumantis ſine viri conſuetudine
poſſe hanc molam generari. Cauſa autem, ob quam non eadem, & par ſit ratio
fęminarum, & gallinarum, elicitur ex adducto Gal. loco 14. de vſu part. cap. 7.
in quo probat bene poſſe in volucribus animalibus ſolam fęminam formam ar-
tificioſam inducere ob eorum caliditatem, & ſiccitatem, non autẽ in greſſilibus,
in quibus ob humiditatem fęminæ corpus omnino eſt imbecille. Alij nihilomi-
nus aliter hac de re ſtatuunt, de quorum cenſu præter Auicennam, & Valeſius
eſt; Dato tamen etiam quod mulier ſemine ſuo inualido in menſtruum ſangui-
C nem agendo quoquomodo poteſt, in quandam carnis ſpeciem ducat, non pro-
pterea id ſine maris copula fieri omnino poſse putauerim, quatenus ſaltem per
coitum mouetur ob voluptatem naturali motu ſemen mulieris ad vterum, atque
admiſcetur ſanguini menſtruo, vnde & concipit. Verum quicquid hac de re ſit,
iam patet omnibus filiam tuam copioſiſſimo ſcatere ſanguine, cum ſit plethori-
ci habitus, ita vt etiam tempore, quo verè grauida erat, ſanguis ſingulis menſi-
bus copioſè, aut per vteri capacitatem, aut per alterum ramum ſpermaticæ iux-
ta hederiformem, quæ ad latera vteri deſcendit, & hypogaſtricæ occurrit efflue-
ret, citra ipſius, & fętus noxam, quod quaſi miraculi loco haberi poteſt, ſi nos ve
ra docuit in ſuis Aphor. Hipp. Columbus li. 12. anat. & Augenius lib. 5. epiſt. 1.
D cap. 10. referunt multas cognouiſſe mulieres fętus validos emittentes, quibus
ſingulis menſibus menſes exibant, propter copiam ſanguinis. At coniugem
eius, iam vno fere ab hinc anno defunctum, quis eſt, qui non recordetur contra-
rij penitus fuiſſe temperamenti, & habitus, eiuſque ſemen propterea vix proli-
ficum, accedente præſertim errore in potus ratione quàm maximo? Nam vino
generoſiſſimo ſe frequẽtiſsime obruebat; ſcimus etenim horum omnium ſemen
frigidum liquidum, & infęcundum euadere. Ex quo etiam puto factum, vt geni-
ti ab eo citò obierint, & qui nunc viuunt, non multum vitales ſint, quia morboſi.
Vnde dicebat Plutarchus ſympoſ. lib. 3. quęſt. 5. quòd qui multum meri bibunt,
languidi ſunt ad concubitus, & ratione gignendi nihil validum, aut bene tem-
peratum projiciunt, ſed ob prauitatem, & frigiditatem ſeminis euanidæ, & im-

perfectæ

perfectæ ſunt eorum cum mulieribus conſuetudines: Sic & Macrobius lib. 7. Satur. *Hauſto*, inquit, *vino plurimo fiunt viri ad coitum pigriores, quia vini nimietas facit ſemen exile, vel debile*. Idem tradit Auic. lib. 3. Fen. 21. tract. 1. cap. 8. & ante hos omnes Ariſt ſect. 3 Probl. 4. vbi ſic loquitur. *Cur ſemen genitale ebrioſorū magna ex parte infœcundum? An quod habitus corporis eorum præhumidus eſt, ſemen autem non quod humidum, ſed quod conſtans, craſſumque exiſtit, hoc vim obtinet procreandi*. Secundum argumentum elicitus à tempore geſtationis; nam de Hipp. ſententia eodem in lib. de ſteril. *Si vteri timor perſeueret vltra vndecimum menſem, tunc ſignum eſt manifeſtum in vtero molam, non verum conceptum adeſſe*. Tua autem filia prætergreſſa eſt etiam decimum quartum menſem; in quem vſque terminum poſſe ferri in vtero fœtum prodit Auic. nec ignota eſt à Plinio relata hiſtoria lib. 7. cap. 5. vbi ex Maſſurio refert. *Lucium Papirium pretorem ſecundo cohærede lege agente, bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater partum ſe ſedecim* (alij tredecim legunt) *menſibus diceret tuliſſe, quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatutum videretur*. Tertium Argumentum ſumitur ab illo motu in abdomine ad vteri regionem: Nam quemadmodum iuuenis ipſa propter hunc motum vtero ſe verè gerere in hanc vſque diem autumarit, ſic aliquis vice verſa ex eodem motu molam in vtero adeſſe, non temere crediderit: quandoquidem motus ille nullo modo ſimilis eſt motui infantis intra vteri capacitatem ſe mouentis; ſed motus tremulus, & palpitationi correſpondens, qui non aliunde fieri videtur, quā ab vtero inutile illud pondus excutere conante. Quod ſi Hipp. in li. cit. de ſteril. affirmat *quando mola adeſt, in ventre nihil moueri*, intelligit ſanè motu proprio, & ſibi intrinſeco, eo quòd mola nonniſi ad motū mulieris moueri ſolet, ad differentiam veri conceptus. Quartum argumentum depromitur a lacte, nam ex eiuſdem Hipp. ſententia eodem in loco, *quando in vtero verus eſt conceptus, mammillæ turgidæ ſunt, ac lacte abundant*; probatque id ipſum a finali cauſa lactis quia hoc ſcilicet a natura in infantis nutritionem præparatur; Si verò mola ſubſit, turgidas vult eſſe mammillas, ſed abſque lacte. Cum itaque huic iuueni turgeſcant mammæ, ſed ſine lacte, iure merito credi poteſt molam geſtare. Non enim ſufficit aliquam interdum lactis portiunculam exijſſe, quia id facilè fieri poteſt in iuuene carnoſa, & ſanguinea alias parere, & fœtum nutrire cōſueta, cum etiam inter medicos fide dignos ſint, qui non modo in fœminis virginibus, ſed & in viris carnoſis, & multo ſanguine redundantibus, in eorum mammis lac ſe vidiſſe fatentur. Ita mihi Bononiæ ſtudijs operam nauanti retulit Gaſpar Tagliacotius, dum quēdam intra carcerem detentum inuiſeret, ex eiuſdem mammis lac multum, ſed aquoſum valde, manibus ſuis expreſſiſſe. Aliquando tamen viſæ ſunt mulieres molam gerentes, & menſium habentes ſuppreſſionē, ob quam in mammis lac habere ſolebant; Qua de re legatur Petrus Foreſtus lib. 28. De mul. morb. obſer. 77. in ſchol. His itaque rationibus, & argumentis non temerè aliquis de mola potius, quàm de aquoſa materia, aut etiam craſſioribus flatibus tua in filia ſuſpicari poſſet; atque eo magis, quia licet per Hipp. 7. Epid. maior morborum pars vteri a flatibus pendeat, & motus ille in ventre tremulus

mulus

A mulus iiſdem acceptus quoque referri poſſit, nihilo tamen rationi conſonum haud eſſe videtur, tandiu flatus adeo craſſos, ac copioſos intra vterum, ac ventrem morari, quin dolores & vteri, & ventris totius etiam peracerbos excitent, & huc, atque illuc ferantur, de quibus adhuc mecum conqueſta non eſt. Accedit quod nullum ferè ex ſignis illis, quæ vteri vocatam inflationem concomitari ſolent, in iſta iuuene obſeruatur. Dicebat enim Hipp. in lib. de nat. mulier. & 2. etiam de morb. mulier. *Si inflati fuerint vteri, & venter attollitur, ac inflatur, & pedes intumeſcunt, & cauæ, faciei partes, color iniucundus fit, menſes non fiunt, genitura hoc tempore non fit, mulier anhelat, & anxia mœret, & cum ſurrexerit, aut progreſſa fuerit, rectæ ceruicis ſpiratio ipſam tenet, & quod ederit, aut ebiberit, ipſam moleſtat, & magis ægrè triſtatur, prius quam ederet, & ſæpe etiam ſuffocatur.* Addunt neoterici omnes in tali affectu non ſolùm imum ventrem ſed lumbos, pectus, & alias corporis partes vtero conſentientes aut dolore, aut alio ſymptomate vrgeri. Et quamuis, quoad hydropem, inde augeri dubitationem aliquis contendere poſſet, quia experientia conſtat, copioſiſſimam aquam in vtero collectam geri a mulieribus, nullo apparente prauo ſymptomate. Vnde extat mirabilis illa apud Veſalium hiſtoria lib. 5. cap. 9. de muliere textrice Auguſtana, in cuius vtero ille reperit ſeroſam aquam, ſupra 60. menſuras Auguſtanas, quæ ſingulæ pendunt libras tres, nullibi interim circa inteſtina præſente aqua, aut laxo in pedibus, manibuſque tumore, aut etiam viſcerũ, aut alterius cuiuſdam organi ſe ſe alioquin offerente vitio; Nihilominus tamen habeatur id pro rariſſimo, cum ferè quotidie videamus multo leuiores vteri morbos propter mirũ cum principibus partibus conſenſum, grauiſſima in mulieribus accidentia inducere, & fœminas, quæ vteri hydropem patiuntur, permoleſta ſimul habere ſymptomata, de quibus Hipp. lib. 1. de morb. mulier. Quamobrem cupio & ego quàm maxime, vt qui, me abſente, ſuper accerſitus eſt Medicus cuncta hæc diligenter expendat, prius quam ad præſidiorum materias deueniatur. In morbis enim dubiis, & incertis, quales ſunt ferè omnes qui viſus, & oculorum ſenſum effugiunt, omnino obſeruandum puto, quod præcipit in Epid. Hipp. *In morbis ita aſſueſce, vt proſis, aut ſaltem ne noceas*; Vnde hoc in caſu probarem ſummopere, vt & nos eundem Hipp. imitaremur, qui in pleuritide, antequàm ad generoſa deſcenderet præſidia, cenſuit ſibi prius inchoandum a leuioribus quibuſdam topicis, quibus vtebatur, non vt pleuriticum affectum indagaret, quia & pleuritidis, & dyſenteriæ ſigna ſunt ferè demonſtratiua, vt nos docuit 12. meth. cap. 7. Galenus, ſed potius doloris ſedandi gratia, fluxam materiam, è qua dolor, diſſipando per calorifica fomenta, quæ cutim ad perſpiratum rariorem faciunt, & morbificam cauſam in halitum diſſipant; Eius enim verba videntur mihi omnino eſſe de curatione, non cognitione; niſi dicatur id factum ab eo fuiſſe, vt cauſa certior euaderet, & conſequenter etiam vtrum vera, & legitima, an ſpuria, & notha pleuritis foret. Vnde 6. aphor. ſcripſit. *Dolores pectoris quantum differant perdiſcendum*; quoniã ſi, aut a flatibus, aut a pauca, & tenui materia catarrhali præſertim dicta, lateris dolor, vt non raro euenit, generabatur, ſolis fomentis attenuantibus, & diſcu-

B

C

D

rientibus extrinſecus admotis euaneſcebat; Sed ſi ab humoribus calidioribus,& A
præcipuè biliofis,ex calido admoto fomento dolor magis inſæuiebat,quia digerentia medicamenta, vbi in corpore ſubeſt redundantia,ſi dolenti particulæ adhibeantur,replent potius,quam vacuent, vel digerent; quo intellecto ſtatim ad valentiora, & magis præſentanea auxilia deſcendebat Hipp. præſertim verò ad venæ ſectionem,vt in Anaxione fecit, in quo vel vſque in ſeptimã diem tenuiſſima ſolum ſorbitione, & ſolis fomentis vſus fuit; Quã die vbi cögnouit dolorem ipſum,febrem, & reliqua ſymptomata inualeſcere,venã ſecuit octauo die. Licet fomenta ab Hipp. magis facta velit Fernelius lib 3. meth. cap. 13. ad impactæ materiæ, & veluti conſopitæ excitationem, attenuationem, & colliquationem, vt fluxilis reddita facile ſequatur quocunque medicamentum trahet. Quod præparationis genus quamquam diuturnis eſt affectibus accommodatiſ- B
ſimum *attamen & Hipp.* inquit idem *acuti morbi, vt pleuritidis initio vſurpauit, neque calorem veritus, neque fluxionem nouam*; Verum ne a re propoſita longius quam par ſit,recedam, & hæc opportuniori loco examinanda impræſentiarum relinquam,mea foret ſententia, mi Carole,vt exemplo,vt dicebam,ipſius Hipp. in caſu omnino ambiguo, antequam ad valentiora, quæ dicentur præſidia, deueniatur, filia tua per plures dies geſtaret emplaſtrum de baccis lauri nuncupatum toti ventri diligenter applicitum,dummodò, antequam adhibeatur, duo ſaltem inijciantur enemata ex carminatiuis vocatis compoſita;quæ medico mea in abſentia accerſito notiſſima ſunt. Hæc autem ſi nõ contulerint,indeq́ue propterea de mola ſuſpicio in dies magis inualeſcat, abſque dubio omittenda non C
erunt,quæ pro eius ablatione peragi a Medicis conſueuerunt; Qua tamen in re illud tibi minimè ſilendum eſſe duco, ſi mola inueterauerat, vt iam duos annos exceſſerit,conſilio Hipp. timidè admodum ſuſcipiendam eſſe illius curationem, nec niſi prænunciato periculo. At quinam erunt ſcopi in huius mali curatione? Cum mola ſubſtantia quædam ſit toto genere præter naturam, & ad morbum in mala compoſitione, aut in numero, vt lapis in veſſica,referatur, licet aliquando Gal. morbum in numero illum eſſe velit, qui fit a materia naturali excedente,vt eſt ſextus digitus, non autem a materia morboſa,ſecus ac docet de empyemate cap.8.de differ. morb. Vbi talem affectum ad morbum in numero redigit, qui tamen a materia omnino morboſa gignitur,qualis eſt purulenta. Vnde col- D
ligitur, non ſemper apud Gal. morbum in numero fieri a naturali materia, ſed etiam a morboſa. Cum inquam ſit mola toto genere præter naturam, dubio procul indicat eradicans de Gal præcepto 4.meth.13.ſed quia craſſionis,ac durioris materiæ eſſe ſolet, ea propter auferri neutiquam poterit, niſi præeunte idonea præparatione,& illa quidem per emollientia,atque attenuantia, poſtquę ad illa pariter, quæ expultricem facultatem ad expulſionem rei noxiæ ſuſcitandi vim habent,deueniendum erit,& in ſumma ad illa omnia,quibus vti ſolemus ad mouendos menſes, ad deturbandum mortuum fœtum, & ad morantem ſecundinam. In primis igitur tranſactis his feruid s, & ſyrijs caloribus,poſt congruam ventris lenitionem ex lenitiuo cum ſpeciebus hieræ,aut melle,& ſyr.roſ.

ſolutiuis,

A ſolutionis, cenſeo mittendum eſſe ſanguinem è cubito primò, & mox è pede:
Vitium enim hoc à ſanguine omnino pendet, ſanguiſque hoc in caſu vrgentis
rationem habet, præterquam quod molæ pabulum adimetur, ne in dies magis,
magiſque intumeſcat, & humorum ad vterum confluxus inhibebitur, ſicque fi-
liam ab impendente inflammatione præcauebimus, cum præſertim in molæ cu-
ratione ad illa deſcendere oporteat, quæ ad vterum excrementa deuehunt, &
per eundem euacuant, quæ non obſcura pollent caliditate. Sunt tamen è practi-
cis, qui à pede ſolum hauriendum eſſe ſanguinem contendunt, vt per omnia
molæ curatio reſpondeat curationi ſuppreſſorum menſium; ſed in tam plethoi-
rica muliere, & propter alias adductas cauſas relatum ordinem hic ego peni-
tus ſeruarem. In ſerie mollientium reponuntur quę extrinſecus admouen-
B tur, & quę intrinſecus aſſumuntur; Inter exteriora ſint fotus è decoctio-
ne altheæ, maluæ, & chamęmeli; omnia genera adipum, & pinguedinum, è
quibus etiam parari poteſt inſeſſus, in hydreleo videlicet ebullitis. Pectini pa-
riter, ac perineo adhibeatur diachylon cum gummis mixtum cum emplaſtro de
meliloto. Prius enim emollit, poſterius etiam reſoluit. Ad idem confert vnguen
tum de althea cum oleo liliorum alborum. Per os autem inſtar omnium com-
mendo oleum amygdalarum dulcium, necnon decoctionem in iure paruæ pul-
læ totius altheæ, maluæ, ac vtriuſque ariſtolochiæ; Quo ſimul tempore probare-
tur mihi ſummopere puluis caſtorei, myrrhę, dictamnique Cretenſis vna cum
ſyr. de artemiſia in bolum redactus. His autem omnibus non conferentibus ad
C validas potiones, aliaque magis præſentanea deſcendendum à nobis erit, qui-
bus in menſium ſuppreſſione vti quotidie ſolemus, quæ nunc recenſere ſuper-
uacaneum iudico, quia præſertim non multis ab hinc diebus ſpero me Rauen-
nam eſſe reuerſurum. Interim tibi, filiæque tuæ inculpatam à Deo precor ſalu-
tem. Vale Cęſennæ die 2. Iulij 1610.

*Placuit alteri Medico, vt post carminatiua enemata abdomini imponeretur em-
plaſtrum de baccis lauri iuxta meam ſententiam, a quibus non multo poſt venter vn-
dique detumuit, aſſiduus ille motus tremulus euanuit, & reliqua etiam ſymptomata
diſparuere. Vnde veriſimile ſit illud præſenti Iuueni contigiſſe, quod de alijs quibuſ-
dam legitur, quæ cum per plures menſes vtero geſtare arbitrarentur, tandem crepitu*
D *edito, & flatibus ex vtero emiſſis, ſe non verè concepiſſe cognouerunt, & hallucinatio
hunc in modum detecta fuit. Ita contigit cuidam fœminæ Iudeæ Olyſiponenſi, vt eſt
apud Paſchaſium in ſua Praxi.*

DE QVAESITIS PER EPISTOLAM. A

Centuria Tertia.

DISPVTATIONES TRES.

De verme admirando è dextra nare Nobilis Viri Cęſennatenſis poſt auctam febrem, & grauia ſymptomata reiecto.

Prima.

Fuluij Angelini Ceſennatenſis Medici doctiſſimi.

Secunda. B

Auctoris.

Tertia.

Ioannis Baptiſtæ Codronchij Imolenſis Medici Celeberrimi.

In quibus

QVÆSITA PRIMARIA OCTO SVSCITANTVR, & enodantur. C

I.

Cur ad communes lumbricorum differentias redigi non poſſit.

II.

An eundem habuerit generationis modum, quem habent alij vermes.

III.

An ex eadem pituitoſa materia ortus ſit, e qua reliqui, cum varios præſeferat colores.

IV.

Quæ nam fuerit efficiens cauſa.

V. D

An in eodem ſit genitus loco, quo alij etiam generantur, nempe in inteſtinorum cauitate.

VI.

An foris genitus clam per ſomnum in narem ingredi potuerit: vbi mirifica, & iucunda habentur hiſtoriæ.

VII.

An in capite, aut in ventriculo ortum habere potuerit.

VIII.

Quæ nam grauiora mala, ſi intus delituiſſet, ab eo emanaſſent.

Secundaria viginti tria.

Quot nam ſint differentiæ lumbricorum, quomodo ſingulæ vocentur, & in quibus maneant

A neant inteſtinis. Vbi Auicenna, & Celſus defenduntur, & Hipp. à contradictionis nota vindicatur.

II.

Quinam ſint Aſcaridodees apud Hipp. vbi Hollerij, & Iacotij error notatur, & Gal. locus corrigitur.

III.

Quęnam corpora, & membra vermium procreationi magis ſint obnoxia.

IV.

An ex ſolis alui excrementis fęcalibus oriantur lumbrici.

V.

Cur interior inteſtinorum tunica minimè mutetur in latum vermem, vtputat Aetius.

B VI.

An lumbrici ex quolibet humore oriri poſſint.

VII.

Cur cum Oribaſio dici poſſe videatur, aſcarides generari ex melancholia.

VIII.

Cur in pueris adultioribus magis fiant vermes, quàm in valde tenellis.

IX.

An, & quomodo ad generationem vermium vterque concurrat calor, cęleſtis, & proprius, ſeu naturalis.

X.

C An finalem cauſam vermes habeant.

XI.

An, & quomodo dicantur vermes eſſe, aut non eſſe toto genere prąter naturam.

XII.

In quot, & quibuſnam locis oriri poſſint vermes.

XIII.

Cur Gal. videatur & ipſe fateri in ventriculo nō gigni vermes, quēadmodū Ariſtoteles.

XIV.

Cur inuſitati generis vermes, & animalia aliquando intra corpus naſcantur. Quā in re admiranda referuntur hiſtoria.

D XV.

An, & cur in capite, ac cerebro varia poſſint reperiri animalia.

XVI.

In quem finem, & vſum glans pituitaria, & narium meatus latiores facti fuerint.

XVII.

In quanam capitis, & cerebri parte gigni animalia poſſint:

XVIII.

Cur non rectè dicat Mercurialis vermes nec in ventriculo, nec in cerebro oriri poſſe, vbi etiam ſibi non conſtat.

XIX.

Cur ad naſi colatoria gigni non poſſe vermes malè dicat Gabucinus.

XX. A

An multa fiant in cerebro, corde, hepate, alijſque partibus principalioribus præter naturæ ordinem, & intentionem. Ubi obſeruationes afferuntur per quàm mirabiles.

XXI.

Quænam mala oriantur à vermibus pro varijs, quæ occupant, locis. Ubi Illuſtriſs. Domini, qui ex deglutita cum aqua hyrudine obijt, narratur hiſtoria.

XXII.

Cur Vermis hic, dum in ventre (ſi tamen ibi eſt genitus) delituit, nullum attulerit graue ſymptoma.

XXIII.

Cur in quibuſdam tempore febris ſint vermes adeò moleſti.

B

Ad Illuſtriſs. Dominum. D. Honoratum Abbatem Caetanum.

AB eouſque tempore, quo Rauennæ ære publico Medicinam exercebam, & Patruo tuo fœlicis recordationis Bonifacio S. R. E. Cardinali pro Medico inſeruiebam, breuem quandam diſſertatiunculam confeci, occaſione Vermis certè mirabilis ex altera narium nobilis cuiuſdam Viri Ceſennatenſis egreſſi, qui Medicorum illa in Prouincia primariorum excitauit ingenia, vt modum, & locum in primis generationis illius perſcrutarentur; Quorum vnus fuit Fuluius Angelinus, qui primus rem hanc breui, ſed per quàm docto diſcurſu complexus fuit, quem ad me ſtatim per modũ C epiſtolæ miſit; Alter verò, qui & ipſe ingenioſiſſimè, doctiſſimeque eandem proſequutus eſt materiam, fuit Io. Baptiſta Codroncus, cuius alia quàm multa habentur in media Repub. commentaria, & opera laudatiſſima, qui ad Angelinum ipſum, & ad me quoque propriam ſententiam exarauit, poſtquam tamen diuulgatum, ac typis traditum fuit opuſculum; quod quidem, vt vides, Illuſtriſs. Abbati D. Aloyſio Fratri tuo tunc ibi moranti nuncupatum a me fuit. Nunc autem, cum illud iterum propalandum in vulgus ſit, addita Codronchij diſputatione, & a me etiam adauctum magis, ac magis expurgatum, Tibi maximè mittendum, ſeu inſcribendum eſſe duxi, tum propter ingenij tui dotis verè ſingulares, & magnam quoque tuam in doctrinarum omnium genere delectationem, tum propter tua erga me merita, totiuſque excellentiſſimæ Caetanæ Domus; Sit enim vno, & eodem, tempore, vna quaſi fidelia plures dealbans parietes, non ſolum tibi, & fratribus, ſed potiſſimum etiam alteri Patruo viuenti Antonio Cardinali Illuſtriſſimo, ac ſapientiſſimo grati animi ſignum quaſi indelebile præbere mihi videor. Accipe ergo munuſculum ea, qua me ſemper excipis, humanitate, & vbi per ſtudia altiora, Theologica intelligo, quibus te mirum in modum addictum eſſe non ignoro, licuerit, ad hæc noſtra introphyſica deſcendere ne graueris, quibus tanquam delectabili cibo refocillata mens ad alia ſublimiora, atque difficiliora capeſſenda melior, acriorque redibit. Vale, Dat. Romæ die 4. Iulij 1621.

D

Illu-

A *Illuſtriſſimo Domino Aloyſio Abbati Caetano.*

QVæcumque tam in magno, quam in paruo mundo vel hactenus viſa non ſunt, vel longa temporis intercapedine quaſi de nouo inſurgunt, maximam nobis afferre ſolent admirationem ſtudioſiq; omnes, qui præ alijs natura ſcire deſiderant, naturalem earum cauſam quantum poſſunt aſſequi, ac reddere conantur. Imò hinc prima philoſophandi origo. Quæ non ignorans Fuluius Angelinus Medicus, & Philoſophus percelebris, dum prætentis menſibus in medicina facienda iuueni cuidam Cęſennatenſi, qui non multo ante à maligna febre reuixerat, vermem, aut nunquã, aut certè a ſeculo non viſum, ex altera narium conualeſcentis excretum proprijs
B oculis inſpexerit, ſtatim rem admirandam literis mandare, & eleganti, ac erudita narratione exornare aggreſſus eſt. Hanc autem ad me miſit vnà cum dedicatoria epiſtola, quam cum typis dignam non ego ſolum, cuius infirmium eſt iudicium, ſed alij multi doctiores cenſuerint, factum eſt, vt tantorum virorum iudicio mihi acquieſcendum eſſe duxerim, honeſtæque illorum hortationi morẽ geſſerim. Adiunxi, & ipſe de eádem re diſſertatiunculam breui horarum ſpatio compilatam, cui aliqua a Fuluij ſplendore claritas affulgebit. Vtrumque opuſculum nobiliſſimo tuo nomini dicare placuit, Illuſtriſſime Abbas, multaque ad id faciendum me inuitant, inter alia (vt taceam vetuſtiſſimę Caetanæ Domus ſupremas in Eccleſia Dei dignitates, & prædicatã ab omnibus in omni do-
C ctrinæ genere, atque armis etiam excellentiam, quæ pluribus abhinc ſeculis hęreditario quodam iure in poſteros diffuſa vbique locorum emicat, atque refulget) non vulgaris in me amor, non contemnenda beneficia iam collata, & ardens maiora ſuo tempore conferendi voluntas patrui tui Bonifacij Cardinalis almę, huius Prouinciæ de latere Legati D. mei, cuius admirandæ ſapientiæ fama iam in omnes ferè mundi partes euolauit. Accedit ſublimioris ingenij tui viuiditas, qua ſupra ætatem ſapere omnium conſenſu iudicaris. Sequere vt iam cępiſti; non enim vereor, quin tuorum, qui vita defuncti ſunt; quique noſtra hac ætate florent, famam, & gloriam aſſecuturus ſis. Munuſculum ne contemnas, rem tibi nouam legere ne graueris, meque amare ne deſiſtas. Vale diu Rauen-
D næ Kalendis Maij 1610.

VINCENTIO ALSARIO CRVCIO GENVENSI, Medico apud Rauennates Primario, ac Celeberrima.

Fuluius Angelinus Cæſennatenſis Medicus. S. P. D.

CVm mihi diebus elapſis medicinam facienti contigerit rem vidiſſe, vilem profecto, ſed admirandam, vermem ſcilicet, non ſolum a reliquis vermium humanorum figuris differentem, & per partem corporis inſuetam egreſſum traxit me nouitas euentus, & quamuis diſtrictum publicarum lectionum, & medicinę occupationibus impulit, vt de hac re mira

re mira aliqua ſcriberem viliorum enim animalium diſputationem, perpeſſio- A
nemque faſtidio quodam puerili ſpreuiſſe, moleſteque tuliſſe, dignũ haud quaquam eſt ex Ariſt. teſtimonio, cum nulla res ſit naturę, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur; hæc autem paucula Tibi, Vir clariſſime tuoque celeberrimo nomini dicare placuit, tanquam meæ erga te obſeruantiæ, argumentum. Decreueram hæc typis excudenda dare, & forte dabo, cum primum tractatum de apoplectico ſymptomate aduerſus imperitorum quorundam inſcitiã cõpleuero, ſperans ſingula mea ſcripta ſub tuo iudicio, quaſi ſub Clypeo Palladis oſtentare ęmulis inuulnerabilia. Hæc itaque hilari fronte ſuſcipe, interimque Illuſtriſſimo Cardinali Caetano communi noſtrum, omniumque ſtudioſorum Mecænati meo nomine humillime aſſuigas. Vale, meque vt ſoles ama. Cæſennæ, nonis Aprilis. 1610. B

DE VERME ADMIRANDO EX MORBI ACVTI Conualeſcentia per nares egreſſo.

BREVIS DISPVTATIO

Fuluij Angelini Medici Cęſennatenſis.

NObilis Iuuenis conciuis noſter Dominus Auguſtinus de Viſdominis annum agens circiter trigeſimum quartum temperamento ſanguineo, facie, piliſque rubeis, diebus elapſis circa quartã, aut quin- C
tam menſis Martij diem, incidit in vnam ex febribus nõ modo populariter apud nos, ciuitateſque proximas vagantibus, ſed (vt fertur) per plurimam Italiæ partem, a cerebri nempe repletione pendentem, ob craſſas, viſcidaſque materias in ipſo multiplicatas ab inconſtante præſentis cœli conſtitutione, & ad infernas partes delapſas, vnde Branchi, Coryze, Raucedines, Tuſſes, Pleuritides, Capitis, Aurium, Colli, totiuſq; corporis dolores apparent; ſiq; eędemmet materiæ prolabantur ad venas, & in illis humorum ad putredinẽ apparatum, atque diſpoſitionem inuenerint, febres, nonnullaſque malignas accendunt, vt verum inde cognoſcatur Hipp. dictum præſertim in epiſtola ad Demetrium Regem; *Caput morborum omnium eſſe radicem.* De hac igitur febrium na- D
tura, cui non parua erat annexa malignitas, fuit hæc, qua dictus patiens conflictatus eſt; octo enim noctes ferè duxit inſomnes, plurima ſemper ſomno cum audientium faſtidio colloquebatur, licet non præter rem, manus, & pedes ferè ſemper algebant, ita vt pedes etiamſi pelliceis calceamentis operirentur, vix ad calorem redire potuerint; A quo tamen ſęuo atque lethali affectu liberatus eſt primò Dei Opt. Max. beneficio. Vt enim habetur Sapient. capit. 16. *Non herba, neque malagma, ſed ſermo Domini ſanat omnia, & Dominus eſt, qui vitæ, & mortis poteſtatem habet, deducitque ad portas mortis, & reducit.* Mox etiam medicamentis a me ex arte paratis; Deus enim primus eſt Medicus, huius autem inſtrumentum eſt natura, vtriuſque verò miniſter eſt Medicus; Cum autem hic ex morbo

iam

A iam coualeſceret, neque illum amplius ipſe viſitarem, dum apud ignem de cęna
cogitat, ſentit ecce neſcio quem leuem pruritum, aut triſtem ſenſum circa dex-
tram narem, credenſque id vel ex grumo ſanguinis, aut a craſſo muco procede-
re, ſudariolo nares emungit, ſtatimque in ipſo delapſus apparet. *Vermis medij
digiti longitudinem æquans, craſſiuſculo corpore, rubeus, nigro capite, & duro, duabus
acutis branchijs inſtar ſcorpionis mordens, non nullis pilis rubeis præditus, ſex pedes ver
ſus caput, non nullos vero paruos verſus caudam habens, quibus placide gradiebatur,
vixit apud me quatuor integros ſine cibo dies, huiuſque imaginem præſens picta pagina
notam facit.* Hæc eſt fida totius huiuſce mirabilis euentus hiſtoria: Circa quam
noſtrum eſt aliqua breuibus mandare literis; Cum enim nihil aliud eſſe videa-
tur admiratio, quam quædam animi ſuſpenſio, & quaſi ſtupor ob rei cuiuſpiam
B nouitatem, certè nouus hic, atque rariſſimus (quod ego ſciam, aut legerim) au-
ditus, aut viſus euentus, animum noſtrum in admirationem merito trahit, ſi ve-
rò minus fortaſſe purgatiſſimis virorum auribus ſatisfecero, ad quos mea hæc,
qualiacunque ſint, ſcripta peruenerinr, illud conſiderent, de rebus nouis, & in
abditis naturæ receſſibus poſitis haud quaquam facilè eſſe pro dignitate diſſe-
rere; naturam itaque (vt hinc exordiar) mirabilia quandoque operari certum
eſt etiam ex Hippocr. teſtimonio lib. de lege, & de decen. ornatu; Arcano enim
quodam operandi modo mira, & incredibilia operatur. Vermes quoſdam mari-
nos binis branchijs, ſexaginta cubitorum ceruleos eſſe ſcribit Plinius lib. 9. cap.
15. Statij Seboſis auctoritate quibus tantæ inſunt vires, vt Elephantes ad potũ
C venientes mordicus comprehendant, & abſtrahant. Idem lib. 11. cap. 33. intra
hominem tineas tricenum pedum, & aliquando plurium longitudine naſci tra-
dit. Trallianus lib. 7. cap. 9. mulierem quandã, quæ grandi fame tenebatur, ver-
mẽ propinata hiera vomuiſſe ſcribit, qui longitudine 12. cubitos, & eo amplius
eſſe putaretur. Gentilis de Fulg. Nobilem quendam Peruſinum tres latos ver-
mes a renibus, per vreteres, & veſicam eieciſſe teſtatur. Azarauius cap. de Tuſſi
aliquando è pulmonibus eiectos fuiſſe vermes ſcribit. Et ſiquis plurimos alios
admirandos in natura euentus ſcire cupit; legat is Ariſt. de admirãd. audition. &
inter modernos Ambroſium Pareum lib. 18. cap. 3. & toto lib. 24. ne ex relatis
huiuſmodi naturæ portentis volumen cõtexere velle videar; ſed vnde hæc om-
D nia? Profectò a natura ludos in operibus faciente, ſic natura ludit, ſic mirificas
ſuas exerit vires, vt quod illi ludus eſt, nobis ſit miraculum, ſed quamuis effectus
rarus ſit, eius tamen ſcrutandæ ſunt cauſæ; præſertimque huiuſce vermis gene-
ratio, atque generationis locus diligenter eſt inquirendus. Licet ergo hic nullus
ſit ex illis tribus vermium ſpeciebus paſſim ex Hipp. Gal. Aetij, Pauliq; doctri-
na notis, quibus Auicenna viſus eſt quartam addidiſſe, nõ enim lumbricus eſt,
non latus, ſeu immenſę longitudinis, non de Aſcaridum ſpetie, vt ex manifeſtiſ-
ſimi ſingulorum inditijs, quæ referre ſuperfluum eſt, patere poteſt; tamen cum
vermis ſit, currit illico conſequentia, ergo ex eadem materia, vt reliqui, & eodẽ
efficiente genitus erit, ſcilicet a dulci, craſſaque pituitoſa materia putreſcenre a
calore in digerendo præparata, vt animalis formam recipere poſſit, cum omnis

actio

actio patientis diſpoſitionem requirat (ita ex Ariſt. doctrina vniuerſalia primo, A
deinceps particularia ſpeculabimur) dixi ex pituitoſa materia, non probans ſen
tentiam Oribaſij, atque Montani exiſtimantium a quolibet humore poſſe gene
rari vermes, id ex varijs vermium coloribus argumentantur; rubeus enim ſan-
guinem, nigricans melancholiam, croceus bilem, & albidus pituitam denotare
videntur, quod profecto argumentum tantæ non eſt efficaciæ, vt ad id confiten
dum nos cogere poſſit; vermes enim ex ſanguine non poſſe gigni ex eo oſtendi-
tur, quod nunquam ſanguis ad talem, tantamque putredinem deuenire poteſt,
vt ex eo animal generetur, ſed illico eo corrupto tenuior pars in bilem, craſſior
autem in melancholiam degenerat. Hinc Trall. lib. 12. capit. 2. de febr. putridis
refert nonnullorum medicorum ſententiam, qui nullam in venis putredinē dari
poſſe crediderūt, hac potiſſimum ratione, quod nullus in venis appareat vermis B
ob ſanguinis præſentiam. Neque ex humore melancholico naſci poſſunt; cum
in totum ſit vitæ contrarius, hæc enim in calido fundatur, & humido, hic autem
humor frigidus eſt, & ſiccus. Multo minus a bile ob eius amaritudinem, omnia
enim amara vermes enecare omnibus eſt compertiſſimum. Reſtat igitur, vt a
ſola pituita dulci putrida vermes generentur, formam a calore ſuſcipiēte, quod
etiam Gal. 3. Aphor. ſect. comm. in tex. 26. & Ariſt. 4. meteor. cap. 3. teſtati ſunt.
Sed vnde varij colores in vermibus, & præſertim in hoc color rubeus? Dico duo
primo colorum varietatem a validiori, ac vlteriori coctione procedere. Talia n.
animalia ex Ariſt. lib. 3. de gen. anim. cap. 11. ex putredine non ſola, ſed coctioni
mixta generantur. Dum igitur calor moderate coquit, album colorem; dum au- C
tem validius, & vlterius coquit, rubeum colorem inducit. Coctiones enim vel
minimū adauctę coctarum rerum colores immutant. Dico ſecūdo vna cum cla-
riſſimis Viris Hieron. Capiuaceo libr. 3. Praxis cap. 14. & Mercuriali libr. 3. de
puer. affect. cap. 4. hanc fieri varietatem, videlicet, quoniam portiuncula illorū
humorum miſcetur pituitæ, ex qua fit vermis, aut ex ſuctione a verme facta, eo
quod exſugat, in propriumque conuertat alimentum aliquem ex dictis humori-
bus, a quibus idcirco fit coloris variatio: formalis cauſa vermis, eſt numerus au-
ctus, eſt enim generatio noua vnius ſubſtantiæ quæ prius non erat, quemadmo-
dum ex Gal. colligitur lib. 14. metho. cap. penultimo. Efficiens proximū (omit-
to enim calorem cęleſtem) eſt calor eidem met rei, ſeu pituitæ putreſcenti in- D
fixus, iſque robuſtus, vt docuit Ariſt. 4. meteor. cap. de putred. Dixi calorem de-
bere eſſe robuſtum, ne eo ab alieno calore diſſipato, tota putreſcat materia, neq;
in viuum animal commutari poſſit, quod etiam notauit Gal. cit. comm. in text.
26. 3. ſect. Aphor. Quod ſi etiam cauſam finalem his addere velimus, hanc eſſe
dicamus, vt natura quod melius eſt efficiat; melius enim eſt rem putrefactā vi-
uificari, quam eandem incinerari. Vniuerſales igitur vermium cauſas huic par-
ticulari applicantes, dicimus huius generationem fuiſſe ex viſcida, dulcique pi-
tuitoſa materia, a calore eidem inſito valido, qui licet diuerſam ab alijs for-
mam, colorem, & magnitudinem habuerit, id ex validiore coctione, ſangui-
neique humoris ſuctione contingit, quo præfatus patiens plurimum abundat.

Verum

A Verum quod iuditio meo maiorem in hoc caſu dubitationem facit, eſt, in qua nam corporis parte vermis iſte ſit genitus. Non enim videtur hoc animal potuiſſe in inteſtinis gigni. Inteſtina ſiquidem cum longa ſint,atque rotunda, vermes etiam in ipſis longi, atque rotundi generantur, cuiuſmodi ſunt lumbrici. Multo minus in ſtomacho,eſt enim locus ille generationis neque coctionis,nō autem tantæ putredinis,vt ibi poſſit animal generari, quæ fuit etiam Ariſtotel. ſententia 4.lib.meteor.tex.26.Neque obſtat Hippocrat.lib.de anatom. vocaſſe coctionem putredinem,& ſtomachum locum putredinis,ſiue putrefactionum, vt docte notauit Mercurialis tract.de Vino,& aqua cap.1.& lib.1.Variarum lectionum capit.1. viderique idcirco ex eiuſdem ſtomachi putredine poſſe in eo vermes gigni;nam coctio a veteribus putredo vocabatur,vel quia neceſſarium
B eſt cibos in ſtomachum ingeſtos corrumpi,propriamque ſubſtantiam amittere vt poſſint in chylum verti,vel ad excrementa putrida reſpexerunt, quæ in ſtomachi celebrata coctione reſultant. Non itaque vermes, cuiuſque naturæ ſint, in ſtomacho generari poſſunt, niſi fortè vna cum conciliatore dicamus differ. 191.In ægrotante corpore,cuius ſtomachus male habeat, ſcateatque plurimis putridis,atque corruptis excrementis, poſſe in ipſo generari vermes, ſecus autem in corpore, & ſtomacho bene habente. Neque in iecore poſſibilis fuit huiuſce vermis generatio, quamuis enim in ipſo,rariſſime tamen, poſſit generari vermis, impacta pituitoſa materia in eius poroſa carne, ibique putrefacta, vt in renibus,& pulmone poſſibile eſt euenire, non video tamen per quasnam vias
C potuerit hic a iecore ad nares deuenire.A pulmonibus enim,& renibus patens eſt exitus via,eruntque vermes in iecore geniti non huiuſce figuræ,& craſſitiei, vt præſens fuit.Vnde licet Gentilis cap.3.tract.2.3.canonis fen.prædicta, referat Petuſinum illum eieciſſe vermes per vrinam, non tamen dicit eos huic noſtro ſimiles fuiſſe, ſed ſolum dicit eum emiſiſſe in conualeſcētia vermes paucos, & latos (ſunt eius verba) concedam itaque in male affecto iecinore poſſe vermes (rariſſime tamen) reperiri per anatomicam diſſectionem, ſed quod huic ſimiles, & quod ab eo egredi, ac ad narium locum aſcendere poſſint, certè nunquam, aut vidi, aut legi; reſtat igitur dicendum vermem hunc fuiſſe genitum in cerebro; cuius rei fidem facere videtur Auicenn. qui prima fen. 3.
D Can.tract.2.capit.3.de ſoda duo aſſignat loca, in quibus poſsint generari vermes in capite; Primus eſt ſub panniculis cerebri, & hoc dicit eſſe rariſsimum; Alter eſt in ſtrictura narium, & hoc frequentius dicit euenire, & ita dicunt non nulli gloſari dictum Raſis primo continen. capit. de ſoda. Verum hæc ſententia (pace tanti Viri ſit dictum) mihi ſuſpecta eſt. Impoſsibile enim videtur in membris, ac viſceribus maximè principalibus tantam poſſe coacervari putredinem, vt vita generetur, & vita ſuperſtes ſit. Amplius natura adeo ſollicita eſt de cerebri tutela, ne aliquid præter naturam offendat ipſum, quippe quod, vt dicebat Plato de natura, ſit ſacrum animæ domicilium, membrum diuiniſsimum, ac rationalis animæ ſedes,vt ipſum idcirco cute, carne, pericraneo, craneo, vtraque meninge veluti propugnaculis munierit. Quomodo

modo ergo ex inſigni putredine vermes in eo generari permittet ſi ex ſola ipſius inflammatione etiã citra putredinem mors ipſa neceſſariò ſuccedit? Quod verò Iacob. de part. in citatum locum Auicennæ dicit famam eſſe, caninam a verme rabiem in canis cerebro nato prodire, merum eſt figmentum. Si verò dicatur in caprarum capitibus inciſis ex multorum teſtimonio vermes fuiſſe repertos, reſpondebo id in hoc bruto tolerare naturam ob ſummam illius cerebri humiditatem, a qua generatur vermis, & cuius merito illud idem animal adeò comitiali morbo expoſitum eſt, ex Galen. libr. de puer. epilep. & Hippocrat. de morbo ſacro. In his enim ſcribit cerebrum eſſe humidum, ſudore refertum, ac male olens. Ideò veteres Iouis ſacerdotes ab illius eſu penitus abſtinebant, ne iiſdem hoc malum communicaretur, referente Plutarcho in fine Quæſtion. Romanar. vtque etiam adnotarunt Vincentius Alſarius Crucius nunc apud Rauennates Medicus Primarius, ac celeberrimus in ſuis doctiſſimis de epilepſia Lection. & Cœlius Rhodiginus lib. 18. Lection. antiqu. capit. 5. Non itaque mirum ſi caprarum capita vermes producant; ſed hoc non eſt quaſi per neceſſariam conſequentiam de humano capite dicendum, de cuius tutela, atque conſeruatione dicta natura adeo ſollicita eſt. Addo cerebri meninges frigidas, & ſiccas eſſe, neque in illis idcirco imbibi pituitam craſſam, ac viſcidam, quæ futura ſit materia vermis. Tandem ex citata Ariſtot. auctoritate vermis in ſtomacho generari non poteſt, ſed ab alia parte in ipſum regurgitat, hocque propter huiuſce membri nobilitatem, quod Quintus Serenus Regem corporis, & Auerroes 7. collig. cap. 26. Principem communicantem appellat, multo minus in cerebro generari poterit, quod longe nobilius eſt ſtomacho. Vnde a Galeno in Ar. medic. inter principales noſtri corporis partes cerebrũ repoſitum eſt, ſtomachus verò nequaquam. Verum dato in humano cerebro vermes gigni poſſe, non vtique huius erunt naturæ, coloris, & magnitudinis, vt præſens eſt, ſed tenues erunt, oblongi, neque per nares exibunt, cum nulla pateat ex anatome via per quam a meningibus ad nares venire poſſint. Vnde neque ego vidi aliquem ex auctoribus Græcis, Arabibus, atque Latinis aſſerentem, vermem in cerebro genitum per nares exiiſſe, habentemque conditiones huiuſce noſtri. Ingenioſiſſimus Fernelius lib. 6. de part. morb. & ſymptom. cap. 10. teſtatur ſe vidiſſe exiguos vermes in renibus genitos cum vrina profuſos in pulmonibus genitos, auribus, dentibus, & in neglectis abſceſſibus, ac ſordidis vlceribus, nullam vero capitis mentionem facit. Neque ſine riſu audiri poteſt, quod ab ignaro quodam, & Medicinæ, & ſectionis anatomicæ imperito dicitur, vermem hunc in poſteriori capitis parte genitum prope nucam, indeque per cerebri membranas gradiendo ad nares perueniſſe, quod dictum tantam in ſe continet fatuitatem, vt a probo Medico non debeat impugnari; Quod ſi dicatur cum Auic. loco citato poſſe vermem in ſtrictura narium generari, ideoque hunc noſtrum in ea parte fuiſſe natum, negabo ſecundum dictum, conceſſo primo; Poſſe quidem longos lumbricos ab inteſtinis ad ſtomachum, & inde per æſophagum in os, & nares aſcendere, & per narium foramen exire,

vidi

A vidi ego multoties in medicina facienda. Vermiculos etiam in eorundem narium ſtrictura generari poſſe, vel a mucoſitatibus ad eam partem tanquam ad cloacam a natura depoſitis, vel ab aliquo intra nares vlcere, facile concedam; at ſimilem huic noſtro vermem in eorundem narium ſtricturam gigni, & extramitti colore, magnitudine, capite, & pedibus huic ſimilem, neque aliquis vnquam (quod ego ſciam) ſcriptor tradidit, neque ipſe vnquam adducar, vt credam. Imò impoſſibile exiſtimo duplici potiſſimum de cauſa; Prima quia in narium ſtrictura ſolæ mucoſitates reponuntur, quæ albo ſunt præditæ colore, neque in hoc ęgroto ſanguis exijt per nares; quomodo ergo genitus, ac nutritus in ea parte fuit vermis grandiuſculus rubei coloris? Addo in confirmationem, non potuiſſe in ea parte gigni vermem abſque ingenti capitis do-

B lore, ob vapores acres ab ea putrida colluuie eleuatos ad cerebrum, neque tamen vnquam toto ægritudinis tempore de capitis affectu conqueſtus eſt. Secunda quoniam ex Galen. citato comment. 26. 3. Aphor. ad vermium generationem non ſufficit ſola putredo, ſed plurimus etiam calor requiritur; modo in ſtrictura narium nō potuit tantus adfuiſſe calor qui huiuſce vermis generationi aptus extiterit. Caput enim ſuapte natura frigidum eandem etiam naribus frigiditatem communicat. Imò maior eſt frigiditas in narium ſtrictura, quam in cerebro, cum ex aere frigido externo per nares attracto pars illa plurimum refrigeretur. Neque huic meę determinationi quicquam officit auctoritas admirabilis Fernelij libr. 5. de part. morb. & ſympt. cap. 7. de milite

C ex narium vermibus mortuo, cuius hæc ſunt ipſa verba. *Sed & in quodam milite, qui reſimis erat naribus, ex fœtidiore quadam colluuie diutius cohibita vermes duo villoſi inſtar digiti illic geniti, inuentique ſunt, qui tandem in furorem illum adegerunt, febreque non admodum manifeſta è medio ſuſtulerunt die circiter. 20. &c.* Dicam enim, ſi quando monſtruosè tale animal in naribus gignatur, ſimilia a Fernelio enarrata ſymptomata euenient; mirum enim certè videri debet in eo loco adeo cerebro familiari, vt in odoribus patet, putredinem acriorem contineri, animalque venenatum gigni, nec cerebro notabilem noxam communicari. Cum igitur in noſtro Patiente nullum tale ſymptoma appHaruerit, neceſſarium eſt argumentum, vermem hunc in ipſius narium ſtrictura genitum

D non fuiſſe. Cum itaque nihil adhuc relatum ſit, quod in hoc quæſito poſſit menti noſtræ ſatisfacere, dicam ipſe quid ſentiam breuibus: vermem hunc ex putredine genitum eſſe, non eſt quod dubitetur, pituitoſæ ſcilicet, dulcis, viſcidæque materiæ, aut ſanguinis portioni permixtæ, aut coctione vehementiori intercedente; & eo magis quod dictus ęgrotans febre laborauerat ex notabili putredine ortum ducente, potiſſimumque circa ventriculi fundum, & ipſum mirach. Arbitror igitur in dicto loco inferiori ventriculi, & mirach. ex colluie putredinis in partibus illis collectæ fuiſſe genitum hunc vermem, indeque in ſtomachi capacitatem regurgitaſſe, a quodum æger ſomnum per noctem caperet, per œſophagi capacem viam leniter gradiens in amplitudi-

nem buccæ peruenerit, & ore clauſo (vt per noctem fieri ſolet) in narium ca- A
uitatem ſe reconderit, inuento narium ſatis capaci foramine, ibique quietus eo vſque permanſerit, quo vel grauans, vel pungens, ac vellicans ægrum ad emungendas nares ſtimulauerit, vnde eandem in lucem exierit. In hanc verò ſententiam duo me potiſſimum traxerunt; Primum, quod ſicuti lumbricos inteſtinorum ſæpe vidimus per hanc eandem viam ad ſupernas partes aſcen piſſe, atque per nares exijſſe, cur non idem de hoc verme eueniſſe dicendum eſt? Secundum maximè fuit, quod ſcripſit Ambroſius Pareus lib. 24. capit. 19. cuius idcirco verba hic ſubnectere placuit; *Anno Domini* 1578. *Stephana Cattreria Sancti Mauri a foſſis incola, vidua quadragenaria, febre tertiana laborans, paroxyſmi initio magnam copiam euomuit humoris bilioſi, vnaque villoſos tres vermes, figura, colore, & magnitudine erucis ſimiles, ſubatriores tamen, qui inde integros octo dies ſine vllo alimento vixerunt: Hoſtagi illius Chirurgus ad Milotum Do- B
ctorem Medicum detulit, qui ipſorum copiam Ieurto Craſſo, Mareſcotto Medicis, mihique fecit;* &c. Quibus verbis viſus eſt, quaſi ad vnguem noſtrum hunc vermem depinxiſſe, neque ij potuerunt in alia parte, quam in inferiori loco ventriculi iam dicto generari, & ad ſupernas partes aſcendere. Et ſicuti illi per vomitum eiecti ſunt, ita non fuit ab re noſtrum hunc per nares exijſſe; Hæc mea eſt circa præſentem caſum opinio, ſententiam facillimè mutaturus, ſi Clariſſimorum Virorum auctoritates, atque rationes, me ad id faciendum impulerint.

DE EODEM VERME C

Diſputatio Secunda.

AVCTORIS.

Ad Fuluium Angelinum Cæſennatenſem Medicum Præclariſſimum.

Diſputationem, quam mihi non ſolum mittere, ſed inſcribere etiam voluiſti, amantiſſime Fului, iterum, atque iterum auide legi, vna cum hiſtoria de verme, quæ profectò admiranda eſt, ſed nihilo magis doctrina, ordine, ac elegantia. Vnde, quan- D
ti æſtimaturi ſint omnes tua illa monumenta, quæ promittis, quorumque bona pars elaborata iam, & ad vmbilicum perducta eſt, facilè conijcere vnicuique licet. Equidem non poſſum te non vehementer hortari, imo pro communi reipub. literariæ emolumento non magnopere rogare, vt cum primum a publico legendi munere expeditus fueris, & a graui medicinam huic, & illi faciendi onere aliquantulum reſpiraris, de omnium promulgatione cogites. Ita enim cum tibi, tuæque poſteritati immortalem gloriam poſt obitum relinques, tum viuus etiam paſſim ab omnibus de re medica bene-

A benemeritus prædicaberis. Nec timeas æmulantium, aut potius inuiden-
tium aculeos, quos tua ſingularis virtus, tuique celeberrimi nominis fama ſa-
tis ſuperque retundet. In ſuper ſententiam a Galeno de mente Platonis allatam
7. meth. 4. tibi optimè perſpectam, memoria nunc velim habeas. *Non poſſunt,
quæ ſcripta ſunt non è manibus excidere.* Audi quæſo etiam Salomonem in Eccl.
capit. 4. *Rurſus contemplatus ſum omnes labores hominum, & induſtrias animad-
uerti patere inuidiæ proximi.* Garriant ergo quantumlibet bonorum operum de-
tractores, dummodo tua in apertum exeant opera, quorum tãquam prodromos
præſens ſit opuſculum. Sed ego interim lector, & auditor tantum, & de tam mi-
ro verme nullum verbum faciam? Abſit rem adeò admirabilem, quamuis a
viro doctiſſimo perpulchra diſputatione enarratam, ita ſicco pede per tranſi-
B re. Quamobrem æqui bonique facito, quæ mox a me, ea, qua fieri poterit, bre-
uitate inſtar appendicis ad nectentur.

Lumbricorum itaque in humano corpore genitorum cum tres ab om-
nibus melioris ſcholæ Medicis conſtituantur differentiæ, iure merito in
Verme noſtro primum quæritur, vtrum ad aliquam ex illis redigi a nobis
poſſit. Quod vt melius definiri valeat, breuibus videndum, quæ nam
ſint hæ differentiæ. Alij itaque lumbrici ſunt longi, ac teretes, in ſuperio-
ribus gracilibus inteſtinis orti, quos Galen. cum Hippocr. decimoquarto
methodi & Paulus libr. quarto στρογγύλους, ſeu teretes vocauit; & hi ſunt,
qui non rarò ſurſum irrepunt in ventriculum, quem grauibus torquent ſym-
C ptomatibus, & inde plerumque etiam per œſophagum os ipſum conſcen-
dunt, è quo hiante proſiliunt, clauſo verò dormientibus per palati cauum
obrepunt in nares, foraſque prodeunt, vt infinitis, & Medicis, & mu-
lieribus videre contingit, præſertim in pueris. Alij non ita longi ſunt, imò
breuiores, ſed lati, rotundi, & cucurbitini nuncupati, a cucurbitæ ſcili-
cet ſeminis effigie, quorum generatio fit vel in cęco inteſtino, vel in coli cel-
lulis, qui mira ſæpe inter ſe ſerie cohærent, qui Græcè πλατεῖαι dicuntur.
Alij denique exigui ſunt, & tenues, quorum ſedes eſt in *longaone* vocato,
ſeu recto inteſtino, & extremo ſphinctere, hi a Græcis vocantur ἀσκαρίδες
Ita ſiquidem poteſt vnuſquiſque colligere ex Galeni doctrina in Iſagoge
D libro tertio aphoryſmorum, & decimoquarto methodi decimoſeptimo, deci-
mooctauo, & decimonono. Quem ſecuti ſunt Paulus Aegineta libro quarto,
capite quinquageſimoſeptimo, & Aetius libro nono, capite trigeſimonono.
Quin imò, & eiuſdem ſententiæ fuit Ariſtotel. ipſe quinto de natura Anima-
lium capite decimonono. Attamen non deſunt qui, & plures, & mino-
res etiam ſpecies, vel differentias lumbricorum eſſe ſtatuunt. Sunt enim
qui ex Auicenna, & alijs quartam ponunt differentiam, ex Hippocrate
& Celſo duas tantum; & ſunt denique etiam qui vermium quinque genera
ponunt. Verum quantum ad Auicennam, ſi illius verba intimius conſi-
derentur, a Galeno, & alijs neutiquam differt, cum etenim eorum diſcrimi-
na tum ex loco, tum ex materia generationis inuenire ſtudet, non niſi

R 2 trium

trium generum mentionem facit. Per longos namque vnum; per latos, & A
rotundos, alterum; per aſcarides, & paruos, tertium intellexit. Ideo etiam in al-
tero capite, in quo de ſignis loquitur, trium tantum ſpecierum notas, & diſcri-
mina deſcribit; & quamuis rem non ità clare expoſitam reliquerit, totam nihi-
lominus a Paulo mutuauit, atque tranſcripſit. Hippocrat. autem duas ſolum
differentias lumbricorum recenſere videtur, quemadmodum, & Celſus, modo
tamen diſpari: Ille ſi quidem latos, hic vero aſcarides ſilentio inuoluit. Qua
in re Celſus ipſe, vt mihi quidem videtur, conuenit cum eodemmet Hippocrat.
libr. 4. de morb. vbi teretium, ac latorum duntaxat mentionem facit, aſcaridi-
bus omiſſis, non abſque manifeſta contradictionis nota. Verum, ſi liberè quod
ſentio proferre debeo, tria lumbricorum genera ab Hippocrat. primum, vti cę-
tera ferè omnia, nobis indicata fuiſſe exiſtimo, quicquid hac in re ſcripſerit Ioã. B
Manardus in ſua de alui lumbricis epiſtola libr. 3. tantum abeſt, vt credam Se-
nem ſapientiſſimum ſibi met contradixiſſe. Quod ſi in libr. aphor. 3. teretium
duntaxat, & aſcaridum meminit, non propterea tertium genus latorum nega-
uit, imo ſi illius dicendi modus non oſcitanter conſideratur, latorum quoque
genus olfecit, vt pluribus demonſtrat Altomarius in ſua praxi cap. 81. Ad hæc
ibidem Galen. notat in comment. Hippocratum latum lumbricum ſubticuiſſe,
quoniam rarior eſt eius generatio, & quia etiam Auctoris non erat intentio de
omnibus agere paſſionibus, quæ hominibus contingunt, ſed de illis tantum-
modo, quæ ſingulis ætatibus eueniunt; Atqui lati lumbrici in tenella ætate fie-
ri haud poſſe videntur, eo quod caliditas in valde pueris non dum materiam, C
vt aiunt, obtinet, vt pote largiori humiditate inſepulta; alioqui enim *qui
creſcunt* de mente Hippocrat. 1. Aphor. 14. *plurimum habent calidi innati.* Quòd
autem Hippocrat. latorum quoque lumbricorum meminerit patet ex iam ad-
ducto de morbis loco, vbi duo etiam in medium diſcutienda proponit, quo-
rum vnum eſt, nunquid cum teretes, tum lati in puero lumbrici, adhuc fœtu in
vtero morante, gigni poſſint, alterum verò numquid lati, ſicut teretes, alios
vermes parere queant. Cum igitur aſcarides dicti nec infantibus in vtero
exiſtentibus oriantur, nec præ tenuitate parere alios poſſint, veluti nos
docuit præcit. loco Ariſtotel. (cui tamen Amatus Luſitanus in ſuis Centurijs
minimè adhæret) iure merito aſcarides ibi miſſos fecit, & latorum ſolummo- D
do meminit, quos in aphoriſm. 3. propter iam allatas rationes prætermiſit.
Sed & hinc alia dubitandi occaſio inſurgit, quomodo lati lumbrici in tenella
ætate minimè procreentur, cum Hippocrat. ipſe libr. iam citato hæc ſcripta
reliquerit. *Nunc autem de lumbricis latis dicam, Aßero enim ipſos in puero, dum ad-
huc in vtero eſt, naſci;* & quę ſequuntur. Qua in re videatur Hieronymus
Gabucinus in comment. de lumbricis. capit. 9. & ego ad Celſum redeo, qui libr.
quarto capit. 17. duas tantum differentias ponit, teretium ſcilicet, & lato-
rum illis in verbis. *Nonnunquam lumbrici aluum quoque occupant, ijque modo
ex inferioribus partibus, modo fœdius ex ore redduntur, atque interdum latos, qui
peiores ſunt, interdum teretes videmus.* An quia, vt idem putat Altoma-
rius

A rius, vel aſcarides non nouit, vel cum adeo exigui ſint, ac tenues, & in infima, ignobiliorique parte orti, nullumque ex illis prauum ſequatur ſymptoma, parui fecit, nec in aliorum numero complexus eſt? An quia, vt ego quidem reor bruta magis infeſtant, quam homines? Apparent enim frequentiſſime in iumentis male cibum concoquentibus; nam quod eos non cognouerit Celſus, ſaltem per doctrinam Hippocrat. in qua verſatiſſimus erat, nunquam adducar, vt credam. Præterea non ita parui ſunt momenti læſiones, quæ ab his paruis animalculis aliquando nobis inferuntur. Degunt enim in ano conglobati infiniti, qui ob frequentem illam titillationem, aut motionem, & ob ſuccum malignum, è quo naſcuntur, teneſmum faciunt, & ani pruritum. Idcirco ſcribebat Auicenna, pruritum adeo fortem ab illis excitari, vt ſyncopem inducat; imò addebat aſcarides interdum eſſe alijs vermibus
B deteriores, eo quia ex deteriori materia fiunt. An verò tandem aſcarides omiſit Celſus, quia inter teretes connumerari poſſe videntur? Sunt enim teretes, quamuis exigui; & eandem ferè curationem habent, licet vehementiora ſint remedia oportet, vt in iam præaddućto loco methodi nos docuit Galenus? Locus eſt Hippocrat. 5. Coac. prænot. aphor. 16. de ijs qui lumbricos aſcarides colligunt, quos vocat *aſcaridodees*. Qui locus, niſi ipſe fallor, ab erudi-tiſſimo Iacobo Hollerio perperam vertitur, & explicatur, quod tamen tanti medicinæ coriphæi pace dictum velim. Iuxta enim illius mentem ità loquitur Hippocrat. *Qui tenues, longoſque vermes gignunt in capitis dolore ſurdis, ſo-*
C *poreque preſſis, tumores ad aures excitantur. Aſcaridodees,* ſubiungit Hollerius, *dicuntur, qui lumbricos aſcarides colligunt. Sunt autem aſcarides, interprete Galen. in Exegeſi vocum Hippocrat. lumbrici tenues, & longi, qui in poſtremo inteſtino generantur.* Iacotius quoque aperte dicit aſcarides eſſe tenues, & longos, cum tamen in oppoſitum ſit ipſius Galeni, & omnium Medicorum auctoritas, & ſenſus ipſe. Audiamus Galen. libr. aphor. 3. 26. *Aſcarides ſunt tenues quidam lumbrici, qui in parte maxime inferiore craſſi inteſtini gignuntur, & plurimi apparent in iumentis male cibum coquentibus, quorum malam coctionem fetor indicat excrementorum, huiuſmodi lumbricos nemo non nouit eſſe cũ tenues, tum etiam breues, prorſuſque ſimiles vermibus, qui in putri caſeo cernuntur.* Hos autem, mi
D Fului, quis nam longos appellabit? De quibus iterum audi Celium Rodiginum Lection. antiqu. libr. 10. capit. 4. *Aſcarides autem Galeno ſunt lumbrici minores, vermibus ſimiles, nam qui oblongi viſuntur, latique vocantur caria, quod aſſimilentur cerijs.* Quamobrem in exegeſi uocum crediderim ſubeſſe mendum, & propterea ità locum illum caſtigandum eſſe: (ἕλμινθες ἰσχναὶ καὶ μικραὶ, non μακραὶ) Qui error in Græcis ſcriptoribus frequenter animaduerſus eſt, nõ a me ſolum, ſed & ab alijs longe melius græcũ idioma callẽtibus, & hinc puto manauit occaſio erroris tam Hollerij, quam Iacotij, cũ tamen ambo hi viri eminẽtiſſimi Græcis literis non minus, quàm cęteris omnibus diſciplinis ad æternam laudem imbuti eſſent. Hic lapſus ab i, in, a eſt præcipuè apud Dioſcoridem frequens, vt cum alibi, tum maxime in hedera terreſtri, ſeu chamæciſſo notat Fuchſius, nec

non & Mathęolus lib. 2. in fine cap. 11. de Braſſica, & lib. 4. cap. 52. Sed quiſ- A
nam ergo erit Hipp. ſenſus? Si aſcarides, qui ſunt longè remotiores, & non pa-
rum minores, ac tenuiores alijs lumbricis id faciunt; quanto magis qui & pro-
ximiores, ac multo maiores? At Hipp. vt ei mos eſt, ex minore cognoſci maio-
rem læſionem voluit; Verum hæc nunc miſſa faciamus, ex quibus non difficile
eſt colligere vermem, de quo præſens inſtitutus eſt ſermo, ad nullam penitus è
communioribus differentijs lumbricorum poſſe referri; quemadmodum ſenſu
ipſo clariſſimè dignoſcitur, & per te abundè adeo probatum eſt, vt ſuperuaca-
neum omnino ſit rem hanc longiori ſermone enarrare. Qua propter ad alia quę-
ſita noſtrum conuertamus ſermonem; in primis verò, an hic idem vermis eun-
dem habuerit generationis modum, quem habent reliqui noſtri corporis, idque
tam quoad materialem, & genitricem cauſam, quàm quoad locum, & regio- B
nem, in qua primò formatus fuit. Omnes etenim vermium differentiæ noſtri
corporis eundem habere videntur generationis modum. Calor ſiquidem, qui
opifex eſt eorum, quæ generantur, nunquam otioſus eſt, & ideo quamlibet ma-
teriam in aliquod opus miro quodam artificio ducit, qualecunque tandem ſit,
& propterea Ariſtoteles vult vermes in putredine gigni, cum ſubſtantifica hu-
miditas, in qua calor eſt inſitus, diſſoluitur, & extra ab extranea caliditate illo-
cta, effluit. Tunc etenim calor ipſe in exitu, ne proprio derelicto ſubiecto eua-
neſcat, ac pereat, quidquid eſt benignioris materiæ colligit, eamque effingit in
animalculum aliquod, in quo conſeruari poſſit pro quantitate, & qualitate il-
lius materiei, ex qua nihil maius efficere valet. Ita vt non alius generationis mo- C
dus huius, & cęterorum vermium, quàm per corruptionem, & putredinem, in
qua natura id quod benignius eſt calore viuifico tanquam formatore effingit
in animal, qualecunque fieri poſſit; Cuius putredinis parens cum ſit ipſa hu-
miditas, ideo ab humidiori materia, & in humidis tam corporibus, quàm locis
frequentius hæc animantia generantur, quemadmodum Gal. 4. de ſimp. med.
cap. 20. & primo Epid. 26. nos docuit, vt propterea aſſerendum ſit corpora,
quæ humidiori conſtant natura, & quæ humorum crudorum, ſeu pituitoſorum
colluuie ſcatent, lumbricorum procreationi præ alijs obnoxia, illoſque in hu-
midioribus corporis noſtri partibus potiſſimum generari, & conſeruari. Vnde
communis eſt origo hęc omnis a putri materia abſque coitu oriundis, non ſo- D
lum lumbricis noſtro in corpore cumulatis; Et ideo Aelianus, cum ex Italię
Neapoli Puteolos iter faceret, ranas proſpexit, quarum pars, quę ad caput per-
tinebat, viua repetat, & duobus pedibus agebatur, altera nondum conformata,
concretioni limoſi humoris ſimilis trahebatur, quod ſimiliter referunt aliqui ſe
vidiſſe in lumbricis neſcio quodam è corpore excretis; Quò reſpexiſſe Oui-
dium arbitror cum cecinit:

& eodem in corpore ſæpe
Altera pars viuit; rudis eſt pars altera tellus.

Tandem Gal. 3. aphor. a putredine vermes oriri apertè ſcripſit, & ante eum
Ariſt. 4. meteor. 3. dicens, *vermes fieri in ſegregatione putrefacta in inferiori aluo.*

A Materia igitur lumbricorum noſtri corporis, è qua, eſt omnino cruda, lenta,
craſſaque pituita putredini, vt inquit Paulus, accommodata, cum ſit humida,
quæ continuè, ſed maximè hyemis tempore in ventre multis de cauſis congeri-
tur, de qua ſimiliter intelligendus eſt Auic. dum ſcribit pituitam materiam eſſe
generationis lumbricorum, quando ſcilicet incaleſcit in inteſtinis, ac putreſcit,
ibidemque conſiſtit. Quod ſi idem Auctor cap. 2. dixit vermes fieri ex corru-
ptione humiditatis in excrementis relictæ ob debilitatem facultatis attractricis
iecinoris, & Ariſt. pariter 5. de nat. anim. cap. 19. tradidit inter animalia in ex-
crementis, aut iam excretis, aut adhuc intra animantem contentis genita, lum-
bricos eſſe referendos; quis non videt de eademmet materia pituitoſa in ventri-
culo, & primis illis vijs accumulata, vel eiuſdem ventriculi, vel obiecti vitio, &
B cum excrementis ipſis permixta, ambos eſſe locutos? Quod ſi aliquis obijciat
locum è 4. lib. de morbis, vbi Hipp. probans latam teniam in puero, dum etiam-
num continetur in vtero fœtus, aliquando naſci, ita loquitur: *Poſtquam enim
ſemel ex vtero egreſſus eſt, non tanto tempore ſtercus in alua manet, vt ex eius diu-
turnitate, ac putrefactione tantæ magnitudinis animal generari poſſit, eo quod homo,
ſi ſanus eſſe debet, ſemper heſternum ſtercus per omnes dies excernit:* quo in loco
lumbricorum generationem ex corruptis, & putrefactis alui excrementis fieri
aſſerere & ipſe videtur, crediderim ego poſſe reſponderi, neutiquam ex fęcibus
illis, & excrementis alui ſimpliciter oriri velle lumbricos, ſed ex pituitoſa, cru-
da, lentaque materia humida interiecta; Hoc in loco non poſſum non valde mi-
C rari, quidnam Aetio Tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 40. in mentem venerit circa genera-
tionem lati vermis, quem tineam vocant, cum videlicet nihil eſſe aliud, niſi per-
mutationem pelliculæ inteſtina intrinſecus ambientis tenuia in corpus quoddã
viuum animatum, mobile; Nonne enim Gal. tanquàm admirandum proponit
in dyſenteria hominem abraſa interiore membrana inteſtinorum viuere poſſe,
cum tamen expulſis huiuſmodi latis vermibus ægri longè melius habeant? Sed
quia cum de materiali cauſa lumbricorum agitur, dubitari, atque in controuer-
ſia poni ſolet, an ex quolibet humore ſanguineam maſſam cõponente oriri poſ-
ſint, non abs re fore duxi, ſi ego etiam ſuper ea ſententiam propriam ſubnectam,
eoque magis in caſu noſtro, quoniam ex proiecti vermis coloribus, vt infra de-
D monſtrabitur, argui facilè poteſt; ad ipſius generationem, præter iam ſignifica-
tam pituitoſam materiam; alios quoque humores poſſe concurrere, ſecus ac a
nonnullis exiſtimari video. Oribaſius itaque lib. aphor. 3. aph. 30. lumbricos
omnes ex omnibus naſci humoribus memoriæ ſcriptum reliquit; vt puta aſca-
rides ex nigro, & melancholico ſucco; teretes ex bilioſo, latos, quos ille rectè
longos vocat, ex pituitoſo: hæc enim ſunt verba. *Aſcarides autem vocati ex me-
lancholia naſcuntur, qui rotundi ex bile rufa procreantur, longi ex pituitoſa ſunt.* Qui
locus facit inter alios, vt credatur a quibuſdam commentaria illa nequaquam
Oribaſij eſſe, nec viri medicæ diſciplinæ multum periti. An ideo ſcripſit Ori-
baſius, aut quiſquis fuit illorum commentariorum auctor, aſcarides ex ſucco gi-
gni melancholico, quia in craſſo, rectoque inteſtino is ſuccus maximè redundat?

Venæ ſiquidem hæmorrhoides nuncupatæ tam exteriores, quæ a venæ cauæ ramis, quàm interiores cæcę dictę, quæ a ſplenis, & meſenterij venis propagantur, illic deſinunt, ac terminantur. Ad quam quidem generationem videtur etiã aliquo pacto reſpicere Auic. quando, vt ſupra retuli, ideo deteriores eſſe aſcharides ait, quia ex deteriori gignuntur materia; accedit, quod lentor ille, quo mediante in longiorem formam vermes alij a calore extenduntur, deeſt omninò frigido, & ſicco melancholico humori, a quo propterea non niſi vermiculi illi efformari poſſunt; An etiam a flaua bile teretes fieri dicit, quia in leuioribus inteſtinis originem præcipuè, ac ſedem habere creduntur, ad quæ bilioſus humor a meatu felleo transfunditur? Verumtamen opinio hęc nulli hucuſque probata eſt, omneſque Medici Galeno, Pauloque aſſentiuntur, qui vnanimiter ſtatuunt, omnium lumbricorum originem pendere a cauſa ſæpius dicta, qualis in pueris, alijſque voracibus potiſſimum colligitur, non autem a calida, acriq; nec a melancholica ſubſtantia. Hæ ſiquidem alimenti naturam egreſſę lumbricis procreandis ineptæ redduntur, imò bilioſi humores illos etiam perimunt. E ſanguine verò infenſa hęc hominum naturæ animalia, vt non gignantur, prohibet ipſa natura, theſauri noſtri corporis cuſtos vigilantiſſimus, quę ſuccum principem quantum poteſt ab omni mala qualitate illęſum in venis fouet, atque cõſeruat; vnde ſi contigerit ipſum exire, & alijs in locis putredinem adipiſci, ſanguinis propriam eſſentiam amittit, & vel ad bilis naturam vermium generationi penitus contrariam proximè accedit, vel in ſaniem conuertitur, iuxta illud Hipp. 5. aphor. *Si in ventrem ſanguis effundatur, neceſſe eſt in ſaniem verti.* Quamobrem ex nullo magis, quam pituitoſo humore, crudo, lentoque lumbricos fieri dicendum eſt. Ideò enim videmus eos procreari potius in puerili ętate, quòd ætas hęc plurimis ſcateat pituitoſis humiditatibus, quas mitis eius, & blandus calor abſumere potens non eſt, ſed, vt inquiunt Arabes, animare. Pręterea ab huiuſmodi animalibus illa etiam grandiora corpora infeſtari conſtat, quę alba ſunt, mollia, & pręhumida. Quę licet veriſſima ſint, putauerim tamen ego negari haud quaquam poſſe quin alij quoque humores pro quorundam vermium generatione, & nutritione vna cum pituitoſo commiſceantur, quemadmodum contigiſſe arbitror in noſtro verme, ex tam multiplici colorum varietate; nam ſi lumbrici noſtri corporis ferè ſemper albi ſunt, & candidi, quia ſuo atteſtantur principio, quod vt plurimum eſt chyloſus, aut pituitoſus humor crudus, albus, ſynceruſque cur non dicetur etiam ſi citrini ſint, bilioſum, ſi impenſè rubei ſanguineum, ſi denique nigri melancholicum ſuccum vna intermiſceri? Talis enim effloreſcit in cute color, qualis eſt qui intus ſubiacet humor; & vt ait Hipp. 6. Epid. *Iuſtum eſt prout ſe habuerit alimentum, ita & quod forinſecus eſt ſequi.* Nutritur autem quoduis animal è quibus conſtat. Quoties è corporibus calidioribus, & ſiccioribus intenſè admodum febrientium lumbricos impenſè rubros excerni videmus? In hac eadem ſententia fuiſſe video Victorem Trincauellium in de rat. curan. particulares hum. corp affectus lib. 9. cap. 11. vbi de verme quodam loquens è Patritij Veneti febrientis nare elapſo, obſcurioris coloris, longitudinis

A tudinis quatuor ferè digitorum, qui etiam vtrinque ſecundum longitudinem quaſdam tenues, ac breues pedes habebat, hæc ſubdit verba. *Erectius autem fuit inuolutus mucis, craſſoque & nigro ſanguine, ex qua etiam putreſcente materia ortum habuerat.* Hactenus de materiali cauſa; accedo ad efficientem, quæ certè nulla alia eſt, quàm calor pituitæ putreſcenti inſitus, iſque prævalidus. Ideo enim Gal. 3. aphor. 26. a magno calore lumbricos fieri ſcribit, qui calor nullo pacto eſt abſolutè putridus, quia non ſolum diſponit ad recipiendam formam, verum quoque informat, & efficit animalia ipſa. Abſurdum eſſet enim credere putredinem ſolam ad vermes generandos ſufficere, cum vna calor plurimus naturalis inſit oporteat, qui materiam a putrefactione ſegregatam ad talium animaliũ procreationem idoneam terminet. Qua de cauſa iuxta Hipp. mentem in pueris B adultioribus multo magis gignuntur vermes, quàm in valde tenellis, in quibus caliditas non dum materiã ſuperat, quemadmodum in illis, in quibus calor vegetus adeſt, & reperitur cauſa, aut materia idonea, nempe ita craſſa, & viſcida pituita, vt fieri poſſit particeps caloris intenſioris, a quo animal generetur. Interim verò dubitabit aliquis ex Auerrois doctrina, cum qua conuenire videntur Themiſtius, Alexander, & Plato ipſe; quia ſcribit 12. metaph. 15. & alibi, animalia genita ex putredine, aut ex putri materia, generari a calore cęleſti, qui quidem in omnibus æqualis eſt tam in puellis, quàm paulo adultioribus. Petrus Aponenſis, quem Conciliatorem vocamus, Auerroem ipſum reprehendit in eo, quòd iſtorum animalium generationem ſemper fieri a calore cęleſti exarauit, C cum aliquando gignantur tantummodo a calore proprio illi materiæ putri, & in eadem incluſo, non autem a cęleſti, interdum verò a ſolo calore cęleſti, vt in æſtate pluuioſo tempore, quo ranæ ex mixtione aquæ cum terra producuntur. Et licet idem Conciliator tam Auerrois, quàm Alberti ſententiam negligat, maiorem tamen vult eſſe errorem ipſius Alberti, qui in generatione omnium animalium ex putredine duplicem requiri calorem putauit, cęleſtem ſcil. ac rei putridæ inditum. An dicendum calorem, tum cęleſtem, tum rei putreſcenti genuinum in talium animalium generatione conuenire, vt alter videlicet pro efficiente cauſa longinqua, & mediata, alter verò magis pro immediata, & veluti coniuncta haberi poſſit, ea forſitan ratione, qua dictum eſt a Philoſopho; D *Sol, & homo generant hominem.* Quam quidem proximam efficientem cauſam docuit nos clariſſimè Ariſt. 4. meteor cap. de putredine, vbi ſtatuit generari hæc animalia, quia naturalis calor rei putreſcentis, idemque ſegregatus ab ambiente vim habet cogendi ea, quæ ſunt ſegregata, ea concoquens; cum iam ſæpius dictum ſit, ex eo, quòd in putreſcente materia concoctum eſt, generationem euenire, eo quod nihil putreſcens, ſed concoctum gignatur, vt ait Ariſt. 3. de gen. anim cap. 11. cuius Philoſophi verba ex 4. meteor. hæc ſunt: *Et animalia fiunt in ijs, quæ putreſcunt, propterea quod quæ ſegregatur caliditas naturalis exiſtens conſiſtere facit ſegregata.* Non ſilebo tamen hac in re, quod de duplici calore, inſito, & cęleſti ſcriptura reliquit Fernelius. *Ex craſſa potius pituita, & lenta, quæ in inteſtinis frequens corrupta, præparataque fuerat ab vberrimo inſito calore ſuſcitantur,*

vitamque

vitamque ſumunt, eorum animalium exemplo, quæ ex putri materia cœleſtis caloris ope vitam habent. Non minoris momenti ambiguitas in finali cauſa ſubeſſe videtur, de qua attentè legãtur qui de lumbricis data opera diſſerunt, inter quos eſt Sauonarola, & Gabucinus. Dicam tantummodo alicui etiam bono hæc gigni animalia, quemadmodum, & cimices, & pediculi, ſi cuncta fiunt a natura in hominis vtilitatem, quandoquidem, ſi vera eſt Peripateticorum ſententia, materiam putrem diſperſam per aerem, quæ alioquin cum aere inſpirata homini eſſet infenſiſſima, abſumi, & conuerti in animalcula quædam, cur de vermibus etiam noſtri corporis idem dici non poterit? Putrida enim pituita, ex qua fiunt, maiora inferret damna, quàm vermes ipſi; Vnde dicebat Auic. ſatius eſſe materiam illam animari, quàm in dies magis putrefieri; Quare hinc etiam colligere licet, lumbricos, ſi ad nos referantur, toto quidem genere eſſe præter naturam, ſed ſi ad materiam inſigniter putridam, nunquam dicendi erunt eſſe toto genere præter naturam. Gordonius tamen vult quod ex ſui natura ſemper vermes mali ſint, & ex toto genere præter naturam: ideo neque per ſe, neque per accidẽs quid boni ſignificare. De parte, aut loco, in quo huiuſmodi animalia noſtro in corpore procreantur, nunc tempus eſt, vt breuibus agam. Primarius ergo, & frequentiſſimus locus, in quo & fiunt, & conſeruantur vermes, ipſa ſunt inteſtina, veluti cum Ariſt. memoriæ prodidit Gal. lib. 1. de loc. aff. cap. 5. Sunt qui intra caput in varijs cerebri partibus vermes obſeruarunt, imò & ſcorpiones, ſunt qui in veſica, & renibus frequenter naſci aſſeuerãt. Ego certè Venetijs ſemel tantum cum vrina excretos vermiculos per aliquot dies in Religioſo Viro obſeruaui aſcaridibus paulò craſſiores, atque maiores. Montuus fatetur vidiſſe cucurbitinos mictos, & viuos in lotio. Hipp. 4. de morbis è muliebri ſinu, pudendoque emitti aſcarides tradit. Oribaſius vidit vermes in auribus, & ego ſimiliter ſemel; & bis, in dentibus Auicenna; ſub lingua, & in vlceribus Valeſcus de Tharanta. Alij in hepate; quidam in pulmone, ac thorace; ſunt quoque qui in venis. Plutarchus in ſympoſ. in vaſis etiam ſeminarijs cuiuſdam ephebi Athenienſis ortos fuiſſe tradit. Plinius lib. 26. cap. 13. *Naſcuntur*, inquit, *in ſanguine hominis animalia exeſura corpus*; ſed hic locus omnino eſt de pthyriaſi, ſeu pediculari morbo intelligendus. Magna lis eſt de loco digeſtionis, ita enim ventriculum multi vocant. Ariſtoteli nullo modo probatur opinio aſſerentium illo in membro hæc animalcula poſſe gigni; nam 4. metheor. ita ſcribit. *Animal non fit in ipſa concoctione, veluti quidam dicunt.* In eadem cum Ariſt. ſententia Galenũ fuiſſe veriſimile ex eo fit, quod de eiuſdem Philoſophi mente in inteſtinis tantum lumbricos procreari affirmauit, qui propterea, ſi de ventriculo aliter, ac Ariſtoteles ipſe credidiſſet, dubio procul rem controuerſam ſilentio minimè innoluiſſet. Oppoſitum ſcripſere Conciliator, Amatus, & alij, rationibus quibuſdã, ac experimentis innixi, quorum tamen opinio non omnibus placet. Quæ pauca vniuersè de vermium differentijs, cauſis, modo, & loco generationis pro tempore dicta ſatis fuere. Vnde ſupereſt tantummodo, vt generalius prolata in præſente verme è nare proiecto propius, & intimius conſiderentur, eidemque applicentur.

A plicentur. Dictum ergo ſuperius eſt, vermem noſtrum ad tres illas ſpecies lum-
bricorum in humano corpore degentium, potiſſimum verò in inteſtinorum re-
gione ſtabulantium differentias, aut ſpecies redigi nullo pacto poſſe, quemad-
modum & tu, Angeline mi, probè ſtatuiſti; Sub quo nam igitur genere colloca-
bitur? Ego ſanè vel ad bombyces ſericum nentes, vel ad brucos, aut erucas, quæ
hortorum, ſatorumque omnium ſolent eſſe peſtis, quodque animalis genus
Plautus nequam beſtiam vocat, & maleficam inuolutam pampinis, vti notat
Iſidorus, libentiſſimè referrem propter analogiam; cuiuſmodi fuere tres illi,
quos febris tertianæ inchoante acceſſione euomuit mulier illa Alexandri Parei
lib. 24. cap. 1 ſ. Eiuſdem cenſus extitere & illi, quorum meminit Beniuenius in-
de mirand. morb. cauſis, cap. 8 ſ. & Gabucinus in comm. de lumbr. cap. 13. Am-
B bo enim teſtantur ſe vidiſſe qui fruſtra veluti carnis per vomitum eiecere, in
quibus vermes brucis quam ſimillimi includebantur; Quamobrem ſi, quemad-
modum affirmat D. Tho. 1. par. quæſt. 18. art. 2. *Vnumquodque nominamus, prout
cognoſcimus*, non verebor huiuſmodi animal erucam potius, quàm vermem ap-
pellare, quamuis & erucas ipſas cum Ariſt. 3. de gener. anim. genus eſſe vermis
cenſendum ſit; neque mirum adeò magnum cuiquam videri debet inuſitati ge-
neris vermem intra corpus fuiſſe genitum, quando non rarò natura in paruo
mundo, ideſt in homine, non ſecus, ac in magno mundo veluti monſtroſa pro-
gignit, inuſitata, & noua. Vnde etiam nulli fabuloſum videatur, quod Io. Bapti-
ſta Porta lib. 2. Magiæ naturalis, cap. 2. de muliere recens nupta commemorat,
C quæ cum omnium opinione prægnans diceretur, loco fœtus quatuor animalia
ranis ſimilia peperit, & poſtea optimè valuit. Neſcio, an ſit illa mulier, de qua
Hollerius lib. 1. de morb. internis cap. 51. in ſchol. hæc habet verba. *Vidimus mu-
lierem, quæ cum nouem menſium ſpatio vterum geſtaſſet, omnibus, quæ in legitimo
partu euenire ſolent, mirificè reſpondentibus, tandem nihil aliud præter animalia quæ-
dam ranis haud abſimilia cum multis purgationibus cruentis, & corruptis in lucem edi-
dit*: Ad hæc non mirabile ſolum, ſed ferè prodigij loco habendum eſſe videtur
quod Hieronymus Montuus apud Gallorũ Reges inſignis olim Medicus nar-
rat in primo tomo Anaſc. morb. illis in verbis: *Sunt præterea vermes, figura à præ-
fatis adeò differentes, vt ille, quem a potione hieræ picræ deiecit Canonicus Antonianus,
D qui colico dolore torquebatur; Erat viridis figura lacerti, ſed craſſior, hirſutuſque &
pedibus quatuor innixus; breui tempore à propulſa fera obijt Canonicus. Contra illa
menſes aliquot vixit in vitrea phyala aqua plena.* Materia autem, ex qua genitus
fuit præſens vermis, non ſolum ex iam dictis, ſed etiam ex nunc breuiſſimè di-
cendis colligi facilè poterit. Copioſam enim excrementorum omnium, & humo
ris præſertim pituitoſi crudi colluuiem, necnon inſignem ad morbos apparatum
adfuiſſe in nobili viro, in quo vermis ipſe genitus eſt, tum ex febribus catarrhali
dicta, & alia maligna, ac de genere illarum, quas Gal. peſtilentes abſque peſte
appellat, tum ex corporis habitu maximè circa ventrem pleno admodum, &
obeſo, coniectura, imò certa ferè notitia aſſequi poſſumus: Quibus præterita
hyemalis conſtitutio frigida multum; & humida, ſingularum propè partium

cralis

craſis humidiſſima, & victus ratio plenior, craſſioriſque ſubſtantiæ omnibus A
tempore hyemis conſueta, & familiaris abſque dubio reſpondent. Quamobrem
principalem materiam, ex qua putreſcente oriundus eſt reiectus vermis, nulli
dubium eſſe debet pituitoſum fuiſſe humorem, qualitatum, quæ iam ſignifica-
tæ ſunt; ſed vna aliquam ſanguinis partem, necnon & bilis, atque melancholiæ
portionem cõmixtam fuiſſe in illius generatione ex iiſdemque aliquandiu fuiſ-
ſe nutritum, inde conijci poſſe puto, quia corpus eius ferè totum ſanguineo co-
lore ſuffuſum cernitur, caput impensè nigrum, & obſcurum, gula vero, ſi ita
vocare licet circulum flauum, qui ſtatim ſub capite milli ſpecimen refert, citri-
no colore prædita; Vt hic illud ferè idem conſpiciatur, quod in arenularum, &
lapillorum noſtri corporis generatione contingit, in quibus, Gal. teſte Epid. 6.
ſæpiſſimè color ad rubeum, vel nigrum immutatur, quamuis è craſſa pituita a B
ventriculo ad renes delapſa potiſſimum formatæ ſint, propter vel bilioſi, vel ſan
guinei, vel melancholici humoris miſcellam. Quantum autem ad validum calo-
rem rei putreſcenti inſitum, quem ſupra efficientem proximum in horum ani-
malium generatione eſſe dicebamus, nulli dubitandum eſt, quin eo præditus
omnino eſſet vir, qui vermem eiecit, cum ætas etiamnum florens ſit, & corpo-
ris temperatura impensè calida. Ad locum tandem, in quo vermis genitus pri-
mò ſit, deuenire oportet, vbi multifariam dubitari poſſe exiſtimo; In primis
enim, & ante omnia quæri hac in re poteſt; Vtrum hora ſomni non ſentiente
ægro extrinſecus rependo in nares ingredi potuerit, vnde poſtea naſum emun-
gendo eundem excreuerit. Quod quidem nouum alicui videri non debet, quia C
ſunt hiſtoriæ tam apud veteres, quàm apud recentiores ſcriptores huic aſſer-
tioni fidem facientes, ſi quidem Hipp. Epid. 5. circa finem. *Adoleſcens quidam*, ait,
*multo meraco poto ſupinus in habitaculo quodam dormiebat; Huic ſerpens Arges appel-
latus in os ingreſſus eſt, & ſanè cum ſenſiſſet, & loqui non poſſet, dentibus ſtridit, &
ſerpentem deuorauit, & dolore magno tenebatur, & manus pratẽſas adhibebat, velut
qui ſtrangularetur, & iactabat ſe ipſum, & conuulſus mortuus eſt.* Quem Hippo-
cratis locum cum his diebus indicarem Franciſco Saxo Chirurgiæ in primis
perito, ſtatim ſubiunxit anno præterito cuidam Puellæ, Foropompilienſi quid
tale eueniſſe, ad cuius curationem accerſitus ipſe fuit. Gal. 4. de loc. aff. de ſputo
ſanguinis verba faciens, duas refert hiſtorias de ſanguiſugis, quarum altera in D
ventriculum vna cum aqua ex impuro fonte hauſta delapſa eſt, altera verò
meatui, vbi naſus ad oris regionem perforatur, latitans adhærebat. *Equidem*, in-
quit Gal. *cum viderim hominem integra valetudine cruorem euomentem, interroga-
ui qua victus ratione antea fuiſſet vſus: ille verò inter alia, quæ narrauit, hoc quoque
addidit, quod cum nocte quadam ſitiret, miſſo puero, qui aquam afferret, ex immundo
fonte bibiſſet; quibus auditis ſciſcitatus ſum, apparuiſſent ne aliquando ſanguiſuga in
ipſo fonte, qui cum id quoque fateretur, epoto ſubinde idoneo pharmaco hirudinem vo-
mitione reiecit. Porrò cum alius quiſpiam huiuſmodi cruorem emungeret, & expueret,
ipſo narrante audiui, eum rure æſtatis tempore in ſtagno quodam cum cęteris iuuenibus
iuuenili ludo, qualem adoleſcentes in aqua ludere ſolent, exercitatum; tum ego ſciens in*

eo ſtagno

A *eo ſtagno ſanguiſugas eſſe, duxi laborantem ad ſplendorem, conuerſoſque directè ad ſolis radios narium foramine, in eo meatu, vbi naſus ad oris regionem perforatur, hirudinis in meatu latentis caudam conſpexi.* Hæc Gal. à tali cauſa ſæpe muli intereunt, vt ex veterinarijs conſtat, ad quos facere videtur locus ille Auic. lib. 3. fen. 9. cap. 5. vbi curam ponit de ſanguiſugis in gutture. Verum ne a vermibus longè diſcedamus; Victor Trincauellius lib. iam adducto cap. 6. dignam prorſus, quæ huc a me transferatur, hiſtoriam, & obſeruationem illis in verbis affert. *Vermes, qui in auribus reperiuntur, aut ex aure ſuum habent ortum, aut alibi geniti aurem ingrediuntur; nam memini me quendam vidiſſe, qui cum in quodam cubiculo decumberet, quod borreo, in quo triticum ſeruabatur, ſubiectum erat, expergefactus aliquando mane percipit motum, & morſum intra aurem, in quam diligenter familiares inſpicientes in-
B uenere tineam, quales ſunt, quæ in tritico gignuntur, quæ quidem non ſine labore fuit extracta.* Meritò itaque dubitari ab aliquo poſſet, an huiuſmodi animal exterius genitum in narem propatulam uiri Cęſenatenſis gradiendo irrepſerit, cum præſertim huic penitus ſimilia in domibus maxime prope hortos, & ſpinoſa loca ædificatis frequentiſſimè videantur; etiam apud Rauennates, quos vermes ipſi vulgo vocant *martini peloſi.* Verumtamen hac omiſſa dubitatione, conuenio & ego cum Viro clariſſimo, noſtri vermis generationem fuiſſe intra corpus, cũ præcipuè eiectus fuerit poſt febrem peſtilentem, ac mali moris, in quibus febribus ſeu ad malum, ſeu ad bonum exitum morbo tendente, huiuſcemodi animalia modo per ſupernas, modo per infernas partes proijci non infrequenter vide-
C mus; ſed in qua nam corporis parte primũ vermis hic fuerit formatus hoc opus, hic labor. Exijt è nare, in quam profecto vel è capite, ac cerebro illum deſcẽdiſſe, vel e ventriculo ſurſum per oeſophagum gradiendo conſcendiſſe iudicandum eſt. Maximum argumentum, quod in capite generationem non habuerit, eſt, quia quicunque vermes in capite quorundam poſt obitum inuenti ſunt, ingentes cruciatus, & acutiſſimos dolores antea parere cõſueuerunt, quod Cęſenatenſi viro nullo modo contigit, quæ enim tempore febris paſſus eſt ſymptomata, vti vigilias, & aliquam mentis aberrationem, in aliam cauſam refundenda ſunt; Audiamus Beniuenium de amico ſuo, qui tandem naturæ roborè excretis e dextra nare vermibus e tot ſymptomatibus pernicioſis liber omnino euaſit.
D *Solet interdum acutus, & peſtifer dolor in capite excitari, quem Græci κεφαλαλγίαν vocant, ſed talem, quo caligent oculi, alienetur mens, citentur vomitus, ſupprimatur vox, frigeſcat corpus, & ipſa denique dificiat anima, rarum eſt videre. Nam & nos amicum habuimus Philippum nomine, qui cum his omnibus ageretur malis, & aduentante die ſeptimo mors ipſa, nullis conferentibus auxilijs, iam iam adeſſe videretur, tandem robuſtioris naturæ vermem ex dextra nare palmo longiorem eiecit; quo propulſo, omnis ſtatim cum eo amotus eſt languor.* Hæc ille cap. 100. de Abd. morb. cauſ. Ronſſeus epiſt. 10. Miſcell. *Nos,* inquit, *ab annis decem iuuencula nouimus, quæ reiecto per nares verme mille pedi non abſimili à diuturno capitis dolore reſtituta eſt.* Hac igitur præcipuę de cauſa afferi non citra rationem poteſt, noſtrũ vermem

S minime

minime genitum fuiſſe in capite; ſed quod ibidem oriri non potuerit, vt putat A vir eximius, veluti nec vllũ genus aliorum vermium, aut aliquod aliud ſimile animal, id certè mihi non adeo probatur, quoniam, ſi experientiæ, & ſummorum virorum teſtimonio habenda fides eſt, pro quibus etiam ratio à natura rei deprompta apertè militat, profectò in capite, & cerebro ipſo conſimilia animalia aliquando generari credendum a nobis eſt. Clara itaque in primis ſunt, poſt Rhaſim, Auicennæ verba Fen. 1. tract. 2. cap. 3. de Soda. libro tertio, Canon. *Quidam Medici Indi dixerunt, quod quandoque eſt cauſa in Soda, vermes generari in partibus capitis, motu ſuo lædentes, ſentione ſua; & corroſione. Et quidam remouerunt hoc, ſed non eſt neceſſarium, vt remoueatur, Nam vermes multoties naſcuntur in anteriore capite, & ſuper locum, qui eſt in ſtrictura narium, & poſſibile eſt, vt naſcantur apud velamina, etſi rarò contingat.* Hoc aduerſum eſſe putauit Io. Arculanus in 9. Rhaſis, vt cum alijs è Practicis curam poſuerit doloris capitis a B vermibus, qui ſupra narium ſtricturam exiſtunt. Apud Foreſtum libro nono, de rar. cap. dolor. obſeruat. quarta, in ſchol. fit mentio vermis ſupra duram matrem inſtar curculionis, cranio perforato, & aperto inuenti, qui vermis cum ablatus eſſet, æger a diuturno capitis dolore, a quo antea maxime torquebatur tot fruſtra, & incaſſum adhibitis auxilijs, ſtatim liber euaſit. Apud Gulielmum Fabricium Hildanum obſer. Chirurg. Cent. 1. obſeru. 8. ſic habetur caſus;

Puer diuturno capitis dolore laborans tandem vermem per nares eiecit, deinde conualuit. C

Idem obſeruat. 10. hoc etiam habet:

Pus fetidiſſimum, & vermes ad duram matrem reperti.

Legat autem qui voluerit, mihi ſat eſt indicaſſe loca. Idipſum autem per omnia roboratur a Iacobo Hollerio medico laudatiſſimo, cuius auctoritas, ſi de recentioribus ſermo ſit, inſtar omnium eſſe nobis debet. Nam lib. 1. de morb. inter cap. 1. ita loquitur: *Quibuſdam vermes generantur in cerebro. Id rarum eſſe ſcribit Auic. quod tamen memoria noſtra viſum eſt. Et quidam Italo ex frequenti odoratu baſilica herbæ natus ſcorpio in cerebro, vehementes dolores, & longos, mortem denique attulit.* Idem repetit Perioche 2. ad Galen. lib. 2. catat. Prorſus ſimiles hiſtoriæ, & obſeruationes legi poſſunt apud Foreſtum, & Schenkium. D Conſtat ergo ex hucuſque allatis, etiam in capite, ac cerebro ipſo humano, nam de alijs animantibus nunc non loquor, vermes, & alia animalcula interdum gigni, diuque morari poſſe, quamuis maxima cum noxa, & morte ſæpius eorum, in quibus huiuſcemodi animalia generantur. Ratio quin etiam ipſa a natura rei deprompta experimento non mediocriter fauet. Nam in capite reperitur materia, & agens cauſa generationis horum animalium. Adeſſe generationis materiam quis dubitet, cum cerebrum pituitoſi humoris, & crudi phlegmatis ſedes, ac domicilium ſit, quod propterea ab Hippocrate frigidi, & glutinoſi metropolis appellatur; & pauci admodum ſint,

A qui in dies multa, eaque magna ſymptomata, eiuſdem pituitoſæ materiæ in cerebro cumulatæ vitio non experiantur? Quod præuidens natura ſagax, a qua nihil temere, in ſella ſphęnoidis glandem pituitariam vocatam, carnem poroſam, & inſtar ſpongiæ bibulam collocauit, vt eiuſmodi illuuiei excipiendæ dicata foret; Ita latiores narium meatus ad plurima cerebri excrementa purganda fabrefactos fuiſſe a natura ſcribit Gal. in lib. de vſu part. ne animal frequenter a grauiſſimis corripiatur morbis. Iam verò ſupra abundè oſtenſum fuit, vermes in humidioribus corporibus naſci, vt etiam affirmat Gal. 4. de ſimpli. med. cap. 20. Quare cum cerebrum ſit omnium humidiſſimum, concludam cum Peucero de Præſtig. Medicorum pag. 310. animata corpora in ipſo cerebro aliquando naſci ex putredine magna phlegmatis. Deeſſe autem cerebro efficientem cauſam, vt idcirco horum animalium procreationis non ita idoneum
B videatur, inde forſitan putabit aliquis, quòd frigidum a Medicis, ac Philoſophis dicatur, ſed, vt arbitror, ad alia principalia membra calidiſſima comparatione facta; nam ſi cerebrum prout actu eſt in viuente, venis multis, arterijſque circundatum conſideretur, non ita ſine calore eſſe iudicabitur, quin ille, qui in eo viget, pro efficienti cauſa horum animalium inſeruire poſſit. Pars autem capitis, in qua hæc celebratur generatio, varia, & multiplex eſſe poteſt, quemadmodum ex varijs hiſtorijs, ac obſeruationibus elici poteſt. Apud Montuum tomo 4. Anaſc. morb cap. 19. naſcuntur vermes in prora cerebri, cuius prætextea ventriculorum capacitas eſſet admodum huic generationi opportuna; vn-
C de in brutorum ventriculis hæc animalia reperiuntur, ſed qui exactum eorundem in nobis ſenſum, & mirabile officium minime ignorant, aliter ſtatuunt, id impoſſibile eſſe affirmantes. Inter cerebri ſubſtantiam, ac tenuem membranam, necnon inter duram, & cranium locus poteſt aſſignari, imò & in ipſo cerebri corpore, vt patet ex obſer. Schenkij. Frequentior tamen eſt prope naſi colatoria in ſtrictura illa narium. His tamen non obſtantibus Hieronymus Mercurialis vir longe doctiſſimus lib. 1. ſuæ Prax. cap. 3. negare & ipſum videtur vermes in cerebro gigni, quoniam ſi non fiunt in ventriculo, vt ſcribit Ariſtot. in Meteor. tanto minus in cerebro. *Quod ſi fiant*, ſubiungit, *locus erit propter colatoria naſi*. Qui tamen alibi aliter ſcribit, nempe de morb. mul. lib. 4.
D cap. 12. cum ait: *Memini me alias docuiſſe, vt dicit Ariſtot. Albertus, & alij, vermes fieri in cerebro, & vaſis ſpermaticis*. Quinimo Gabucinus de Lumbr. cap. 8. irridet Auicennam, quia ſcripſit in anguſtis narium meatibus vermes ipſos procreari, putans hoc ideo proditum ab Auicenna, quia frequenter per nares reiectantur. Locum verò illum horum animalium generationi ineptum iudicauit, ob continuam aeris inſpirationem, eiuſdemque expirationem. Sed hac ratione nulla in re noſtræ aduerſantur opinióni, nec enim obſtat quòd a Mercuriali proditum legitur, ſi non fiunt in ventriculo, tanto minus in cerebro; quia, vt omittam quod Albertus, Conciliator, & Amatus in ventriculo non bene, ita aiunt, diſpoſito, vermes ex cruda pituita in eo putreſcente omnino gigni poſſe contendunt, qui propterea Philoſophum

de perfectè ſano intellexiſſe exiſtimant, in ventriculo ipſo quam ſæpiſſime ſtabulatur materia nouæ huic generationi per quam idonea, vt ſuccus chyloſus, aut cruda vocata pituita: nec deeſt illi calor, qui pro efficiente proximo inſeruiat. Licet enim ventriculus ſuapte natura frigidus ſit, ac membranoſus, attamen in medio calidiſſimarum partium poſitus a natura fuit, quarum calore nihilominus, quàm inſita proprietate coctionis primæ munus obit, ac perficit. Hac ſiquidem de cauſa ſcribebat Gal. de Facult. natur. ventriculum lebetem eſſe vndique ignibus circumdatum. Quod tamen accipi a nobis debet de natiui caloris vbertate, & copia, non acrioris caloris excedenti qualitate; tunc enim potius imbecillior ad ſua præſtanda officia euadit, à vehementiori, acriorique calore, inſito, ac proprio imminuto, & diſſipato, vt contingere videmus in natura picrocholis, quibuſque iecur impêsè æſtuat. Quapropter vt fiunt vermes aliquãdo in ventriculo, ita & in cerebro poſſe fieri credendum eſt, cum & idipſum oſtendat experientia ipſa; cui nec ratio contraria eſt. Ibi enim præ humida reperitur pituita concauo, & calido loco concluſa, imò qui in cerebro viget calor, multum videtur opportunus talium animalium generationi; neque enim tantus eſt, qui putredinem prohibere valeat, extrinſecum arcendo; neque ita exilis, qui à contrario omnino ſubigatur, & in diſpoſitam materiam agere nequeat. Quantum ad id quod opponebatur de loco ſaltem prope naſi colatoria ex aeris inſpiratione, eiuſdemque expiratione, ob quos quidem motus præſeruari omnino volunt partem illam a corruptione illæſam, ita vt ibi generari nullo modo poſſint vermes, dico vt in multis illa aeris inſpiratio, ac expiratio vim non habet oſſa colatoria ab humorum in ipſis retentorum putredine præcauendi, quæ propterea adeo tetrum interdum exhalant odorem, vt qui id mali genus patiuntur, ab omnibus eorum colloquia, & congreſſus tanquam peſtis fugiantur, ita non ſemper vermium, qui in illa corruptione naſcuntur, quemadmodum in milite illo Fernelij, & alijs generationem prohibebit, licet contrariũ cenſeat Gabucinus. Quod denique dicitur, naturam magnopere ſolicitam eſſe de cerebro conſeruando tanquam parte diuina, & in ea tantam non pati humorum putredinem, vt inde animal tam inſenſum exurgat, rationi primum, deinde veterum, atque recentiorum omnium doctrinæ conſonum admodum eſt; Verumtamen quotidiana experientia edocemur, præter naturæ intentionem, multa, quæ medicos trahunt in admirationem; in membris principibus de nouo inſurgere; Et, vt de corde in primis vitæ fonte, quo vigente, vigent omnia, languente, langueſcunt, ſoli propterea ab Homero non incongruè comparato, & cuius multo maior neceſſitas eſt, quàm cerebri, etſi huic maior dignitas, quàm cordi a Medicis contra Peripateticos attribuitur, aliqua velut *κατὰ παρέργον* in medium afferam, non nè ſcripſit Galenus 5. de loc. aff. 2. & 3. de præſag. ex pulſ. 8. cor non poſſe inflammatione, aut eryſipelate corripi, quin prius animal ſyncope intereat? Idem primo de loc. aff. 5. impoſſibile eſſe ait, vt cor abſceſſum patiatur. *Solum hoc viſcus*, inquit Plinius, *vitijs non maceratur, nec vita ſupplicia trahit grauiora, læſumque mortem affert præſentaneam.*

Ante

A Ante quos dixerat Hipp. in lib. de morb. cor ita denſum, ſolidumque eſse, vt ab
humore non ægrotet, ideoque nullum morbum in eo oboriri. Quæ quidem licèt
vt plurimum vera eſse nō diffitear, nihilo tamen experientiæ ex multiplici cada-
uerum ſectione comparatæ aliquando repugnare videntur. Nam ſcimus cor
ipſum, diu etiam viuente homine, & inflammationes, & abſceſſus, & vlcera, &
calculos etiam ſuſtinuiſſe. Relinquo quod Gal. ipſe tradit 2. de Placitis, victimā
auulſo corde ambulaſſe, & quod ait 7. de Anatom. adminiſtr. de Alorulo quodā
Mimographi filio, qui denudato omnino corde vixit. Thoma a Veiga in ſuis
commentarijs ad Gal. libros de locis affectis narrat repertum fuiſse ceruum in-
fixam gerentem cordi antiquam ex venatione ſagittam: Iacobus Hollerius ſect.
2. 4. aphor. 40. Coac prænot. & alijs in locis, ſcribit in muliere, quæ quatuor
B menſes vixit cum purulenta vrina, poſt mortem duos calculos inuentos eſse, &
abſceſſus in corde diuiſos. Realdus Columbus lib. 5. Anatom in Cardinali Gam
bara tumorem prædurum inuentū fuiſse ad oui magnitudinem in ſiniſtro cor-
dis ventriculo memoriæ mandauit. De abſceſsu ſimiliter in corde meminit idem
Hollerius in ſcholijs ad cap. 25. lib. 1. de Inter. & Beniuenius de abditis cap. 89.
De apoſtem. cordis frigidis Ioubertus in annot. ad tract. de vulneribus Guido-
nis è Cauliaco. De vlceribus tandem mentionem facit Fernelius lib. 5. patholog.
cap. 12. Præterea an non ſcripſit Galenus 1. de loc. aff. 5. lapides in renibus, &
in veſica concreſcere & de nonnullorum ſententia etiam in colo, quaſi alijs in
corporis partibus non gignantur? Attamen apud Hipp. in Epid. famula Diſseri-
C dis in Lariſsa ex vtero lapidem aſperum excreuit magnitudine verticilli fuſi;
Viſi ſunt ab Anatomicis lapilli in pulmonibus; vnde apud Trincauellium li. 10.
cap. 6. de rat cur. affect. quidam fuit Venetijs, qui vehementi tuſſi lapillos è pul-
monibus eiecit. Reperti quoque ſunt in iecinoris ſubſtantia in cadaueribus. Fri-
zimelica celebris olim in Patauino Gymnaſio nominis Medicus, poſt vehemen
tes dolores ventris calculum ſatis magnum cum excrementis per aluum deiecit,
veluti, præter Trincauellium, Capiuaceus quoque refert, & Mercurialis. Anno
præterito in cyſti fellea, Sereniſs. Ferdinandi Medices Magni Hetruriæ Ducis
ſex adinuenti fuere lapilli forma rotundi, & colore nigri quemadmodum ad me
ſcripſit Blaſius Bernardus Foroliuienſis, qui vna cum alijs Celſitudini illi Medi-
D cinam faciebat, omni literarum genere inſtructiſſimus; imò cum præter mala
alia, ex vētris ſuppreſſione, & affectu ſimili voluulo obierit Glorioſiſſimus Prin-
ceps, non ab re erit, ſi primariam cauſam tam ſæui ſymptomatis referamus in
prohibitum, ex cyſtis obſtructione a calculis facta, bilioſi humoris ad inteſtina
tranſitum. Sunt denique qui glorientur in cerebri ventriculis calculos adinue-
niſse, nec deſunt apud SchenKium obſeruationes fide digne. Sed, ne a verme ad
lapidem me præterlapſum fuiſse quis dicat, quo ad locum generationis vermis
noſtri, crediderim etiam poſse cum ratione affirmari, ſi non intra cerebrum, &
in ſuperioribus capitis partibus propter allatas rationes, ſaltem propè naſi cola-
toria fuiſse, vbi non ſemel conſimilis ferè formæ ab alijs non paucis reperti fue-
re; nec tamē tuam damno opinionem, quod in regione inteſtinorum ortum ha-

bere potuerit,indeque vt alij communes lumbrici per ventriculum, oeſophagũ, & palati meatum ore clauſo ad eum locum conſcenderit; ſed ſuus cuique ſit liber ſenſus. Nunc ergo tantummodò ſupereſt, vt paucis damna, & calamitates, quas inferre potuiſset huiuſmodi animal, ſi diutius in intimis vixiſset, pro viribus aperiam. Erant enim huic vermi in ſummo capite ab vtraque oris parte acuti veluti aculei duo, quibus roſtri inſtar,& more ſcorpionũ vſque dum viuus,& ſuperſtes fuit,non leuiter mordebat. Quamobrē ſi in ventre,vbi tu præ alijs genitum fuiſse ſcribis,diu moram traxiſset,ac latitaſset præſens vermis, ſæua profecto, & lethalia ſymptomata frequenti ſuo morſu inducere potuiſset; eodem prorſus modo, quo Paulus Aegineta lib. & cap. iam allatis refert multos a lumbricis corroſos eſse,& conuulſos perijſse, & nonnullos affirmare per inguina, & bubones ægri exire ſolitos eſse; vnde Trincauellius in ſuperius citato loco; B
Vidi,inquit,*pueros,qui a vermibus adeò male affecti ſ[illegible]t interdum, vt opiſthotono à Græcis dicto correpti retrorſum adeò conuellerentur, vt penè calcaneis caput contingerent*; nec multo poſt ſubiungit: *Lumbrici cum torminibus, & inteſtinorum doloribus cruciant hominem interdum adeò acerbe, & pertinaciter, vt quemadmodum & ab antiquis Medicis narratur,& nos etiam noſtris oculis vidimus,ventrem,ac inteſtina perforauerint. Ego etenim vidi puerum quinquennem, in quo vermes hi rotundi perforato ventre per vmbilicum exiere.* Quæ quidem ſymptomata, a lumbricis, aut alijs animalculis illata,omnino variant pro varia tum eorundem natura tum ſede,quam occupant; Quod ideò dico,quia ſi per exemplum in ventriculo ſint, vomitum, famem, ſyncopen mordendo afferunt, & aliquando iugulare videntur;quinimo chylum conſumendo, corpus ad tabem deducunt, famemque cauſant,quæ ſedari vix poteſt. Ideò apud Trallianum lib. 7. cap. 6. legitur de muliere immodica aſſumente, quæ ſaturari non poterat, cuius ſanatio per ſolam hieram fuit, poſtquam vermem eiecit longitudine duodecim cubitorum; Ita refert Foreſtus lib. 21. de inteſt affect obſeru. 28. in ſchol. fuiſſe aliquando morbum epidemicum ſaraguſæ,quem & fameni appellabant, cum omnes ex eo correpti ſaturari minimè poſſent, & cum infiniti morerentur, Medicus quidam ſagax propinauit omni mane bolum armenum modò per ſe, modò cum theriaca,quibus per anum infinitos,& in orbem coactos vermes deiecerunt,& præter mentem, quamplurimi reſtituti ſunt. Quomodo verò etiam in ea parte morantes vermes epilepticos inſultus inuehere poſſint, a me olim demonſtratum eſt in lib. de epilepſia. Quod ſi in medio ſtabulentur ventre, inducere ſolent alui fluorem,& ventris inflationem, interdum quoque febres quotidianis quam ſimiles, inordinatas,& horrificas. Mulier eſt apud eundem Foreſtũ lib. 7. obſer. 35. multis conflictata ſymptomatibus,quæ ſtatim ac vermes per vmbilicum reiecit, curata vndequaque fuit. Aliquando enim vermes corrodunt, perforantque inteſtinum, quo concluduntur, indeque in varias alui partes permeant, adeò vt interdum per inguina quoque non ſolum per vmbilicum perrumpant, via excedendo facta; imò ſunt qui vſque ad cor ipſum, parata ſibimet ipſis corrodendo via, penetraſſe teſtantur; inter alios id affirmat Ioann. Meſue cap. de mor.

A de mor. cordis, referente etiam Codronco Medico Imolenſe in ſuo docto, & eleganti libello de morbis vulgaribus capitulo 12. *Sunt*, inquit Meſue, *ex vermibus habentes aculeos pungentes orificium ſtomachi punctione vehemente, donec faciant cadere in dolorem acutum ad ſyncopem ad mortem aliquando, & ſunt quandoque ex penetrantibus ad vltimas cordis partes, & quandoque uſque ad cor, & ſunt cauſa mortis feſtinæ.* Quod ſi aliquis a me quæreret, cur tempore, quo in inteſtinorum regione (ſi tamen ibi ortum habuit) hoc animal vixit, nullum, quod memoretur, ſymptoma illa in parte patienti intulerit, nec etiam in ipſa met febre, quamuis in febribus quicunque vermes habent, fortia, & maligna ſymptomata incurrant; dixerim non aliam ob cauſam id forſitan eueniſſe, niſi quia pabulum vermi ipſi in ventre ſtabulanti neceſſarium nunquam de-
B fuit, cum eidem poſtrata ſemper fuerit copioſa humida, materia, qua abundè ſaturabatur; qui enim Virum de facie norunt; plenioris eſſe habitus, & vniuerſam eius abdominis regionem pingui veluti mole extuberare certam fidem faciunt. Ratio enim præcipua, propter quam in febribus moleſti adeò ſint in ventre lumbrici, hæc potiſſimum eſſe fertur ex Auicen. capit. de verm. quia febris cibum illorum abſumit, & exſiccat; vnde ad quærendum ipſum mouētur, eoque deſtituti in ipſis figuntur inteſtinis, vbi maximos excitāt cruciatus. Modò autem conſtat ex figura, & ex alijs, quæ ſcribis, Vermem hunc roſtrum habuiſſe acuminatum, quo cum viueret, non parum mordebat; quare ſi ibidē per aliquod temporis ſpatium fuiſſet moratus, & alimento caruiſſet, cur non & ip-
C ſe, aliorum vermium, ſeu lumbricorum more, grauiſſima, quæ iam retuli, ſymptomata intuliſſet? Cuius rei occaſione nequeo hic ſilentio præterire, quod annis proxime tranſactis in Gallia miſere contigit Illuſtriſs. ac Excellentiſs. D. Hynico Cardenas Oratori Hiſpano, de quo alibi hoc in opere ſum locutus, qui quidem, dum vna cum reliquis Chriſtianiſſimi Regis Principibus, atque Baronibus Regem ipſum concomitantibus iter faceret, ad neſcio quam regionem peruenit, vbi ex eleuato quodam loco limpidiſſimæ aquæ fons ſcaturiens erat, cūque ferè abſtemius eſſet, & aquam gelidam vehementiſſime appeteret (erat enim, vt ſupra dixi, igneę, non ſolum calidæ naturæ) puerum illico miſit ad hauriendam aquam vaſe ex terra illa Luſitanorum, *puccaro* vulgo dicitur, cui vaſi in-
D erat adhærens operculum varijs foraminibus peruium; quo allato aquam affatim hauſit, ſed non ita poſt cum vitæ exitio expertus eſt quam verè dixerit Plautus. *Dulce, & amarum vna miſces mihi*; qui etiam cum illo dicere potuiſſet: *O quā ob breuem voluptatem ſummam amiſi fœlicitatem.* Siquidem vna cum aqua deglutiuit hyrudinem, vt olim contigit homini illi Galeni, de quo ſuperius; quod animalculum, & ſanguinis immodicam vacuationem, & alia perquam grauia ſymptomata inuexit, ita vt tandem ab hac ipſa cauſa vitam cum morte commutauerit; ſic namque mihi retulit Illuſtriſſimus: ac Excellentiſſimus Dominus Marchio de Coeure, qui tunc præſens erat, & nunc pro Chriſtianiſſimo Gallorum Rege Ludouico XIII. apud Sanctiſſimum D. N. Gregorium XV. Oratoris munere maxima ſua cum laude fungitur. Tandem verò, ſi vermis hic in iam ſigni-

ficato

ficato capitis loco, propè ſcilicet naſi colatoria, diuturniorem morã feciſſet, nec A
materia pro pabulo fuiſſet ſuppeditata, intimiuſque gradiendo ſeſe inſinuaſſet,
profectò partes illas exedendo, dolores, & cruciatus intolerabiles, vertigines,
conuulſiuos motus, inſomnia, mentis aberrationem, & cætera id genus mala
ſuſcitare potuiſſet, imò & mortem ipſam, vt cuidam apud Foreſtum euenit, cui
hirudo narium venulis male admota ad intimiores nares, & meninges vſque pe
netrauit. Et hæc ea ſunt, Angeline mi, quæ in tam breui temporis curriculo, re
autem magnopere ardua, & in abditis naturæ receſſibus collocata, iuxta viriũ
mearum tenuitatem tibi pro reſponſo exarare potui. Faxit Deus Optim. Max.
a quo omnes pendent mirabiles in rerum natura euentus, vt cum tibi, tum alijs,
ad quorum manus mea hæc diſſertatiuncula peruenerit, aliqua ſaltem ex parte
ſatisfecerim. Lectores verò interim non obliuiſcantur, quę a Theophraſto cap. B
8. metaphyſicę, memoriæ mandantur, in ijs videlicet, quæ tranſcendere nõ poſ-
ſumus, ſatis eſſe arbitrandum, ſi quis lucem aliquam plus indagare volenti
oſtendat.

Excellentiſſimis, ac præſtantiſſimis medicis Fuluio Angelino, ac Vincentio Alſario Crucio, Baptiſta Codroncus fœlicitatem optat.

DVm quibuſdam meis lucubrationibus abſoluendis vacarem, quarum Illuſtriſſimus, & Reuerẽdiſſimus Dominus Cardinalis Caetanus Legatus prę ſua eximia eruditione ac ſingulari humanitate C
iudex erit, ecce mihi nec opinanti oblatus eſt libellus mutuas veſtras diſputationes continens, quas vltro citroque de verme mirifico conſcripſiſtis, & tantus fuit ardor libelli legendi, vt meis omiſſis, me totũ
veſtris tradiderim lucubrationibus; legi equidem auide ac diligenter, & ex illa ũ
lectione magnam percepi voluptatem; nam hiſtoriam illius admirabilis vermis
elegantia, & doctrina refertam, ac non nulla de lumbricis optime explicata, re-
perij & quoniam pro veſtra roboranda ſententia meam auctoritatem afferre,
& honorificam de meo libello morborum vulgarium mentionem facere volui-
ſtis, quæ mihi inter legendum occurrerunt argumenta ad aſſerendam in ven-
triculo lumbricorum generationem, tum ad eandem in narium cauitatibus ac D
præſertim admirandi vermis oſtendendam fieri potuiſſe amice vobis expendẽ-
da proponere; ac ſimiles alios alias obſeruatos fuiſſe, ſcribere poſſe nõ dubitaui.
Cum igitur in graui illa controuerſia, vtrum lũbrici in ventriculo generari poſ-
ſint, vobis placuerit, partem negantẽ auctoritatibus, ac ratione tueri, mihi quę-
ſo concedant, pro vt tuenda parte affirmante, aliqua in medium afferam, & pri-
mo loco rationem ſumptam a natura rei. Cum in ventriculo cauſa efficiens ac
materialis lumbricorum reperiri poſſit, & aliquando reperiatur, ergo inibi, &
generatio eſſe eorumdem poteſt, conſequentia facile patet diſcurrenti, cauſis
enim præſentibus, vt effectus ſequantur neceſſe eſt: antecedens vero probatur;
nam quo ad cauſam efficientem, vt animalia in corpore gigni poſſint opus eſt
duplici

A duplici calore,viuifico ſcilicet naturalique,& igneo, putrefactorio,ac præterna turali,diuerſa tamen ratione: nam calor putredinalis, ac igneus putrefacit materiam,ac diſponit non quidem immediate ad recipiendam formam, ſed ad ſuſcipiendam diſpoſitionem caloris viuifici, qui poſtea materiam diſpoſitam nõ ſolum perfecte diſponit ad recipiendam formam, verum etiam informat, & efficit animalia ipſa; idem enim factor efficit,& præparat ſibi materiam: In ventriculo autem ſicut, & in cęteris partibus non ſolum viuificum, verum etiã putrefactorium, aliquãdo reperiri poſſe, præterquam quod ſit peritis medicis notum, etiã Galeni auctoritate pluribus locis probari poteſt, ſed pręſertim in lib. 3.ſympt. cauſ.cap.1.vbi verba faciens de vitijs coctionis, quæ in ventriculo celebratur,ait, vitium *diſpepſiam* proprie a græcis,& *coctionis corruptionem* a latinis
B nuncupatum,vbi videlicet corrumpuntur cibi,& in alienam qualitatem mutantur,adeo vt prorſus nullam gratiam ſuſcipere poſſint, fieri ab exuberanti calore,quod etiam magis explicans in lib. 1.de loc.affect.cap.4.ſcribit; ſi quis nidoroſum ructum emittat,nihilque nidoroſum comederit,huic igneum quendam calorem eſſe in ventriculo;& quo ad cauſam materialem, cum ex Pauli ſententia lib.4.c.57.& omniũ recte ſentientium,lumbricorum cauſa materialis ſit pituita, non naturalis quidem, ſed extrementitia quæ communiter dicitur humor crudus,vt tradit Galen.lib.3.de alim.fac.ac putredini aptus,& hæc in ventriculo ſæpe ac ſæpius generari,ac cumulari contingat,vt etiam teſtatur Gal. libr. 5. de vſu par.4. ac alijs locis, vt hac ratione noſtri ventriculum pituitæ lacunam
C appellarint,fit,vt ſi hæc pituita calore præternaturali putreſcat,gignantur lumbrici,non ex putrida tamen parte,ſed ex ea,quæ ex putreſcente concocta eſt, vt explicat Ariſt.lib.3.de gen.animal.c.11.vbi ait, *nihil gignitur putreſcens, ſed concoctum*, nec verum eſt, quod a Gabucino aſſeritur, humores in ventriculo putreſcentes ibi tandiu moram trahere non poſſe, vt ex ipſis lumbrici generētur, cum ventriculus multiplici moueatur motu,quippe qui trahũt tam diuturnam moram,& ita adhærent ventriculo, ſeu eius tunicis, vt ne medicamẽtis quidem euelli inde poſſint ſine ventriculi quanto maximo conatu: præterea ſicut materia pituitoſa in alijs partibus putreſcere poteſt, & potiſſimum in cerebro parte omnium aliarum nobiliſsima ac præſtantiſsima, & ex ea huiuſcemodi inſecta
D gigni,ita & in ventriculo generari poſſe,exiſtimandum eſt. Quod & ſequenti ratione magis erit apertum: nam ſi ex putreſcentibus in ventriculo humoribus inflammationes,ac alij tumores excitari poſſunt,ita & ex materia idonea putreſcente lumbrici progigni,poſſunt pro qua tamẽ euertenda ratione Gabuccinus ſibi ac veritati contradicit cum ait, tumores eſſe toto genere præter naturam, lumbricos vero eſſe a natura, cum tamen paulo antea ſcripſerit generationem lumbricorum in ventriculo eſſe toto genere præternaturam, ac ſuperius in cap. 4.aſſeruerit vermem eſſe morbum in numero, & præter naturam ipſi homini accidere: Inſuper ſi in ventriculo lapides generari poſſunt, ſimiliter, & lumbrici,cum eędem fere ſint cauſæ cum materialis tum efficiẽtes lumbricorum ac lapidum,quod renum exemplo probari poteſt; nam cum renes, & veſsica etiam

ſint

ſint loci proprij in quibus lapides naſcuntur, vt ſcribit Gal. lib. 1. de loc. affect. A
cap. 5. in ipſis etiam gigni lumbricos præterquam quod Gentilis, & Ludouicus
Duretus teſtentur, ego id etiam obſeruaui. Gentilis enim in par. 3. tr. 2. cap. 3.
ait, ſe vidiſſe quendam Peruſinum qui cum per octo menſes quotidiana febre cũ
dolore renum laboraſſet in conualeſcentia vermes paruos, & latos cum vrina
emiſiſſe, & a dolore ſtatim immunem eſſe factum. Ludouicus Duretus in ſcho-
lijs lib. 1. de mor. int. Hollerij. cap. 47. ſcribit, per penem, vrina, ramenta, pitui-
ta, vermes, pus, ſemen, & ſanguis, & Hollerium duos vidiſſe, in quibus vermes
ex pituita putreſcente geniti per vrinam externebantur: Baucierum aduocatũ
poſt dolorem magnum renum vermem eminxiſſe, & cuiuſdam literas ad hiſpa-
num medicum ſcriptas vidiſſe, quibus petebat ille conſilium pro quodam cal-
culoſo, cui eiectis calculis aliquibus, & arenulis, prodierunt duo vermiculi acu- B
to capite, corniculato, ventre, ac dorſo teſtula induti inſtar teſtudinis, nigri, &
ventre tantum rubeo. Anno 1584. in menſe Ianuarij, cum ego medicinam fa-
cerem cuidam mulieri vxori AEnini cometarij, hæc per mẽſem duplici tertiana
notha laborauit, & in principio ſingulæ acceſſionis ab ingenti dextris renis do-
lore torquebatur, cui cum aliqua mingendi difficultate vltimis octo diebus, ac-
ceſſit egerendi inanis conatus τεινεσμὸς nuncupatus, & tandem cum ipſa qua-
dam die perciperet in pudendo quid moleſti, ipſi manum admonẽs, lumbricum
album, tenuem, viuum, & ad magnitudinem medij palmi extraxit, quo eiecto a
dolore renis amplius moleſtata non fuit, & dixit mihi, ſe anno præterito alium
ſimilem vna cum vrina excreuiſſe, cui etiam renis dolor præceſſerat. Lapides ve- C
ro non ſolum in renibus, ac veſica, ſed in omnibus propemodum partibus noſtri
corporis generari poſſe prę ter rationem, ex multis hiſtorijs, ac teſtationibus gra
uiſſimorum virorum fit manifeſtum, pro quibus explicandis opus eſſet longa
oratione, quibus tamen omiſſis in ventriculo potiſsimum fieri poſſe, facile pro-
bare poſſum: ſcribit Gilibertus referente Nicolo in ſer. 5. tr. 4. cap. 53. ſe vidiſſe
lapidem vomitu reiectum, & in ventriculo genitum; Gentilis teſtatur, quendã
Iulianum Foroliuienſem ſibi miſiſſe lapidem magnitudinis nucis iuglandis oui
figura prę ditum, vomitu poſt ventriculi dolorem depulſum. Cornelius Gem-
ma lib. 1. coſmo. cap. 6. aſſerit, mulierem quandam poſt diuturnos ventriculi do-
lores lapidem per inteſtina deturbaſſe triangulari figura, qui magnitudine caſta D
neam ęquabat, & in pyloro per annum latuiſſe, vt antecedentium ſymptomatũ
ſeries, ac natura indicauerant. Mihi autem, quod contingit videre anno 1588.
referam, quædam mulier nomine Laura Daniola cum per multos annos a dolo-
re ventriculi, & præſertim a cibo per quædam interualla vexaretur, & vomitu
varia excrementa, ac etiam cibum euomeret, & auxilia multa, quæ pro dolore
profligando adhibita ſunt, nihil iuuarent, tandem Dei auxilio propinato quodã
vomitiuo, lapidem ad pondus duarum drachmarum, oui figura, coloris cineri-
cij, ac plumbei, cui inhęrebant quædam atomi albicantes, ac ſplendentes, vt la-
pis alicuius mineralis ſpeciem præſeferret euomuit; ego exiſtimaui hũc lapidẽ,
quem per aliquot annos domi ſeruaui, fuiſſe genitum ex materia pituitoſa, ac
melan-

A melancholica craſſa ac tenaci, quæ vomitu cohibito ſua craſſicie, ac viſcidiate
diu in ventriculo retenta, a calore morboſo ventriculi, ac circum iacentium par
tium tenuibus partibus reſolutis, in tophaceam, ſeu lapideam materiam, eſt con
creta, ideo vltimis diebus ac menſibus ingens pondus in regione ventriculi, &
præſertim in dextera illius parte percipiebat, vt etiã difficilis illis eſſet inceſſus.
In vẽtriculo autem generari poſſe, ac generari lumbricos traſtantur grauiſſimi
viri B. Albertus, Petrus Apponẽſis, Michael Sauonarola, Rondeletius, Amatus
Luſitanus, & Antonius Muſa braſſauolus, qui lib. 3. Apho. com. 26. id experien
tia probat, vbi ait, ſe vidiſſe materiam, quã quidã pueri euomuerant, quæ in ver
mẽ nondũ perfecte caluerat, alia integer vermis erat, alia erat pura materia ver
miculi forma informis: Nec in ventriculo exuberantem adeo caliditatẽ agno-
B ſco, vt humores in eo cumulati non poſſint ſicut in cæteris partibus tali putredi-
ne corripi, & ex illis vermes gigni; nam cum ventriculus, vt ſciũt omnes anatho
mes periti ſit ex membranoſa, ac neruoſa prorſus ſubſtantia compoſitus, vt vſu
exigente ampliari, ac dilatari, colligi, ac conſtringi poſſit, illius temperamentum
potius ad frigidum, quam ad calidũ inclinat, quo fit, vt ſicut lebes in medio cor-
poris a natura poſitus a circunſtantibus partibus calefiat, non quidem intenſe,
ſed quantum ſuo muneri obeundo ſufficit: nam ſi iecur, ac cætera circundantia
membra multum ſint calida, tantum abeſt, vt illi opitulentur, vt potius illi ob-
ſint: nam illius calorem innatũ iminuunt ita, vt niſi ægre ac diminute chylifica-
tionem perficiat, & inde cruditates fiant, & lumbricorum generationi materia
C ſuggeratur: omitto ſatisfacere auctoritati Ariſt. lib. 4. meteor. tex 28. Gal. 1. de
loc. affect. & Auicẽnæ. 16. 3. tr. 5. c. 2. cum alij horum auctores ſententias expli-
cauerint, qua ratione intelligi debeant, vt contrarium opinari non cogant. Ver-
mem, qui ex nobilis Ceſennatenſis naribus exijt, prodigioſum quidẽ eſſe nemo
negare debet, vt nec mihi per triginta, & octo annos medicinam facienti; nec
alijs, quos legi alium eiuſdem omnino figuræ, ac aliarum partium prorſus vidiſ-
ſe contigerit; alios tamen admirandos, ac etiam huic ſimiles ego, & alij obſerua-
runt, & præter relatos auctores à vobis in pag. 32. Antonius Beneuenius lib. de
abd. morb. cauſ. ca. 2. teſtatur, quendam fabrum lignarium vermem vomitu de-
turbaſſe capite rubeo, leui, ac rotundo, corpore quadam lanugine referto, cau-
D da furcata, pedibus quatuor innitentem: per ſimilem vermem vidit Galucinus
ſed coloris nigri, pilis refertum. Marcellus Donatus narrat lib 4. c. 26. Lauren-
tium Zaffardum febre billioſa captum euomiſſe vermem bina cornua habẽtem,
centum pedes vtrinque; quibus miro ordine gradiebatur, coloris rubri, ac vẽtre
depreſſo: ſimilem lumbricum ego vidi anno 1603. in Domina Emilia Vãdina,
quæ cum per aliquot dies dolore ventriculi punctorio affecta fuiſſet, excreuit lũ
bricum rubri coloris, piloſum, duo cornua cornuum cochleati ſimilia in capite,
& cauda habẽtem. Franciſcus Carrettus in ſua empirica Bononiæ manu ſcripta
teſtatur, anno 1589. pauperculam quandam cum ſpicilegium feciſſet, eriſipe-
late in facie fuiſſe correptam, & cum ſanguine miſſo, & omnibus ratione per
actis adhuc male haberet in vncta facie, & naribus eriſypelate affectis butyro,

nocte ſequenti eieciſſe è naribus duos vermes ex ſingulo vnum, & altera nocte quatuor pro qualibet nare, & ſanata eſt, quorum vermium figura erat erucæ ſeu brucho ſimilis, vt ex figura male tamen delineata calamo patet. Hactenus de generatione lumbricorum in ventriculo, ac obſeruatione aliorum hiſtorico veſtro ſimilium. Iam vero, quod in cauitatibus nariũ etiam vermes generari poſſint, incumbit mihi onus explicandi: Ioannes Angelicus in ſua practica, Roſa anglica inſcripta lib. 3. cap. 13. aſſerit, aliquando in naſo vermes fieri, qui *baſones*, vel *nipones* vocantur, ſi iſti fiunt in naribus, cur alij ſimiles gigni nõ poſſint, non video: præterea ſi vermes in alijs corporis partibus ac potiſſimum in cerebro, vt a vobis recte demonſtratum eſt, generari poſſunt, quid prohibet, quod & in naſi colatorijs gigni non poſſint, præſertim cum in illis non deſit cauſa materialis fere ſemper, & efficiens multis rationibus etiam præſens eſſe poſſit: nam qui accuratius nominum rationes ſcrutantur, nares, ac naſum a nando deriuatas exiſtimant: quod per ea innatet atque enatet ſpiritus propter humorem in his exiſtentem, qui veluti purgamentum quodam a cerebro defluit βλέννα: Græci, nos *mucum* dicimus, ex quo optima ratione partem hanc totam amplam, & cauam, ſimulque decliuem natura effinxiſſe videtur, vt hac via, horum excrementorum effluxus pateat, ne apoplexijs animal occupetur vt Gal. lib. 9. de vſu par. cap. 1. & lib. de ſemine, cap. 6. ſcribit: cum igitur pars illa ſit locus idoneus, & in ea ſæpe ac ſæpius craſſa ac viſcida ſcateat pituita ſi a calore validiori ac igneo, vt fuit factum in paupercula ſpicilagij corripiatur, vermes varij pro varietate materiæ putreſcentis, & caluis, ex ea facili negotio generari poſſunt: hanc partem multis ſcatere excrementis, etiam patefaciunt variæ affectiones, quę in ipſa generari conſueuerunt, ac præſertim polypi, quos ex craſſis, & viſcoſis humoribus progigni teſtatur Gal. lib. 5. de comp. med. loc. cap. 3 1. hiſtoria quorum a Io. Fernelio relata magis hanc veritatem oſtendit, qui in lib. 5. de par. mor. cap. 1. ſcribit, in quodam milite ex fędiore quadam eluuie diutius cohibita, vermes duos villoſos inſtar digiti in naribus genitos, inuentoſque eſſe. Quo vero ad vermem excretum ſeu emunctum è naribus a nobili Ceſennatenſi, inficias ire nolo, nec debeo, quia in inteſtinis, vel ventriculo gigni, & ad ſuperiores partes aſcendens in parte narium caua figi haud potuerit; genitum tamen fuiſſe extra ventrem inferiorem, circa colatoria narium, aliqua non ſpernenda mihi perſuadent: nam ex veſtra ſententia vermis ſi diu in ſede narium latuiſſet, neceſſario ſymptomata ſæua excitaſset, & ſed eũ leuia tantum viſa ſint, ſtatuitis in inteſtinis, ac ventre inferiore genitum eſſe; argumentum aduerſus ſententiam veſtram contorqueri poteſt, ſi genitus eſſet in ventre inferiori, & mala non potuerunt excitari ſymptomata propter exuberantem pabulum, dico, quod ſaltem leuia apparuiſſent, & inditia aliqua ſui præbuiſſet: ſed cum nulla circa imum ventrem, aliqua vero & non contemnenda circa cerebrum oborta ſint, iuges videlicet, ac moleſtæ vigiliæ, ac delirij ſpeties quædam, fatendum erit in nariũ ſuperiori parte, vermem eſſe genitum, & non in imi ventris latebris, nam ſymptomata illa, ni fallor, ortũ habuerunt a vaporibus acribus ac malignis ab animali illo ad cerebrum elatis,

quæ

A quæ ratione febris qua ęgrotans fuit correptus, minimè excitari potuerũt, cum febres, quæ tunc vagabantur omnes mites ac ſalubres fuerint, & ortum habuerint ex delapſu humorum frigidorum, & craſſorũ a cerebro ad infimas partes, ex quorum putredine potius ſopor ſeu cataphora, quam vigiliæ oriri debebant, & cum praua qualitate carerent, nullam delirij ſpeciem facere poterant: Vt autem generari potuerit in narium colatorijs, ac perfici non defuit materia. nam cum in cõſtitutione illa caput pituita, & illa craſſa fuerit refertũ, ſufficiens portio in cauitate narium retenta fuit, & cum ſanguinis portione mixta, quod fuit facile in temperamento ac capite calido, & humido, quorum materia a calore febrili ad putredinem redacta, vermis generationi apta (nam non omnis putrida materia eſt conueniens vermium generationi). prodigioſus vermis eſt pro-

B creatus. Nec, vt credam hunc vermem alibi genitum eſſe facit, quod nullum in cerebro ex veſtra ſententia oborta ſint ſæua ſymptomata, nam neque circa ventrem inferiorem vbi vultis eſſe genitum apparuerunt: & ſi in ventre non apparuerunt, quia nutrimenti pabulum non defuit, nec in cerebro apparere debebãt a quo vermis nutricionis ſufficiens alimentum capiebat ex ſuperiori alata cauſa: cum tamen non leuia imo grauia ac fere læthalia ſymptomata circa ipſum, & nulla circa ventrẽ inferiorem obſeruata fuerint. Nec abſurdum eſſet aſſerere, vermem mirandum in parte illa ſine vlla læſione latere potuiſſe: cum ſciant qui per aliquot annos medicinam fecerunt, non numquam lumbricos præſertim tetes, ac magis freqnentes in corporibus ita placide viuere, vt nullam cõſpicuã

C læſionem inferant ideo ſæpius contingit pueros videre qui vna cum fœcibus lumbricos excernunt, qui tamen ſine vlla querela ſalubriter viuunt. Cæterum, quoniam ad puerorum lumbricos deuenit oratio, tantiſper inſiſtamus, in hac quippe lumbricorum materia Mõtanus ac Mercurialis, vt mea fert opinio, hallucinati ſunt, aſſerentes in pueris lactentibus minime generari lumbricos, & cũ hi fuerint medici peritiſſimi, ac magni nominis, ac alios facile præſertim iuniores in eorum errorem, trahere poſſint, cum euidenti multorum infantium detrimento, ac etiam obitu; Ideo quid ego in re hac ardua ſentiam, & expertus ſim vobis clariſſimis viris proponere volui, vt præ veſtra eruditione, vtilitati publicæ conſulentes, rem definire velitis. primo dicam, hos celeberrimos viros in aſſi-

D gnanda ſuæ ſententiæ ratione, alienos eſſe: nam Montanus ait, ideo in lactentibus lumbricos non generari, quoniam non eſt in illis calor adeo vehemẽs quẽadmodum requiritur in generatione horum animalium; ex aduerſo tamen Mercurialis aſſerit, ad generationem lumbricorum conuenire calorem blandum, & mitem, minimè vero magnum, & vehementem, vt hac ratione in ipſis facile generari deberent: nihilominus videtur calorem infantium eſſe magnum auctoritate Hippocratis, & Galleni, qui lib. 1. aph. comm. 14. ſcribunt, eos, *qui creſcunt plurimum habere caloris, & ideo plurimo egere alimento*: nec ſolũ in illis eſt multus, verum etiam vberior, quam in iuuene, quoniam ſeruat magis naturam, quã contraxit ex ſemine viri, ac ſanguine menſtruo mulieris, qui calor cum in dies exiccetur, quanto animal a principio natiuitatis plus diſtat, tãto minor euadit. Huic

difficultati videtur Gal. ſatisfacere lib. 3. aph. cap. 26. vbi ait, in puerulis ac valde A
tenellis lumbricos haud gigni, quoniam illorum calor nōdum materiā ſuperat,
ſeu obtinet, vt habet alius codex: nam cum in puerulis abundet pituita, vt in cō-
mentario de ratione victus ſalubris idem Gal. ſcribit, fit, vt illorum calor a nimia
humiditate obtuſus ſit, ac quaſi ligatus, vt in agendo imbecillis euadat: Ideo re-
ctè dixit Montanus, calorem puerorum non eſſe admodum vehementem pro-
pter videlicet exuberantem humiditatem, quamuis ex ſui natura ſit magnus, &
validus: nec mihi ſatisfacit ratio a Mercuriali ex Hipp. ſeu alio auctore in lib.
4. de morbis relata, cum ait, in pueris dum vtero continentur, lumbricos gene-
rari, eo quod in ipſis fęces retineantur, poſtquam veró ex vtero egreſſi ſunt, nō
generari, quia fęces amplius nón cohibentur: nam hoc veritatem habere poteſt
pro generatione lati lumbrici, de quo Hipp. potiſſimum verba facit: nam cum B
opus ſit ad huius generationē copioſa materia, & excrementa in infantibus toto
prægnationis tempore retineātur, & calor mitis infantis a calore matris augea-
tur, non eſt difficilis huius lati vermis generatio in puero intra materna viſcera
clauſo: in puero vero extra vterū poſito, non poteſt gigni hic vermis latus, quia
ſufficiens materia nō ſuppeditatur: ſufficiens tamen pro generatione teretis, ac
vulgaris lumbrici in illorum inteſtinis colligi poteſt; quæ vt colligatur ſi facit
aluus aſtricta, cum ſępe videamus puerulos alui aſtrictione laborare, vt teſtatur
Auicenn. & Mercurialis confirmat, aſſerendum eſt hac in re Mercurialem de
ceptum eſſe: lumbricos igitur teretes in lactentibus gigni, auctoritate, ratione,
& experientia probare poſſum: Aetius enim in ſer. 9. c. 39. ſcribit, lumbricos in C
infantibus, & pueris qui ad pubertatē accedunt, abundare, vbi per infantes pue-
ros lactentes intelligere manifeſtum eſt ex ipſo in ſer. 4. vbi de recens nati infan
tis educatione agit: quamuis infantium calor ſit blandus ac mitis, aliquando ta-
men acris, & mordax efficitur non ſolum propter prauitatem lactis, quo nutriū-
tur verum etiam propter aliquam cauſam extrinſecus aduenientem; ita vt cau-
ſa lumbricorum efficiens idoneus fiat. Nec illis defecit cauſa materialis, nā mu-
lieres noſtræ omnes fere ferculum *pappa* appellatum infantibus etiam pr mis
diebus exhibent aſſerentes illud eſſe lactis coagulum, vt pręter id ſæpius quam
cōueniat illos lactāt, quod ab Ariſt. lib. 7. de hiſt. anim. c. 12. fuit damnatū, quod
ferculum cū lacte cogitur, & coaceruatur, vt inde alimentū craſſum ac viſcidū, D
& generandos lumbricos aptiſſimum fiat. Quod ſi etiam infantes ſolo lacte nu-
triantur, hac ſola ratione a lumbricis immunes nō fiunt; nam cum in noſtra Fla-
minia catarrho frequēter afficiātur, & nutrices pręſertim pauperculæ mala vtā-
tur victus ratione, ſufficiens materia in eorum inteſtinis cogitur ad vermiū ge-
nerationem apta: Quod ego multis abhinc annis in Angelo filio lactente, & in
quibuſdam alijs obſeruaui, & ab alijs etiam medicis, & præſertim a Gabuccino
obſeruatum eſſe ſcio: Galenum autem lib. 3. aphor. comment. 26. aſſerentem
puerulos lumbricis non tentari, de infantibus nuper natis, & qui paucos dies
vel menſes habent interpratari debemus, cum paulo infra dicat lumbricos
teretes ac plures in pueris generari; vtitur enim in primis verbis diminutiuis

puerulus

A *puerulis* videlicet ac *tenellis*, quod ego etiam verum exiſtimo vt plurimum eſſe, non tamen ſemper, vt cum vltimo ſolo lacte ac illo vtili ac ſano nutriuntur, vel cum diſtillationibus non tentantur: & hæc quidem pinguiore minerua elaborata ad explicandam in hac prodigioſi vermis hiſtoria ſententiam meam, ſatis eſſe videntur. Valete, diu fœlices viuite, hoc præſertim nomine, vt mei memores ſemper ſitis, Imolæ.

QVÆSITVM PRIMARIVM IN CESENNATENSI EQVITE, ac Philoſopho eruditiſſimo continua alui aſtrictione, & πρόπτωσι laborante.

B

I.

Cur tanta alui ſtypticitate, & ani procidentia laboret, & quomodo vtrique affectui obuiam eundum ſit.

Quæſita Secundaria octo.

I.

Cur inteſtina flexuoſa, ac tot ſpiris inuoluta ſint.

II.

C *An ſcybala de mollibus etiam excrementis dicantur, vt voluit Manardus.*

III.

Cur literarum ſtudijs indeſinenter vacantes adſtrictionem alui patiantur.

IV.

An, & cur ventris ſegnities apud Hipp. de hac ipſa ſtypticitate intelligi etiam poſſit.

V.

An frigida intemperies inteſtinorum aluum liquidam, aut ſiccam efficiat.

VI.

Cur Rauennatum Vineta propinqua pineto debile vinum producant, cum fieri contrarium deberet, ex Theophraſto, & Plut archo.

D

VII.

An, & cur venus alui ſtypticitatem inducat, & foueat.

VIII.

Cur ani procidentia ſit difficulter ſanabilis.

Ad eundem.

DVo ſunt, quæ te magnopere angunt, eques nobiliſſime, quorum cauſas aſſequi deſideras, & a quibus vindicari multo magis exoptas, nimirum alui ſegnities, & recti inteſtini prolapſus, a Gal. 9. ca. tat. πρόπτωσις, a Latinis ani procidentia nuncupata. De quorum quidem ſymptomatum cauſis libenter pro viribus agam, antequam de curatio-

ne inſtituenda ſermo habeatur, cum recorder me apud Aelianum legiſſe, Ari- A
ſtotelem, cuius mentem, atque doctrinam, ſi quis hodie alius, mirè calles, cum
morbo teneretur, & Medicus ei præceptum quoddam iniungeret, reſpondiſſe,
prius cauſam ediſſere, ſic enim facile perſuaſione me morigerum reddideris. Iam ita-
que receptum eſt apud Medicos, atque Philoſophos omnes inteſtinorum mu-
nus præcipuum eſſe, excrementa ciborum ſuſcipere, & eadem conuenienti tem-
pore expellere; ideoque communiter affirmant, non ſolum ampla, vacua, &
capaciſſima fabrefacta eſſe a natura, ſed facultatibus etiam in primis retentri-
ce, & expultrice donata fuiſſe. Nec te certe latet quod Plato in Timæo de inte-
ſtinis ipſis affirmauit, hominum ſcilicet ideo conſtructa eſſe flexuoſa, vt diutius
cibum, & excrementa retinerent, ne homo a contemplatione auocatus conti-
nuè ventri, & aſſumendis cibis indulgere, ac operam dare cogeretur. Sed ò quàm B
melius tecum, & cum Ingolo noſtro doctiſſimo, & optimo ageretur, niſi mem-
bra hæc tot anfractibus, totque Dedaleis labyrinthis conſtarent. Ambo enim
minus morboſa corporis valetudine vexaremini, & mens a fumis, halitibuſ-
que retentis, & ſurſum ad eam expirantibus libera ad ſpeculandum, & intelli-
gendum promptior vndique foret. In primis verò illud tibi ſciendum, alui ad-
ſtrictionem eſſe diſpoſitionem quandam præter naturalem, qua nec debita
hora, nec debita menſura fęcalia excrementa emittis. Dictum eſt autem de-
bita, & conuenienti hora, quia ſententia fuit Hipp. 2. Prognoſt. 15. debere
omnes homines, vt plurimum, mane fęces egerere, eo quod tunc temporis co-
ctio quæuis peracta ſit; ex quo tamen non eſt, cur aliquis deducat, cibum, pro- C
ut quotidie ſumitur, ita etiam ſingulis diebus, & quotidie excerni debere, quia,
vt idem ſcribit Hipp. 4. de morbis: *Cibus altera quaque die exit, humores autem
tertia die, atque hac ratio docet morbos in imparibus diebus iudicari, & humorem in
ſano homine tertia die exire, ſtercus autem ſecunda.* In debita quoque addidi
menſura, quoniam excrementa alui reſpondent ijs, quæ ingeſta ſunt; & quo
plus aliquis edit, eo etiam plura excrementa reddat neceſſe eſt, & quo minus,
eo pauciora, velut ſimiliter plus egerunt, qui minus nutrientia indunt alimen-
ta, vt puta panes furfuraceos, olera, & ſimilia; Minus verò, qui melioris nu-
trimenti, & euchymis cibarijs veſcuntur, qualia ſunt ex pane ſiliginco, carni-
bus, & ouis. Ad id forſitan reſpexit Hippocrat. in lib. de alimen. dicens: D
Potentia alimenti melior, quàm moles. Hunc autem affectum collocant medi-
ci inter ſymptomata ad retentorum excrementorum genus pertinentia,
quæ cum manifeſtè ſecundaria ſint, ab aliquo primario pendeant oportet.
Hic autem læſio eſt actionis expultricis, cuius eiuſcemodi læſio contingit,
aut quia ob protopathiam afficiuntur inteſtina, aut propter ſympathiam;
& hoc quidem poſtremo modo dupliciter, nimirum vel quoniam facultas a
cerebro non mittitur propter paralyſin nerui, aut muſculi, quæ paralyſis
pro cauſa habere ſolet vel intemperiem, vel obſtructionem; aut quia
non mittitur per cholidocum ad interanea bilis, quæ ſua acrimonia inte-
ſtina, & expultricem eorum facultatem ad fœcum deiectionem ſtimulet,

A Quòd ſi hæc expellendi fęces actio læſa naſcatur a propria, & peculiari inteſtinorum oſtenſa, id ſcito euenire, aut quia facultas ipſa expultrix læſa eſt, aut quia aliquod in inteſtinis impedimẽtum adeſt, a quo eiuſcemodi actio interpellatur. Facultas verò inteſtinorum offenditur, vel propter morbum inſtrumentalem, vt ſunt tumores; aut propter morbũ ſimilarem, cuiuſmodi eſt aliqua ex intemperiebus. In te verò, quemadmodum & in Ingolo, cum per ſe offenſa ſint inteſtina, non autem aliunde impertita læſione, neque in illis vel tumor, vel impedimentum aliquod aliud adſit, vt nec viſcidi, craſſique humores (de qua tamen cauſa in Ingolo veritus ſum aliquando excrementis inſpectis) qui obuoluti fęcibus, eas inteſtinis affigant, idcirco ab intemperie aliqua id mali genus promanabit. An ergo id ipſum in te fit, quia videris poſſe collocari in ſerie illorum, qui

B picrocholi ſunt, & emaciati, quorum ſcilicet natura in vniuerſum, ne dum quoad ipſa inteſtina, omnino calida, & ſicca eſt, & qui ab Hipp. *thermochylis* vocantur, quippe qui calidam inteſtinorum craſim patiuntur, quorumque aluus ſicca, pigra, difficilis, & fęces adeo exſuccæ, & induratæ, vt inter σπυραθώδεα excrementa, & Μικρὰ Μέλανα, (ita namque appellat Hipp.) ſumma cum ratione reponantur, quãdo niſi opera Medici, & magno tuo nixu vix prodeunt? Quæ quidem excrementa aliter *ſcybala*, quaſi in nucleum formata dicuntur quarto de ratione vict. in acut. 17. vbi mihi propterea non vndequaque probetur Ioannis Manardi opinio lib. 2. epiſt cum ſcribit: *Scybala non tantum arida, ſed etiam mollia ſtercora ſignificant.* An verò etiam hoc tibi euenit, vt infinitis alijs, qui litterarum

C ſtudijs impliciti ſunt ac inuoluti, in quibus calor omnis, & ſpiritus, qui ſunt animæ, & facultatum eius inſtrumenta, in caput, vbi aſſiduis ſpeculationibus intenta mens reſidet, ſemper aduolant; qui propterea cum cæterarum partium, tum præcipuè ventris operationes ſegniores habentes, in varia illius regionis accidentia, de quorum cenſu eſt ipſa alui ſtypticitas, incurrunt? De quo quidem ſymptomate meritò mecum ſummopere conqueſtus es. Vt enim qui natura humidam aluum habent magnis, & acutis morbis corripi minimè ſolent, vt aſſerit Hipp. in lib. de aere, aquis, & locis, a quo pariter 2. de Diæta ſcribitur. *Cum euacuata eſt aluus, ex reliquo corpore, & capite humiditatẽ in ſe ipſam attrahit:* ita ex aduerſo quibus inobediens eſt, & ſegnis, integra nunquã frui ſanitate licet. Quare

D & magnus ille Auenzoar ab initio ſui operis tradit, conuenire inter omnes Medicos ad tuendam ſanitatem, maximè eſſe neceſſarium, vt aluus liquida ſeruetur. Ea propter quod 6. Epid. Hipp. ipſe ait, *Ventris torpor, vniuerſorum confuſio, vaſorum immundicia, & cerebri conſumptio*, quamuis paſſim, & a Gal. in primis de infirmitate virtutis alteratricis, a qua cibi conficiuntur, explicetur, nihilo tamẽ, ſi quis ad hãc alui ſegnitiẽ, ac ſtypticitatẽ referat, dubio procul ijs, quæ varijs in locis hac de re Hipp. atque Gal. aſſerunt, cõgrua, atq; conſentanea loquetur. An demũ hoc mali genere laboras, quia dum cõtinuis cogitationib. intentus ſpiritũ omnẽ, atq; calorẽ a corporis miniſterio ad animi intelligẽtias auocas, vna ẽt corpus perpetuis ferè vigilijs excrucias, ſiccas, & emacias? iam. n. de te efferri illud Heracliti põt: *Spiritus ſiccus, anima ingenioſiſſima.* Et nemo ignorat curas, cogita-

tiones, vigilias, & ſtudia vniuerſum corpus humiditate priuare, & cõſequenter A
ventrẽ aridum efficere; Vnde ſcribit Gal. in lib de artic. Græcos appellaſſe curas Μιλιδώνας, quaſi edant, & conficiant membra noſtra? Cum aluus itaque his, & alijs de cauſis, quæ explicantur a Gal. potiſſimum 1. de ſanit. tuen. cap. 13. cohiberi aut pigrior euadere poſſit, tuæ ſtypticitatis occaſionem in calidiorem potius, & ſicciorem hepatis, ac inteſtinorum intemperaturam reijciendam exiſtimo; quod inter alia clarè ſatis oſtendit partium illarum emaciatio, & retorridarum fęcum excretio. Quandoquidem Gal. 2. prorrhi. 6. Scybala illa ideò fieri notat, quia excrementa ab excedenti, & igneo calore ſiccantur, & quaſi vruntur, vt hinc magnam habeant cum ſtercore capratum ſimilitudinem, Hoc tamen in loco inſurgit non leuis dubitandi occaſio, de intẽperie frigida, & ſicca tam ventriculi, quàm inteſtinorum, etiam ſi iecur impenſe calidum, & non mediocriter ſiccum ſtatuatur: adeſt enim macies, & cum macie pallor, nec non velut bradypepſia quædam, & Gal. 1. de ſanit. tuen. 13. inter cauſas adſtrictionis alui frigidam, & ſiccam intemperiem cõnumerat, ſiue intrinſecus, ſiue extrinſecus factã. B
Sed interim quæret alter non citra rationem, vtrum a tali intemperie id ſymptoma prouenire poſſit, quoniam Gal. ipſe 6. Epid. comm. 5. tex. 25. explicans illam Hipp. ſententiam: *Refrigeratio ea, quæ in ventre ſunt, indurat*, apertè ſcribit, fieri neutiquam poſſe, vt frigida intemperies interna aluum adſtringat. Cur? Quoniam in frigida intemperie aut ventriculi, aut inteſtinorum neceſſariò labefactatur coctio, & cruditates oriuntur, in quibus quidem liquari, non ſiccari aluus ſolet. Quòd ab aëris frigore indurentur fęces, & ventri inobediens fiat, nemini dubium eſt; nam & ſenſus, & Hipp. teſtimonium 3. aphor. 10. id clariſſimè docent. Videmus enim tempore hiberno, & maxime borea ſpirãte, ventres magis indurari, quàm æſtiuo, & conſtitutione auſtrali, idque ſi non ab introducta frigida intemperie in inteſtinis, quæ induret perinde ac videtur indurari ab intenſo frigore lutum, quia ſcilicet tanta frigiditas actu in viuente non reperitur, ſaltem quatenus muſculus ſphyncter ad anum, qui eiuſdem alui conſtrictioni famulatur, quoquo pacto refrigeratus, & vna corroboratus, valentius adſtringit, cuius adſtrictionis cauſa cum fęcalia excrementa diu in inteſtinis detineantur, neceſſariò dura, & exſucca euadunt. An hæc conciliatio in Gal. doctrina, quæ ſibi parum conſtans eſſe videtur, ex eo pendet, vt ſermo eius diuerſimodè intelligi debeat, nimirum vel de intemperie inſigni, vel de mediocri; quoniam ſi intemperies frigida intenſa admodum ſit, hæc poteſt alui ſiccitatem inducere hoc nomine, quia licet vitietur coctio, propter quam crudi fiunt humores, vitiatur tamen etiam virtus expultrix, & ob hoc aluus retinetur; quò reſpexit Gal. lib. 1. de tuen. ſanit. 13. Verum ſi intemperies non ſit vſque adeo inſigniter frigida, vt facultatem expultricem inteſtinorum lædat, fiet alui potius liquatio, quàm aſtrictio, iuxta aliam Gal. doctrinam 6. Epid. Attamen ego in te, ob naturam tuam ſicciorem, & ſcybala illa, quæ intentiores, & veluti adurentis caloris ſoboles ſunt, talem cauſam habere locum nunquam crediderim. Nunc in te alui torporem ſubſecutum eſt aliud mali gẽnus pueruli ſerè tantum, diuerſa C D

tamen

A tamen ratione, familiare, ani procidentia, a qua ſemper tempore excretionis fęcum miſere moleſtaris? An in te id non aliunde manat, quàm ex diutino, ac vehementi nixa atque conatu in duris, ſiccíſque alui recremẽtis extrudendis, cum nulla ibi ſubſit inflammatio, nulloque penitus mucoſo humore pars illa ſordeat? Veriſimile etenim ſit duos illos muſculos, qui per inteſtini longitudinem protenduntur, ad hoc fabrefactos a natura, vt anum, quando extra in eo nixu, quo fęces conamur extrudere, propellitur, ſurſum, & in propriam ſedem reuocent, nimium laxatos, ac propemodum reſolutos eſſe, non aliter ac accidit chordis in ſe ſe contractis, dum ex vtraque parte intenſe diſtenduntur? Alterum verò muſculum, cuius munus eſt adſtringendo claudere inteſtini extremitatem, arbitror ego illæſum perſiſtere, ſi ad libitum clauſam eam partem eo vſque ſeruas, quo

B tibi arriderit. Hinc propterea neſcio videre, qua ratione poſſit eiuſmodi ani procidentia ex arte curari, niſi prius alui ſegnities tollatur, & retorridarum fęcum excretio facilior a nobis reddatur, quia nimirum cauſa perſeuerante, nunquam diſparebit effectus. Sed cum difficilis excrementorum exitus à ſicca cauſa pendere dictum ſit, nulli dubium, quod niſi ijs, quæ humectando leniunt, euinci hic torpor minimè poterit, quibus ex altera parte verendum ſummoperè eſt, ne inteſtini prolapſus vel adaugeatur, vel ſaltem difficilius ſanetur. Aliqua nihilominus agenda eſt curatio, quam fortaſſe non parum adiuuabit mutatio ætatis, quę iã ad paracmaſticam deuenit, in qua laxior, & magis ſoluta ſolet eſſe aluus, quæ adſtricta in iuuentute fuerit, ex ſententia Hipp. li. 2. aphor. 2. Quamobrem

C tam aſſumptis, quàm admotis, inteſtinorum craſis ſicca ad contrariam qualitatem alteranda eſt. In quavis enim intemperie alterandi ad contrarium indicatio oritur Gal. teſte 7. meth. 3. aluuſque ipſa omni opera, & induſtria emolliri debet, quemadmodum inteſtini delabentis extremitas neruali fotu perfundenda eſt, & adſtrictorio puluere aſpergenda; roboratis, quantũ fieri ſolet, muſculis ipſis, vel inſeſſu, vel ſuffimigio, vel etiam fotu e ſimplicibus roborandi facultate præditis parato, illoque tempore, quo adhuc foras prominet inteſtinum, adminiſtrato. In primis ergo a medicamentis fortiter euacuantibus abſtinendum tibi eſſe iudico, pluribus nominibus, ſed eo in primis, quòd frequẽs eorum vſus aluũ reddit adſtrictiorem, ſaltem exſiccãdo, quod pariter de clyſteribus credendum

D eſt. Vnde ſolis benedictis vocatis, & quæ leniendo potius, quàm ſoluendo purgant, vti oportebit; nam & Gal. 5. de ſanit. tuen. cap. 9. enemata ex ſolo oleo ſecuriora, quàm ex acribus eſſe & ſanis, & infirmis affirmat. Vbi ſimiliter in ſiccioribus aloen timet, ideoque pillulæ illæ ex aloe, quæ hac in Prouincia frequentiſſimè vſurpantur, traiecta è Venetis conſuetudine, tibi nullomodo ex vſu eſſe poſſunt. In ordine itaque medicamentorum, ad quæ neceſſitate cogente tuto confugere poſſis, ſint manna, caſſia, mel, aut ſyrupus violaceus ſol. electuar. de ſebeſten ſimplex, & conſimilia, quæ etiam in mediocri ſumantur doſi, vt leniendo ſolum ventrem laxent, ſintque merè eccoprotica. Inter clyſteres, lac præſertim anni conſtitutione feruente, nulli alteri ſecundus ſit, qui ex lacte, oleo violaceo, & vitellis ouorum parari ſolet, quemadmodum & qui ex iure pingui, bu-

tyro,oleo,& modico ſaccharo rubeo. Potentior erit,ſi in prædicto iure bulliant A
anethum,malua,& bismalua. Quid ſi tempore hoc æſtiuo ſerum lactis optimè
depuratum diu large,& cum ſaccharo fino aſſumeres? A quo ſi timeres de ma-
iori ventriculi noxa, poſſes addere vel comam abſynthij, vel pauxillum cinna-
momi. Terebenthina hora ſomni, & a cęna oleæ magnitudine deuorata aluum
ſubducit,& eam Gal. loco iam adducto inter cętera,quæ tamquam non medica-
mentoſa dari cenſet, enumerat, eo quod non modo aluum ſoluere citra noxam
poteſt,ſed etiam viſcera quæque abſtergit;Maximè autem huic negotio accom-
modata ſunt, quæ potius ad rationem victus facere videntur. pruna probè matu
ra maiora,& molliora,qualia Hiſpana ſunt,ac Damaſcena.vt eſt apud Gal. 2. de
alimen. facult. Qui tamen etiam loco citato de ſanit.tuen. prunis Damaſcenis ad
aluum deijciendam Hiſpana longè præſtare aſſeuerat, quæ quidem Gal. ipſe ex
aqua mulſa vel elixanda,vel maceranda eſſe vult, illiſq; aſſumptis paullum mul- B
ſę ſuperbendum,quoniam vi ſua deterſoria ventrem mollire ſolet. Hodie tamen
coquuntur vel in iure,vel in vino albo,& dulci,in quo per noctem præmaduerit
ſena cum modico cynnamomo,& poſtea ante prandium,vel cęnam cum liquo-
re illo ſumuntur. Horarij fructus præſtant quod in votis, vti,præter pruna iam
dicta,ceraſa dulciora,melones,melopepones,vua,& ficus recentes,quemadmo-
dum & aridæ, quas *caricas* dicimus, ſi tamen præpingues ſint,& exterior cortex
detrahatur,& multo magis ſi modicum cnici more veterum illis adijciatur. Mo-
ra ante cibos alios deuorata lubricare ſolent;neque enim contra facit,quod Ve-
nuſinus vates cecinit:

ille ſalubres C
Æſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore ſolem.

Prandium ſiquidem Romanis inſtar ientaculi fuiſſe dicitur, vt præter mora ip-
ſa,valde pauca alia ingererent. Olera,quæ ventrem molliunt,multiplicia ſunt,
præſertim ſi ſale, & oleo condiantur,& in primis malua, lactuca,& braſſica mo-
dicè cocta: Vnde Martialis.

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis.

Priſſana in iure parata, addito ſaccharo, mire aluum ſoluit, & mirobolanus ali-
qua condita in multis idem præſtat. His non conferentibus,vnguentum Agrip-
pæ,vel de Arthanita maius ventri toto impoſitum fac experiaris, quemadmodũ D
præ cæteris omnibus ingreſſum in balneum aquæ dulcis, in qua malua, biſmal-
ua,violaria,&,ſi opus erit,etiam verue cum omenta præbullita ſint, quo balneo,
licet alicui non ſine ratione alterius affectus cauſa ſuſpectum videri poſſit,aluus
humectabitur,recrementa molliora fient,nec non hepatis,meſerçi,ac inteſtino-
rum adeo ſicca intemperies emendabitur, ante, & poſt balneum ventriculi re-
gione oleo de nuce muſchata inuncta. In ſumma cibaria quæque non tantum
euchyma ſint, ſed madefacientia, & propterea acetũ, quo tantopere oblectaris,
longe a tuis menſis arceatur,quia tibi vndequaque infeſtiſſimum eſt. Quoad or-
dinem in cibis aſſumẽdis,ſerua illum, quem Gal. celebrat,& liquida ſemper alijs
præ-

A præmittas, ſicca omnia, & adſtringentia vitando. Potus debet eſſe largior, hu-
mectationis gratia, ſed iſthæc vina Cęſennatia huic operi, & intentioni noſtræ
contraria penitus ſunt, & ideo eligantur minus vinoſa, vt humectent, non exſic-
cent, eaque alba, non nigra, quibus fęcundi laudantur crateres, quoniam Gal. 4.
Aph. cō. vltimo liberaliorem potū concedendū illis tradit, qui durioris ſupt aluí.
Certè quædam è Rauennatibus huic rei accommodata magis forent, oligopho-
ra; & non auſtera, de quibus quidem vinis mentionem faciendi cum oblata ſit
occaſio, miratus ſum aliquando qui Rauennatum Vineta illa, quæ a Pineto ſanè
pulcherrimo non longe diſtant, tam debile, & infirmum vinum producant, cum
in locis, quæ pinubus abundant, vites non aqueum, & auſterum, ſed maturum
potius, & ſuaue vinum progignant, auctore Plutarcho ſympoſ. 5. quæſt. 3. vbi
etiam ex Theophraſti mente ratio adducitur, dum terræ calori id totum ille at-
B tribuit. Vniuerſe enim pinus in argilloſis naſcitur locis; & argilla calida cum
ſit, excoctioni vuarum inſeruit; licet non me lateat a nonnullis Plutarchi locum
ita verti, vt de picea arbore, non pinu loquatur, fortaſſe quia pinus arbos eſt pi-
cei generis. An quia diuerſæ ſunt naturæ huiuſmodi loca in quibus & pineæ ar-
bores eminent, & vites gignuntur, & ſi non procul abſunt; nam copioſa humi-
ditate ſcatet vndique ſolū hoc præter quàm ad mare vbi abundat pinubus, iuxta
quam partem tantummodo arida, & argilloſa terra apparet; ſed hæc obiter &
cataparergon. Quid inſuper, ſi ad aerem humidiorem, vt ſub eo degas, te con-
ferres, qualis proximus Ferrarienſis, remotior autem Romanus exiſtit? Vigilias,
nimas, & ſingula quæuis animæ pathemata moleſtiora fac omnino vites, ſacræ
C non oblitus ſententiæ: *Spiritus triſtis exſiccat oſſa*. Somnum attentè quæras, cui
multum indulgeas, quia ad humectandum corpus totum eo nihil opportunius
excogitari poteſt. vitam ſine motu ſaltem vehementiori, & in maiori, qua pote-
ris, quiete degito. Denique venerem tanquam venenum effugito, quæ ſiccis
corporibus inimiciſſima eſt, & ijs maxime, qui vna ventris ſtypticitate laborant.
Dicebat enim Hipp. 6. Epid. *Mixtio ea, quæ in ventre ſunt, indurat*. Vnde forſitan
illud Ariſt. problema 18. ſect. 4. *Cur res venerea ventrem refrigerat, & ſiccat?*
cuius problematis tres addit rationes Philoſophus, vnam ſcilicet cur inde ven-
ter refrigeretur, cur verò exſiccetur duas; & cauſa quidem refrigerationis, mani-
feſtiſſima eſt caloris a corpore diſceſſio, quia in coitu ſemen excernitur prædi-
D tum calore, & ſpiritibus, quibus abeuntibus frigus inducitur, ſiccitatis autem
duæ aſſignantur cauſæ, quarum prima eſt, quia dum calor exit cum ſpiritibus,
exit etiam humidum, quoniam fit a Venere euaporatio, in qua ſimul vtraque
abſcedunt, prout legitur apud eundem Phyloſ. 5. de Gener. alium, dum ait:
Expreſſo calido, ſimul humidum expirat. Secunda verò cauſa ſiccitatis eſt calor
ipſe, qui in concubitu gignitur, ob motum, & agitationem, & a calore ſiccitatem
induci, atque foueri, nemo eſt, qui ignoret. Ex qua re factum etiam putant Me-
dici, vt morbis è pituita venus conferat. Cumque Ariſt. problema circa ventrē
verſetur, & noſter hoc in loco ſermo ſit pariter de morbo ventris ſicciori, ideo
huc libet afferre expoſitionem problematis a Ioannitio excogitatam, quæ ad

rem præſentem magis dilucidandam vtique facit, & eſt ſequens. *Coitus hoc præ-* A *ſtat corpori, deſiccat corpus, & minuit naturalem virtutem, ideoque infrigidat, multotiens verò ex multa concuſſione corpus calefit, propter quod coitus amplius ventrem infrigidat, & exſiccat alijs pactibus, aut quoniam circa ventrem maximè vel ſagimen recens, tenerrima, quæ propter motum, & fricationem factam in coitu, nata eſt eliquari, & diſſolui de facili, & meritò; quoniam motus, & frictio vehemens in coitu fit circa partes ventris; qua quidem diſſoluta venter redditur frigidus, & ſiccus, cum ipſa ſit calida, & humida, Et alia eſt cauſa, quoniam partes ventris ſunt circa loca primæ digeſtionis, & etiam ſecundæ, quæ maximè læduntur, & maximè loca primæ digeſtionis, vt ſtomachus in coitu, & per conſequens ſecundæ digeſtionis, quibus laſis corpus infrigidatur, & deſiccatur, & maximè venter; cum plus accipiat a digeſtionibus illis nutrimenti.* Et hæc de primo affectu, nunc ad alterum accedo, B quem ſcito per Gal. 9. catat. ideo difficulter ſanari, quia pars illa acutiſſimo eſt ſenſu prædita, ex quo fit, vt auſtera medicamenta, quæ conuenirent, maximè admittat; quia via eſt, per quam prodeunt excrementa, & illi met remedia vix poſſunt admoueri, & admota difficilius continentur. Quia tamen mali Medici eſt deſperare, ne curet, ideo cum neque inflammatio aliqua, neque mucoſa materia in cauſa ſit tuæ procidentiæ ani, vbi exierit, ad relapſum impediendum, foueatur prius decocto facto in aqua fabrorum, ſaluiæ, anthos, ſtœchadis, roſarum rubrarum, balauſtiorum, & ſimilium, vel, ſi mauelis, vino decoctionis tapſi barbati, plantaginis, centinodiæ, gallarum, & ſtatim a fotu tenuiſſimo polline reſpergatur ex corallio, maſtiche, myrtillis, & ſanguine draconis. Aetius laudat puluerem cochlearum vſtarum; propterea ad impediendum quo minus tam fa- C cilè exeat, accipiantur maſtiches, thuris, ladani an. ℥iij. fiat puluis craſſus pro ſufitu ani. Poteris etiam prædictæ decoctionis adſtringentis vaporem per cathedram perforatam excipere, nec non ex illis omnibus inſeſſum parare, facta in vino nigro ebullitione, cuius proiecti in lapidem molarem fumum ano ipſo excipito. Cucurbitulę in fine oſſis ſacri adhibitę, vtraque ex parte vna, tanquam manu releuant, continentque prolabens inteſtinum. Quę omnia, quantulacunque ſint, faxit Deus, vt tibi proſint. Datum Rauennę die 10. Iulij 1610.

QVÆSITVM PRIMARIVM IN SVSPICIONE VENENI D Ciui cuidam, ac Mercatori Veneto a filio propinati.

I.

An Vir ille ex oblato extrinſecus veneno, vel morbo veneſico obierit.

Quæſita Secundaria octo.

I.

Cur vera morbi ſpecies interdum vix cognoſcatur, & certa non detur exhibiti veneni cognitio.

Cur

A II.

Cur in cholerica paſſione tam grauia contingant accidentia.

III.

An quid ſimile veneno gigni poſſit intra nos.

IV.

An, & cur famem præter morem tolerantes in cardialgiam, & alia grauia ſymptomata incidant.

V.

An liuores, cor incrematum, & alia ſigna in ijs, qui veneno interempti putantur, obſeruata indicent venenum exhibitum.

VI.

B *Cur cadauera venenata à feris, & auibus non tententur.*

VII.

An venenum ad tempus detur, vt paſſim creditur, & à Theophraſto, Tacito, ac alijs ſcribitur.

VIII.

An, & quomodo diſcernantur venenati ab ijs, qui aliunde affecti ſunt.

Ad Iulium Cæſarem Lagallam in Romano Gymnaſio Philoſophiæ Profeſſorem celeberrimum.

C AMicitiæ noſtræ exordium Rauennæ primò fuit, dum ibi tu, Lagalla doctiſſime, in Aula Principis Illuſtriſſimi, & illius Vrbis Archiepiſcopi Petri Cardinalis Aldobrandini morabaris, ego verò Medicinam, quæ Clinice vocatur, ſub auſpicijs maximè fęlicis recordationis Bonifacij Cardinalis Caetani de latere Legati, omnique doctrinarum genere cumulatiſſimi, ære publico, & primario loco exercebam: Quam ob cauſam non rarò inter nos ſuper varijs ægris initæ fuerunt Conſultationes, ex quibus tuam in dicendo elegantiam, & rectam in medendo methodum facilè intellexi; Romæ deinceps robur, ac vim adepta eſt, vbi collegæ facti ſumus, & non ſemel quoque ad nobiles viros lecto decumbentes inuiſendos, & pro Arte iuuandos
D vna accerſiti fuimus. Tuæ in me beneuolentiæ ampliſſimum teſtimonium faciunt, quæ paſſim cum omnibus de me, & meis operibus encomia profers, quæ ſola tot amuſorum calumnias, atque æmulorum conuicia vndequaque redarguunt, & infringunt. Illa ſiquidem vera laus, quæ à viris laudatis, ac verè doctis proficiſcitur. Vt ergo & ipſe mutui amoris monumentum aliquod apud animum tuum, & poſteros pariter teſtatum relinquerem, tam bella, tamque opportuna ſeſe offerente occaſione, eam protinus arripiendam mihi eſſe duxi; & eſt, quia ſi memoria tenes, per id temporis, inter alia, quæ tibi percurrenda manuſcripta mea commentaria obtuli, Reſponſum quoddam fuit ad controuerſiá inter Medicos Romæ agitatam; *An vir præclarus ex propinato Veneno, aut ex morbo venefico obijſſet*; quod cum recorder tibi ſummopere placuiſſe, & quàm primum

mum in lucem promulgandum ſit, nulli alteri magis, quam tibi inſcribi debere ratus ſum, per quod & vetus noſtra neceſſitudo, & mutuus inter nos amor vnicuique pateant. Interim ſcias velim, opus tuum de *Immortalitate Animorum ad mentem Ariſt.* non a me ſolum, ſed & ab illis, qui alia tua opera iam deguſtarūt, maximo cum deſiderio expectari. Fac igitur typis quàm primum detur, & me ama. Datum Romæ die 8. Iulij 1619. A

QVod Hipp. 6. Epid. memoriæ mandauit *Nihil temerè affirmandum*, & poſt eum Iſocrates: *Non ſubitò, ac temerè pronunciandum*: fortaſſe quia, vt qui euidentibus diffidit inſenſatus, ita qui de dubijs promptè enunciat, temerarius exiſtimatur, in propinati veneni ſuſpicione dilucidanda, pro tanti ſceleris auctore adinueniendo, potiſſimum obſeruari a Medico oportere, operæpretium iudico. Ars enim coniecturalis eſt, ſignisque tantum probabilibus innititur, nō autem techmirijs; Vnde licet vna cognoſcendi morbi via, ſymptomatum contemplatio ſit, & in qualibet morbi eſſentia conſtituenda, & iudicio faciendo, ad accidentium ſyndromen confugiamus, hæc tamen etiam parum tuta eſt; Ideoque quod ex mente Philoſophi 7. metaph. dicitur: *Differentias multis communes, ſi iungantur ſimul, propriæ differentiæ vim poſſidere*, an locum in re medica habeat, adhuc liberè affirmare non auſim. Tanta ſi quidem inter ſymptomata reperitur plerumq; ſimilitudo, tantaque affinitas, vt ne per longum quidem tēporis curſum, ritè omnibus inter ſeſe collatis, propriam morbi ſpeciem dignoſcere valeamus. *Similium enim rerum diſſimilitudines, veluti diſſimilium ſimilitudines poſſe cognoſcere, non cuiuſuis artificis eſt*, quemadmodum Plato in ſophiſta, & poſt eum Ariſt. 7. top. prodidit. Cur? quoniam ab his, quæ inter ſe ſimilia ſunt prorſus eadem producuntur ſymptomata, ex quo prouenit in cognoſcendo difficultas. Patet id clariſſimè in colicis, & nephriticis doloribus, qui multa ſimilia habent inter ſe, & quædam diſſimilia, in quibus ideo Galenum vel in ſemetipſo claudicaſſe, ex illius ore conſtat; & euidens quoque eſt in ſoporoſis cerebri affectibus; qui adeo complicati ſunt, vt minimè poſſint, præterquam a peritiſſimis in arte, diſcerni; nec non in pectoris doloribus pleuriticum æmulantibus, vt ſileam de miro ſymptomatum conſenſu inter pleuritidem ipſam, & peripneumoniā, cum tamen Medici pleuriticorū notas pro demonſtratiuis habeant. Verum ne multis immorer, id totum maxime elucefcit in propoſita cōtrouerſia, in qua de præcipua occaſione, vnde primò ægrotare inceperit defunctus ambigitur. Eſt enim doctiſſimus, & ingenioſiſſimus Medicus, qui in extrinſecum venenum reijcit; ſunt, qui potius ad morbificas cauſas intrinſecus coaceruatas, & de repente vim ſuam exerentes referre malunt, initio motus facto ex cibo in quanto copioſiori, in quali calidiori, in ordine ſerius, quàm eidem cōſuetum eſſet, aſſumpto, veluti ex vino meraco ſecundiori calice hauſto. Quæ diuerſitas non aliunde prouenit, quàm ex accidentium ſimilitudine, quæ de mente Hipp. lib. non ita pridem adducto, etiam in arte verſatiſſimis perſæpè imponit. Quoniam autem lis hęc ſub iudice diutius relinquenda non eſt, & ſuum vnicuique ſenſum liberè proferendi

facultas

B C D

A facultas conceditur, ideo ipſe quoque, vt Illuſtriſſimi Principis, qui in me poteſt omnia, iuſſis, & præceptis paream, quid nam in tam ardua materia decernendum ſit, pro animi ſententia, quàm breuiſſime in apertum afferre ſtudebo. Suppoſita itaque facti ſpecie, & relatorum ſymptomatum (quæ tamen infra a me ſparſim recenſentur) huc tranſmiſſa hiſtoria, cauſam non video, ob quam adeo firmiter, & conſtanter a quopiam aſſeri poſſit, Virum iſtum, de quo controuertitur, ex propinato veneno magis quàm ex prauis, & virulentis humoribus eundem veneni in morem excruciantibus, hac vita defunctum; cum præſertim videamus Dioſcoridem, qui omnium ſimplicium medicamentorum, ac venenorum omnis generis acerrimus fuit inueſtigator, libro ſexto, qui totum venenis examinandis dicauit, in præfatione propinati veneni cognitionem haud haberi
B poſſe, apertiſsimè ſcribentem, idque non ſolum, quia pleraque venena eadem ſuſcitant ſymptomata, ſed quoniam pariter venenis quibuſcunque, & morbis multis communiter eadem contingunt accidentia; & ideo nos docet vehementia in hominibus interdum enata ſymptomata, non potius veneno, quàm alicui morbificæ cauſæ internæ attribuenda eſſe. Præterea ſi venena proprijs carent ſignis, quibus pateſiant, vtpote quæ communia ſint cum alijs morbis, & quod commune nullo modo proprium eſſe poteſt; quanta cum ratione de exhibito extrinſecus veneno tam libere poſsit affirmari, vnuſquiſque iudicet. Quam rem ſimiliter infra ex Gal. & alijs enarrabo diffuſius. Interim ſi cuncta, & ſingula diligenter expendantur, non obſcurè conſtabit è cholera potius, ac maligna
C febre illum interijſſe, quàm è cibis venenata ſubſtantia infectis. Quod quidem vt credam, multa me impellunt, & a rei natura deprompta, & ſummorum virorum teſtimonio fulcita, & experientia ipſa, quam Pindarus omnium mortalium certum iudicem nuncupat, comprobata. In primis enim perturbatio illa ventris cum dolore, atque eorum, quæ facultatem vellicabant, ſurſum, deorſumque excretione, cur non magis cholericam vocatam paſsionem, quàm per os exhibitum venenum ſignificabit? Audiamus Hipp. qui lib. 5. Epid. Athenienſem quendam hoc morbo laborantem ſic delineat, vt præ oculis habere videretur hunc, de quo in præſenti ſermo eſt. *Athenis virum cholera corripuit. Vomebat, deorſumque egerebat, & dolebat, & neque vomitus, neque per aluum*
D *ſeceſſus ſiſti poterat, & vox ipſum deſtituebat, & ex lecto moueri non poterat, & oculi caliginoſi, & caui erant, & conuulſiones tenebant ab aluo, & inteſtino, & ſingultus.* Quorum omnium accidentium concurſus ictu etiam oculi in viro illo apparuit, vt ſit veriſimile ex loquendi modo Hipp. qui incipit: *Athenis virum cholera corripuit.* An igitur propinatum illi venenum fuit? Accedit quòd eiuſmodi affectio noſtris tẽporibus frequentiſsimè cernitur, ob ingluuiẽ, & multiplicia in ſex rebus non naturalibus errata, in quibus deliquiſſe præſentem virũ, & litteræ teſtantur, & nobis argumẽto eſſe põt lis magni momẽti, quam pręmanib. habebat; cuius nimirũ occaſione aſsiduis intentus erat cogitationibus, quę ſpiritus, & calorem a concoquendi munere diſtrahunt; intempeſtiuè a cibo mouebatur, &

permoleſtæ aderant animi curæ; quibus concoctio perturbabatur, quæ & corporis,& animi quiete perficitur; qua vitiata,& corruptis in ventre alimentis,infinita mala, quæ aliquando ad venenatorum naturam proximè accedunt, cõfeſtim emergunt. Cruditas enim omnium morborum parens eſſe poteſt, vt patet ex Gal.8.Methodi 5.& 12.cap.3.& primo ad Glauc.14. nec non Auic.1. Can. Fen.3.Doctr.2.cap.3. Inter quos morbos choleram, dictam potiſſimum referendam eſſe,quotidiana demonſtrat experientia, in quo affectionis genere non ſecus, ac in laborantibus ex oblato veneno, pulſus, & per quam puſillus, & quaſi celerrimus apparet, ſpiratio, & motio quilibet impeditur, oculi caligine offunduntur, & concaui euadunt. Ad hæc extremorum adeſt frigiditas animi deliquium,conuulſio, fœtens anhelitus, ſitis inextinguibilis, anorexia, ſingultus, & cætera huius generis lethaliſſima accidentia. Quod ſi aliquis quærat,cur in cholerica paſſione detentis tot, ac tanta vigeant ſymptomata, facilis eſt reſponſio, quia in illis ſedes, & pars præcipuè affecta ventriculus eſt, exquiſitiſſimi ſenſus membrum, tum per ſe, tum propter neruos a ſexto pari, auctore Gal.3. de ſymptom. cauſis 2. Cuius membri propterea dolores quantumuis minimi cardialgiam, & ſyncopen vocatam ſtomachicam inferunt, tam ex acumine proprij ſenſus, præſertim ad os ſupernum, quàm corde ipſo compatiente; & ſi hoc leuiores faciunt dolores, quanto magis maximi, quales in cholerica paſſione ſentiuntur,in qua ſtomachus ſua mala omnia ſimul coniuncta experitur? Cui etiam idcirco hepar, cerebrum, cor, & vniuerſum corpus condolet, quoniam ſcilicet eo laborante tanquam patrefamilias, cætera in humano corpore bene valere impoſſibile eſt, adeo vt ſola eius ſegnities vaſorum faciat impuritatem, cerebri conſumptionem, ac totius corporis inſignem confuſionem, ita ſcribente Hipp. 6.Epid. Hinc Fern.lib.6.de part.morb.& ſymp. Choleræ cauſam aſſignans, ita loquitur. *Huius itaque cauſa bilis eſt, quæ tempore, vel in ſuo folliculo, vel in iecore, vel in liene, vel circum pancreas, vel circum inteſtina, ſtomachumque cumulatur, quumque ſupra modum aucta naturæ grauis & infenſa eſſe cœperit, huc illucque impellitur, ac defluit vt etiam ea perculſi toxicum ſe bibiſſe putent.* Hæc autem cum ita ſe habeant, Qua de cauſa a veneno potius oblato enarrata ſymptomata in viro defuncto inſurrexiſse credendum? Inſuper quæ acceſſit febris, duplicis tertianæ naturam præſeferens,ex qua Patiens decima quarta die a prima inuaſione obijt,malignæ, ac venenatæ qualitatis fuiſſe dicitur,ſcimuſque tam per Ariſtot. quàm per Hipp. febres,quæ in hyeme fiunt,peſſimas eſſe,in corporibus præſertim calidioribus, vt mirum nemini eſſe debeat, ſi febris ipſa illius fuerit naturæ,cuius ſolent obſeruari a nobis quæ tempore potiſſimum autumni paſſim vagantur, in quibus vel a primo inſultu cernũtur alui fluor tenuis, & bilioſus,imo & nonnunquam ſinthecticus, phrenitis, æſtuatio in intimis,extremorum frigiditas, repentina macies, ephidroſis, cordiſque morſus, cum ſubita virium omnium proſtratione. Pendent verò cuncta hæc è prauorum ſuccorum copia intus collecta, & ad putredinem non vulgarem in obſtructis locis redacta.

Non

A Non ergo extrinſeci veneni, & clandeſtinè exhibiti ſymptomata oſcitanter ſunt pronuncianda, niſi medicus, qui ſecus ſcribit, rem prout ſe habuerit, aliunde quàm ex medicis fundamentis dignouerit, vt cōtigit mihi olim Venetijs, vbi mercator quidam propriæ vxori, cuius pudicitiam ſuſpectam habebat, mortem parauit, infuſo clam arſenico iuri paruæ pullæ, in quo cichoracea bulliebant, & quo ad iecur contemperandum, & calidiores humores præparandos per plures ante dies mulier citra illum incommodum vſa fuerat. De repente enim mane ſtatim ab aſſumpto iuſculo in minima portione, eo quod ſalſiſſimum fuiſſe diceret, in vomitum ſanguinis incidit, cum alui & veſicæ excretione cruenta, ventris torminibus vehementiſſimis, animi deliquio frequentiſſimo, pulſu quam minimo, & quàm celerrimo, ſudatiuncula frigida, vnguibus nigreſcentibus, &
B alijs; per quæ ſumma cum ratione viſum mihi tunc fuit, viro ipſi liberè dicere, vxori eius venenum propinatum fuiſſe; quod ille cum non negauerit, addens quoque veneni ſpeciem, dubitatio in certitudinem verſa eſt. Vnde alijs medicis, qui ad conſilium vocati fuere, de quorum numero fuit Curtius Marinellus familiaris meus, & medicus vndequaque doctiſsimus, ne ambigerent, & incerti eſſent, ob accidētium ſimilitudinem, rem omnem, prout audiueram, aperui. Alioqui enim & ipſi, quemadmodum cæteri omnes etiam in Arte verſatiſsimi, de interno morbo magis, quàm de extrinſecus oblato veneno coniecturam inijſſent, quando ex internis quoque cauſis ſimilia proueniunt, prauo aliquo humore deleteriam qualitatem adepto; Cuius rude principium ſenſim in nobis incipit,
C tempore, quo integra adhuc valetudine fruimur; & cui primò inſurgenti obuiam fit calor etiam num validus. Qui quidem malignus humor progrediente tempore vim maiorem adeptus, indieſque magis inualeſcens, ictu poſtmodum oculi principes adoritur partes, in quibus morbos ſæuiſsimos nobis perſæpe incognitos excitat, ita vt vel in re medica præſtantes, ne dum vulgares homines, & mulierculas eo deducat, vt de veneno forinſecus adminiſtrato opinionem ineant, quemadmodum in viro præſente videre facile eſt. Quorum omnium veritas magis, magiſque eluceſcit per doctrinam Gal. 3. Epid. lect. 3. in hiſtoria cuiuſdam phrenitici quarta die defuncti, & lib. 6. de loc. affect. cap. 5. Vnde conſtat perperam exiſtimare Medicos quoſdam, exiguum ſuccum in vna parte contentum, tantorum ſymptomatum non poſſe eſſe cauſam, neſcientes mo-
D dum, quo in bene valentibus coaceruari humor poſsit tantæ prauitatis, tantæque malitiei, vt veneno æquipollens ſit, ac ſimiles ex improuiſo producat effectus; quod totum Gal. exemplo eorum, qui aut à phalangijs, aut ſcorpionibus, aut rabido cane commorſi ſunt, pluribus edocet, apud quem ſimiliter cit. lib. de loc. affect. cum de hyſtericis, ac vterinis ſymptomatibus verba facit, legere vnicuique licet, ex putrefactione ſuccos quoſdam generari, venenis, quæ extrinſecus dantur interdum bibenda, vndequaque ſimiles, a quibus eadem in nobis fieri ſymptomata ſolent, quæ a venenis. Nec eſt, quod aliquis obijciat Gal. eo in loco de aliorum mente fuiſſe locutum, quia niſi & ipſe eandem habuiſſet ſententiam, hanc omnino damnaſſet, vt facere ipſi mos

eſt, præterquam quòd loco Epid. cit. & 6. eiuſdem operis com. 6. nec non in lib. de cib. boni, & mali ſucci cap. 1. clariſſimè fatetur, ex varijs erratis, præſertim verò ex cacochymo victu noſtro in corpore gigni poſſe rem veneno ſimilem. *Humor*, inquit, *vitioſus ex prauis cibis collectus, diu in venis latet, qui temporis progreſſu peſtiferas febres gignit*. Ita legimus lib. de ther. ad Pamphil. theriacam ipſam dari ijs, qui ab occulta cauſa laborant, & quorum in corpore veneno ſimilis corruptio adeſt; & 7. de ſimpl. medic. ſcribit idem Gal. cinnamomum emendare omnes qualitates veneficas, & lethales, tam humorum internorum, quàm externorum pharmacorum. Videndus inter alios Cardanus lib. 1. cap. 5. de Menen. Quapropter inter neotericos alios Ardoynus Piſaurenſis lib. 1. cap. 4. de venen. probe admonet Medicum, ne in controuerſia de veneno cuipiam ab altero propinato, feſtinanter, ac temerè ſuam mentem aperiat, quando in corpore generantur humores, qui ex putrilagine, & corruptione inſigni ad veneni naturam conuertuntur; a quibus accidentia penitus ſimilia ijs, quæ ab aſſumpto veneno, inducuntur. Quin etiam huiuſmodi internum venenum cumulari potiſſimum ſolet in corporibus, quæ calida valde ſunt, & humida, quod ratio, & obſeruatio monſtrant, & Gal. ſexcentis in locis inculcat, præſertim ſi ad bilioſam etiam naturam, iecinoris feruidioris gratia, vergant. Hoc ipſo temperamēto præditum fuiſſe virum defunctum, præter litterarum teſtimonium, & ego aſſeueranter affirmo; erat enim mihi de facie notus, nouique ipſum ſemper viuidioris ingenij, & ad quælibet peragenda negotia promptioris, quamuis pleni habitus, corporiſq; craſſi, vt quodammodo etiam ad illos referri poſſet, de quibus Hipp. lib. 2. aphor. *Qui obeſo ſunt corpore citius intereunt, quàm qui graciles*. Fruſtra autem hucuſque, & non è voto ſuſpicionem veneni perſuadere nobis conatus eſt Medicus alterius ſententiæ, nonnullis rationibus, & potiſsimū quia P. ipſe alioqui ſanus, nulla præeunte mala corporis diſpoſitione, ſtatim a cibo in dolores peracerbos, & perturbationē ventris cum vomitu, & deiectionibus crudis, & liquidis de repente incidit; ex hoc inferens eidē viro ab inſidiantibus clam veneno paratis cibarijs violentam mortem fuiſſe procuratam; ratio ſanè haud infirma, quam & Gal. 6. de loc affect. 5. & Aetius lib. 13. c. 47. magni fecerunt; Verumtamen quis è medentibus eſt, cui frequentiſsime non offerantur qui in media ſanitate, & nihil tale cogitantes a morbis, & illis maximè, qui non ex vulgari, ſed deleteria internorum ſuccorum corruptione enaſcuntur, ex templo, ac veluti è vibrante iaculo, vt de bubone peſtilēte dicebat Hollerius in lib. de Peſte, arripiantur? Ego ſanè, cum per alia anni tempora, tum præcipuè per æſtatem, & autumnum tam Venetijs olim, quàm Rauennæ præterito anno, nō paucos me inuiſiſſe recordor, qui aliàs ſaniſsimi ſtatim a prandio vel cœna in acutiſſimos, & lethales morbos inciderunt, cū iiſdemmet ſymptomatibus, quæ defuncto contigiſſe dicuntur. Inter cæteros occurrit mihi nunc Ranutius Plazza Ioachini Thomai Medici olim in vrbe celebris gener, eiuſdem cū eo, de quo diſputatur, ætatis, tēperamenti, & habitus corporis, qui ēt ex animi curis propter litem, ex concitatiori motu, & largiori vini meraci Ceſennatēſis potu, in morbū lapſus

A lapſus eſt, quem choleram appellamus, vna cum male morigerata febre, a qua
decima ſeptima die enecatus eſt. Huic pulſus erant quàm celerrimi, & æquales
admodum, & prælanguidi, vrinæ probæ, quales in ſimplici diaria, calor exter-
narum partium valde mitis, & blandus, in intimis tamen multum ingens, ac exu
rens, iuxta illud Hipp. 2. de morb. *Febris foris ad contactum lenis, intus autem for-
tis*; dolor acerbiſſimus, paullo ſub hepatis regione, ventrem verſus, qui dolor
hora potiſſimum exacerbationis febris (nam & hæc quotidie inualeſcebat) cũ
indicibili inquietudine, ac variorum bilioſorum humorum ſupra, & infra deie-
ctione exaſperabatur. Attamen quòd hic ex veneno oblato vitam cum morte
commutauerit, nulla vnquam prorſus ſuſpicio fuit, ſed ex venenatis omnino
humoribus intra vaſa, & circumcirca iecur ſtabulantibus, quorum generationis
B cauſa non niſi per longum tempus aceruatur, ſed effectus repẽte inſurgere poſ-
ſunt, ſecundum illud Hipp. lib. 1. de Diæta, *Non enim de repente morbi hominibus
accedunt, ſed paulatim collecti aceruatim apparent*. Colligo præterea ex tranſmiſſa
hiſtoria virò illi vomitum fuiſſe conſuetum, qui quidem partim ex ſenſu ventri-
culi exactiori, vt iam dictum eſt, partim verò etiam ex bilioſi humoris ad mem-
brum illud ex hepàte confluxu gigni potuit, a quo pariter ſymptomate vexaba-
tur magis tempore, quo ieiunium ferre diutius cogebatur, cum præſertim hel-
luo, ſeu vorax eſſet. Dum enim præter conſuetudinem toleratur fames, prauis,
& ichoroſis ſuccis repletur ventriculus, & maxime hyemis tẽpore, quo ventres
calidiſſimi cum ſint, nòn modò abundantius ſed citius etiam ſaturari optant. Ita
C præſenti viro contigiſſe veriſimile fit, dum media in hyeme, propter curiæ, li-
tiſque moleſtias, cibandi tempus longius, quàm illi moris eſſet, diſtuliſſe ſcribi-
tur. Ex hoc enim magnus ad ventriculum acrium, & bilioſorum humorum af-
fluxus, quorum etiam feruor impensè adauctus fuit ex animi pathematibus, cor
poris motu inordinato, ac vehementi cibarijs aridioribus, & aromatibus condi-
tis, vinoque generoſo abundè, & celeriter ingeſtis. Poſt quæ, ciborũ corruptela,
ventriculi, ac inteſtinorum lancinatio, dolores, vomitus, deiectio, & reliqua al-
lata ſymptomata ex euidenti cauſa inſurrexere. Sic apud Hipp. 5. Epid. legitur
Bianti pugili, cum natura vorax eſſet, eueniſſe, vt in cholericas affectiones dela-
beretur, ex carnis eſu; & apud eundem Hipp. 2. de Diæta habemus eos, qui non
D prandent cardialgia interdum tentari; cuius rei cauſam ſi quærat aliquis, hãc pe-
tat ab ipſo Hipp. 4. de morb. vbi ſcribit, *Ventriculum velut theſaurarium quen-
dam diſpenſare toti corpori cibum, & vbi vacuus eſt, tanquam creditorem quendam
a toto corpore repetere*. In attractione ſiquidem, quam ventriculus vacuus a toto
facit corpore, præſertim natura bilioſo promptè bilis mouetur, & cũ ſuperiora
petat, os ventriculi ferit, ac vellicat. Quid ſi etiã dicamus cum Ariſt. 1 5. prob. 7.
in quo rationem quærit, propter quam ieiunantium ora malè olent, aerem in
vacuo ventriculo contentum ob motum incaleſcere, & calfactum humores in
ventriculo ipſo ſtabulantes putrefacere, ab illiſque putrefactis non cardialgiam
ſolum, ſed infinita etiam alia mala, vt in venenatis prouenire? His omni-
bus addatur, in viro defuncto dolores illos ventris non admodum ſæuos, &

atroces fuiſſe,cum,vt refertur,iiſdem vigentibus extra domum ad conſueta munia obeunda exiret, qui ſi a veneno orti fuiſſent, aſſiduè magis, & acerbius eundem afflixiſſent non per vices, & ſtata illa hora,qua febris quotidie mouebatur. Concedet forſitan, qui contrariam tuetur opinionem, cuncta hæc ab internis. cauſis iam expoſitis immediatè prouenire,ſed eo tantum modo,quo dicimus extrinſecus accedentes cauſas intus deliteſcentes promouere;ſicque venenum veluti procatarcticam fuiſſe cauſam, qui internus morborum apparatus ad actum deductus fuit. Mehercle non prudentis eſt (aut ego toto Cęlo aberro)in re tanti momenti diuinatione vti, nec ad Medicum, qui pro veneni auctore inueniendo conſilium prębet,vlla ratione ſpectant inditia quædam infida,& a corpore longè ſemota,ſed ad iudices tantum,quos etiam video magnam fidem præſtare notis nonnullis, quæ in veneno interemptis obſeruari ſolent,vt puta vnguium nigredini (inſidiatur enim perpetuò venenum cordi, & vngues ex euaporationibus a corde gignuntur) atque maculis liueſcentibus per totum corpus diffuſis, cum tamen & hæc in morbis malignis,& venenatis ab interna materia ſubortis quotidie appareant. Vnde Hipp. pleuriticorum meminit in coac. prænot. & lib. de rat. vict. in acut. quos veteres ſydere ictos eſſe putabāt, ob hoc maximè quòd mortuis pleuriticis latus liuidum inſit, vt quid ſimile plagæ cernatur. Cuius rei veritas Medicinam facientibus abundè patet, & clarè etiam colligitur ex peſtilentia Thucydidis,& lib. Epid. coac.& Prognoſt. Hippocratis. Verum quid hic de ſigno è corde ſumpto, de quo Suetonius in Caligula a principio, vbi de Germanici obitu loquitur? *Antiochiæ obijt, non ſine veneni ſuſpicione; nam præter liuores, qui toto corpore erant, & ſpumas, quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter oſſa incorruptum repertum eſt, cuius ea natura exiſtimatur, vt tinctum veneno igne confici nequeat.* Et Plinius de corde ipſo lib. 11. cap. 37. ita ſcribit: *Negatur cremari poſſe in ijs, qui cardiaco morbo obierint, negatur, & veneno interemptis. Certè extat oratio Vitelli qua reum Piſonem eius ſceleris coarguit, hoc vſus argumento, palamque teſtatus, non potuiſſe ob venenum cor Germanici Cæſaris cremari. Contra genere morbi defenſus eſt Piſo.* Scio equidem non deeſſe, qui huiuſmodi ſignum tanquam fabuloſum iudicari, ſed ex altera parte vix adduci poſſum vt credam Suetoniū, & Plinium ita pro certo poſuiſſe, niſi aliqua præceſſiſſet experientia, quæ ſola poteſt hanc ipſam ſoluere controuerſiam. Atqui ſi verum eſt, ratio afferri poſſet deprompta ex Auic. cap. de ven. & de viribus cordis, quia nimirum cor in venenis impenſe admodum congelatur, & exſiccatur. Quicquid verò hac de re ſit, & dato etiam eſſe veriſſimum; non minus ab intrinſeco, quam ab extrinſeco veneno cordi poſſe contingere dixerim, qua ratione defenſum fuiſſe Piſonem cōſtat. Quid ſi dixerimus etiam, in veneno interemptis poſt mortem nullum ex prædictis indicijs conſpici? Sic in Alexandro Magno, & Cleopatra eueniſſe dicunt, in quorum corporibus etiam ſi veneno obijſſe conſtaret, nullum penitus veneni indicium, aut ſignum extitit. Sic apud Tacitum li. 3. Annal. in Martina veneficijs famoſa ſubita morte Brunduſij extincta, veneno nodo crinium eius occultato, nulla in corpore ſigna ſumpti exitij reperta. Signum corporis

veneno

A veneno interempti certiſſimum habet Plinius lib. 2.cap.63.& eſt,quod ſi exponantur ſub dio cadauera veneno interfecta,neque a feris,neque ab auibus tentantur;cuius ratione afferunt Viri in Arte peritiſſimi,quia venena ſiue calida, ſiue frigida congelant, & exiccant dulcem illam corporum humiditatem, quã feræ delectatæ ſolent cadauera perſequi, aut etiam quia ab huiuſmodi cadaueribus praui,& inſuaues expirant halitus,qui a feris perſentiti, earum fugæ cauſa ſunt. Sed hoc etiam dato,attamen neque per huiuſmodi ſignum aſtrui poſſe videtur venenum fuiſſe extrinſecus oblatum, quia ſcilicet illæmet rationes militabunt pro cadaueribus, quæ peſtilenti morbo ex prauorum humorum corruptela defuncta fuerint. Non ſolum autem, ex veneno Virum præſentem perijſſe,contendit Medicus alter,ſed ex veneno temporaneo,ſeu ad certum,determinatumque tempus parato; dicens per menſem, & vlterius defunctũ ægrotaſſe.
B Vnde hoc in loco prius quærendum eſſe videtur, an tale venenum re vera confici poſſit;res enim controuerſa eſt, nec ita ad vnguem diſcuſſa. Ex vna parte ſunt,qui exiſtimant dari poſſe venenum,quod vim ſuam modò longiori, modò breuiori tempore præfixo exerat. Ideo Theophraſtrum citant lib. 9. de hiſtor. Plant cap.15.& 16. qui teſtatur apud ſcythas quaſdam radices morti feras reperiri,quarum aliæ confeſtim,vbi fuerint guſtatæ,aliæ poſt interimunt, & harum alias celerius,alias tardius,ita vt nonnullos lenta quadam, & quaſi latenter ſequente labe conſumere poſſint. Et de Aconito ibi loquens Theophraſtus ita ſcribit. *Tradunt quoſdam Medicos componere ita, vt per tempora ſtata interimat, vt duorum menſium, trium, ſex ſpatio, per annum, nonnullos vero etiam per duos annos.* Quod
C confirmauit Hermolaus Barbarus lib.4.Corol.in Dioſc.cap.691.ſic & Amatus Luſitanus in Centuria 6.curat.88.affirmat Turcas,& Indos,qui venena ſcitè cõponunt,venena ipſa ad terminatum tempus tanto cum aſtu concinnare,vt rarò ſuis fruſtrentur votis.Cornelius Tacitus lib.4. Annaliũ de veneno a Seiano Bruto per Lygdum Spadonem dato verba faciens, talia adinueniri, & parari poſſe venena ſignificat,dum ait: *Igitur Seianus maturandum ratus, diligit venenum, quo paulatim inrepente, fortuitus morbus adſimularetur,* & li. 12. de Claudio, & Agrippina loquens. *In tanta,* inquit, *mole curarum Claudius ualetudine aduerſa corripitur, refouendiſque viribus mollitie cœli, & ſalubritate aquarum Sinueſſam pergit. Tum*
D *Aggrippina ſceleris olim certa, & oblatæ occaſionis propera, nec miniſtrorum egens, de genere veneni conſultauit, ne repentino, & præcipiti facinus proderetur. Si lentum, & tabidum dilegiſſet, ne admotus ſupremis Claudius, & dolo intellecto, ad amorem filij rediret. Exquiſitum aliquid placebat, quod turbaret mentem, & mortem differret.* Idẽ ſcriptor hoc in loco meminit veneficæ mulieris nomine Locuſtæ, de qua pariter loquitur infra lib. 13.quæ cum iuſta Neronis venenum Britannico rapidum pararet,qua Nero tam lenti ſceleris erat impatiens,vt celerius operaretur,illud magis decoxit. Ex qua re manifeſtè elicimus,inter alias cauſas,ob quas venena citò interimunt,potiſſimum eſſe modum componendi. Ita legitur apud A.Gellium Attilium Regulum, cum miſſus eſſet Romam a Carthaginenſibus,vt pacem componeret,dixiſſe illis,ſibi met fuiſſe exhibitum a Carthaginenſibus venenum,

uenum,quod eum determinato tempore interimeret. Cui quidem opinioni vi- A
detur etiam fauere Auicen.6.4.Doctr.1.cap.2.vbi ait,*putrifacientia venena in tē-*
pore occidere; & Philo Iudæus lib.de ſpecial.leg.dicens. *Eadem pęna manet eos,qui*
non lethifera venena conficiunt,ſed longos morbos,& tabem lentam inferentia. Nam
ſæpe ſatius eſt emori, quam ægrotare præſertim diuturno morbo, non habituro fęlicem
exitum. Ex altera parte vix probari,aut perſuaderi cuique ingenioſo poteſt, tan
ta dexteritate tantoque aſtu confici poſſe venena,quæ ſtato,ac determinato tē
pore,vt,vel decima,vel vigeſima die,vel vnius,aut vnius,& alterius menſis ſpa-
tio enecent.Quandoquidem hoc ſcimus cuicunque veneno inditum,ſi debet oc
cidere,vt contineat vim,& cordi inimicam, & naturæ humanæ corruptricem,
quæ vis in ſignis eſt, ideoque vbi intra corpus viget, aut ſtatim nocebit, aut ita
frangetur,vt in poſterum quoque necare minime valeat. Præterea cui non cla-
re conſtat,actiones,quæ tempore certo præfiniũtur,prouenire a facultate,quæ B
cum diſcurſu,& iudicio operatur? Agere enim in hoc magis,quam in illo tem-
pore, eſt opus facultatis deliberantis; ſed in venenis quis dixerit talem reperiri
poſſe facultatem? Tandem vis hæc non reperitur in medicamentis purganti-
bus,vt quotidie experimur,cum tamen eorum facultas non ſit adeo vehemens,
& ferina,vt venenorum. Et idcirco concludens exiſtimo & ego,vix poſſe fieri,
vt ſtato quodam,& præfixo tempore venena operentur. Illud ſanè verum eſſe
crediderim,parari poſſe venenum,quod aut celerius,aut tardius vim ſuam pro-
palet,& exerat,non aliter ac videmus venenum canis rabidi aliquando ſtatim
interficere,aliquando ſerius,& aliquando tardiſſime; & propterea exiſtimaue-
rim ſcriptores omnes, qui contra ſentire videntur, vel ſecundum vulgi ſenten- C
tiam fuiſſe locutos,vel definitum tempus pro indefinito poſuiſſe,& Auicen.dũ
tradit putrefacientia venena in tempore interimere, non certum temporis ſpa-
tium nobis innuere voluiſſe,ſed *in tempore* dixiſſe,hoc eſt,non ſtatim, non dere-
pente.Quamobrem frigidum ne fuerit,an calidum,& a tota,quam vocant, ſub-
ſtantia perimens venenum, de quo agitur, non eſt cur hic longius perueſtige-
tur,vbi mirum certè eſt, quomodo ſtatuatur venenum temporaneum fuiſse, &
per viginti dies abſque magna noxa in corpore latitaſse, cum ex alia parte aſse-
ratur,de repente a cibo grauiſſima inuexiſse ſymptomata iam relata, quod effi-
cere maximè ſolent venena calida qualitate agentia,non quæ ad certum, & lon
gum tempus præparari ſolita ſunt,quæ,ſi dãtur,nõ niſi lente, ac ſenſim ſuas vi- D
res produnt. Argumentum denique a curatione præſtita deſumptum, ex vene-
no ſcilicet obijſse,quia Medici illum curantes ad alexipharmaca illa confugere,
quibus venena expugnantur,nimirum bezaartica dicta, & magnas anthitodos
theriacem,mithridatium, & diaiacynthum,nihil penitus concludit,quoniam vt
in communione accidentium venenum extrinſecum ab intrinſecus genito neu-
tiquam diſcrepat, ita in vtriuſque inſtituenda curatione Medici communia re-
media imperant,per quæ tam venena ipſa, quam venenati morbi debellantur.
Quæ omnia apud rei Medicæ peritos adeo clara ſunt, & manifeſta, vt longiori
ſermone,quàm opus eſset,comprobata eſse videantur; ſi tamen etiam coroni-
dis loco

A dis loco addiderò, ſimilem controuerſiam Romæ olim, Galeni tempore, inter Medicos fuiſſe agitatam, quoniam Gal. ipſe teſtatur 6. de loc. aff. 5. hanc ſuo tempore vagari ſolere quæſtionem: *Vtrum propriæ ſint notæ veneni, nec ne*; concludens, eos, qui de hac ipſa quæſtione melius diſputabant, concedere eoſdem fieri affectus & a lethalis veneni potione, & à corruptione, quæ è corpore ortum habet; atque eos quidem, qui venenum ſumpſerunt, diſcerni ab ijs, qui aliunde affecti ſunt, quia ſi homo ſuapte natura probis abundans humoribus, & ſanorum in morem nutritus, de repente moritur, vt lethali hauſto veneno fieri ſolet, deinde corpus aut liuens, aut nigricans, aut varium eſt, aut diffluens, aut præ marcore fœdum, moleſtumque reddit odorem, hic venenum omnino ſumpſit. Concluſio igitur hæc eſto: *Cum certa clam propinati veneni cognitio non detur, haud*
B *quaquam poſſe ex relatis aſſeuerari, præſentem virum è cibis clam indito veneno paratis obijſſe, ſed potius, vt frequenter in alijs medendo obſeruamus, ex venenato morbo, ſeu cholera, & praua, ac deleteria febre.* Datum Rauennæ die 8. Nou. 1610.

QVÆSITA PRIMARIA SEX IN NOBILISS. VIRO Florentino dolore interpolato, ſed peracerbo ad mediam dextri femoris regionem corripi ſolito, cuius tam curatio, quàm præſeruatio traditur.

C I.

An præſens dolor ad verè coxendicum dolorem reduci poſſit.

II.

An ab intemperie ſola, vel ſola potius continui ſolutione fiat.

III.

An Nobiliſſ. Vir caput habeat frigidum, & iecur ſiccum, vt quidam è Medicis volunt.

IV.

An, & cur puluis quidam alterans vna, & deiectorius dolorem adaugere potuerit.

D V.

An, & cur inciſio venæ poplitis, & ad malleolum facienda minimè ſit.

VI.

An, & cur cauterium vocatum ab affecto crure ſit quàm primum remouendum.

Quæſita Secundaria Sex.

I.

Quamobrem hic dolor, vt articulares, per interualla recurrat.

II.

Cur diuites, & ſplendidæ perſonæ deterius curentur, quàm pauperes, & infimæ.

Cur

III. A

Cur iam dictis pulvis noſtro in caſu locum habere potuerit.

IV.

Cur ſolis aſtringentibus perperam dicat Fuchſius curari debere dyſenteriam.

V.

Cur, & quomodo Gal. una die iſchiadas ſanaret.

VI.

Cur in iſchiade inueterata fonticulus in affecto crure conueniat.

Ad eruditiſsimos viros Hieronymum Fabritium ab Aquapendente, Euſtachium Rudium, & Io. Thomam Minadoum in Patauino Gymnaſio Medicinæ Doctores celeberrimos. B

ABundè ſatis Medici Clariſſimi de ſymptomate, a quo iam pridem vir perilluſtris afficitur, ſuis in literis peregerunt, vt hoc ſolum nomine mihi ferè omnis ſcribendi occaſio ſublata videri poſſet; Vnde ſiluiſſem libenter, niſi contrarium iuſſiſſet Princeps Illuſtriſſimus, cui abſque indelebili parum grati animi nota reluctari haud quamquam poſſum; Et niſi etiam in quibuſdam tam ad eſſentiam, quam ad curationẽ morbi attinentibus, cum alijs Medicis non ita mihi conueniret. Quamobrem vt vobis in primis, Medicinæ Coryphæi, ad quos hæ meæ literæ peruenient, res omnis magis magiſque innoteſcat, & vt facilius quoque quod contrauertitur, conciliare, ac radicitus auuerruncare valeatis, meam, qualiſcumque ſit, ſententiam ſcriptis mandare nunc primùm ad hunc modum incipio. Quæritur Nobiliſs. patiens de dolore, qui mediam coxam dextri lateris occupat, & viginti ſunt anni, quibus per vices, ac interualla quædam olimque noctu potius, quam interdiu, hodie verò vtroq; tempore æqualiter talem patitur dolorem, qui cum magnopere intenditur, vniuerſum femur ab inguine ad genu ita diuexat, vt crus totum ducat in conſenſum, motum progreſſiuum deprauet, & patiens ipſe, ſi non claudicare, ſaltem male affectum crus ineundo celerius mouere cogatur. In hoc igitur Quæſitum primò eſt: An huiuſmodi dolor ad iſchiadicum, ſeu coxendicum propriè appellatum redigi poſſit. Profecto & ſitus, & qualitas doloris apertè indicant, præſentem dolorem minimè eſſe iſchiadicum vocatum. Quoniam ſedes eius non eſt, vbi dolor iſchiadicus excitatur. Iſchion enim eſt ligamentum, quo femur coxendici alligatur, in qua compage, ſeu articulatione collectus humor iſchiadicos gignit cruciatus, quibus afflicti, & coxarij, & iſchiadici nuncupantur: præterea in iſchiadico dolore torpor fit ægris in ſedendo, difficultas in iacendo, & vbi malum diu perſeuerat, & robur adquirit, coxa non ſolum emaciatur, ſed etiam valde breuior efficitur. Accedit quòd lotium in ijs ſupprimi ſolet, ac in eo emittendo magnam percipi ab illis moleſtiam experimento non raro comprobatum habemus. Quæ cuncta longe abſunt a Viro nobiliſs. etiam ſi a tot annis obnoxius eſt dolori huic, qui cum non in profundo illo articulo, quo

C

D

caput

A caput oſſis femoris in coxendicum inſeritur, ſed in media tantũ coxa ſentiatur,
ad iam dictum dolorem referri nullatenus poteſt,& licet aliquoties ad inguem,
& ad genu vſque diffundatur,nunquam tamen ad poplitem, & imum crus per-
tingit, vt de iſchiadico tradit Gal. in Med. defin. A qualitate doloris confirma-
tur etiam mea ſententia,quia præſens dolor, quamuis aliquoties valde acer, &
vehemens exiſtat,nihilominus haud eſt adeo ſæuus,& ingens, ac ſcimus eſſe ve-
rè coxendicum, qui non alia de cauſa cruciatus parit acerrimos, niſi quia colle-
ctus illa in compage humor circumſitas neruoſas partes omnes explendo diſtē-
dit,non tantum perioſteon, & caput muſculi,vt putat Aurelianus. Eſt autem
dolor hic ſymptoma in genere actionis tactoriæ deprauatæ, medium femur ma-
xime afficiens, quod ſanè ab eodem principio, ſeu ab eadem promanat cauſa, a
B qua & reliqui dolores plerumque efficiuntur, nimirum a continui vocata ſolu-
tione. Quod verò ab alijs additur de mala quoque intemperie, quæri,ac dubita-
ri poteſt, vtrum cum ratione prolatum ſit. Nam dolor hic, vt frequenter inua-
dit,ita quaſi vix enatus,non multo poſt euaneſcit, ſed mala intemperies in quā-
libet partem non ita ſubitò inducitur, quia omnis alteratio nō niſi temporis ſuc-
ceſſione fit,cum ſit motus 3.Phyſic. Iam verò facta ægerrimè quoque remoue-
tur. Quod ſi pars,tempore tam diuturno,& in humorum tam frequenti affluxu,
dyſcraſiam contraxit, è qua dolor, cur obſecro perſeuerante cauſa, non perſiſtit
effectus? Quamobrem intemperatura ipſa cum ſenſim generetur, & non tota
ſimul,dolorem,qui confertim fiat, ac dicto citius vt plurimum obſcuretur, pro-
C creare non poterit. Vnde etiam fortaſſe arguendi minime ſunt, quicunque pu-
tant nihil poſſe inferre dolorem,niſi idem ſoluere continuum valeat. Quæ ſimi-
liter fuiſſe videtur Galeni opinio 4.de ſimpl. Med. Reſponſum tamen haud cō-
temnendum,eſt,duplicem dari intemperiem,aliam quidem in habitudine, aliam
verò in habitu, prioremque ſubito a delabentium humorum qualitatibus effici,
& ideo inferre quoque poſſe dolorem, de cuius eſſentia, vt docent Plato in Ti-
mæo, & Gal. 1. de ſympt.cauſ. omnino eſt, vt pars ſenſilis a propria natura illi-
co,& confertim recedat; poſteriorem verò tam cito nequaquam fieri, imò ſen-
ſim adeò, & latenter, vt nullam inferre queat moleſtam ſenſationem, quemad-
modum in hecticis,& tabidis euidentiſſime apparet, & de hac ipſa intellexiſſe
D Gal. putandum eſt, quando nullam intemperiem ſubito fieri prodidit. Verum
hac de re controuerſa alibi,ne longius a via noſtra aberremus. Quænam igitur
pars reuera affecta dolet in coxa ipſa? Crediderim aut perioſtion,aut muſculos,
& muſculorum capita,eaque vel in vniuerſum omnia,vel ſpeciatim aliqua, cum
aliquando hic dolor intimior ſit,& aliquando magis extimus, necnon interdum
ad inguem vſque aſcendat,interdum verò ad genu pertingat,de cuius cauſis in-
ternis, a quibus tota pendet recta curandi methodus, agendum nunc nobis eſt.
Has autem cauſas aſſequi impoſſibile eſt, niſi diligenti examine male affecti cor
poris natura indagetur,præſertim verò principalium membrorum conſtitutio,
è qua velut fonte quodam mali huius origo primaria ſcaturit Materialis enim
cauſa,quam tamen Medici, fere ſemper ſub efficienti comprehendunt, præſen-
tis

tis doloris, non in dolente parte per congeſtionem accumulatur, ſed in eam A
a reliquis fortioribus depellitur, ac demandatur; dolor ſi quidem non modò
aſſidue non affligit, ſed eſt momentaneus, & per interualla tantum afficit.
Fluentis verò materiæ naturæ calida ne, an frigida in primis exiſtat, curanti Me-
dico innoteſcat oportet. Medicus itaque doctiſſimus; qui ſecundo loco ſenten-
tiam ſuam ſcriptis exaratam miſit, & cui Nob. P. de facie optimè notus eſt, aper
tè fatetur cerebrum ei frigidum, & humidum, iecur verò calidum, & ſiccum in-
eſſe; quod mihi, illius pace dictum ſit, nullo modo probatur, quodque mine pro
abſentibus decernendum omnino eſt. Arbitror equidem, & ipſe cum eo, caput
& cerebrum totum humidiſſimum eſſe, non tamen frigidum, imo calidum po-
tus licet frigidius gignat pituitoſum excrementum, vt paſſim obſeruatur in ca-
pite parum calido, ſed humidiſſimo hepar autem impenſe certo calidum; verum- B
tamen eius caliditatem humiditati adiunctam eſſe, & non ſiccitati reor. Pro mea
parte ſtant ſigna prope cuncta, quæ ponuntur à Gal. in arte parua. Quod enim
cerebrum, & caput Viri N calidum, non frigidum hucuſque fuerit, & etiam nũ
ſit, inde facile primum arguitur, quod non tam promptè patitur a frigida aeris
conſtitutione quam a calida. A ſimili namque augeri ſolet intemperies, & mor-
boſa magis fieri. Quæ inſuper oculos perreptant venæ, minimè deliteſcunt, ſed
amplæ ſunt, & ſenſui manifeſte apparent. Præterea excrementa, quæ cùm tem-
pore integræ valetudinis, tum etiam, quo caput eidem ob errata in cibo, & potu,
ac pernoctationibus, repletur per palatum, & nares exeunt, craſſa ſunt, & velù-
ti concocta, non fluida, & aquoſa, qualia cruda, & frigida ſunt. Ad hæc imple- C
tur, & aggrauatur caput eius quam facillimè a calidis cibis, potionibus, odori-
bus, & omnibus rebus ijs, quæ extrinſecus nobis occurrere ſolent, qualis potiſſi-
mum eſt aer. Vnde Auſtrina conſtitutio ſemper Viro huic aduerſatur, qui con-
tra in Aquilonari optime, ac perbelle ſe habet. Addamus animales operationes,
& maximè principes, admodum vegetes eſſe, & expeditas, non torpidas, nô ob-
tuſas; Vnde etiam nec ita graui ſomno tentari ſolet, vt hominibus accidit hu-
mida, frigidaque cerebri diſcraſia præditis. Tandem calueſcit, quod nunquam
experiri videntur quicunque frigidam, & humidam habent capitis intemperiẽ.
Quamobrem cenſeo ego N. P. caput, & cerebrum in actiuis calidum adhuc eſſe
& nullo modo frigidum; in paſſiuis tamen humidiſſimum eſſe, ſi quis dubitare D
voluerit, in media luce caligabit. Progrediente nihilominus tempore, vereri cũ
ratione poteſt aliquis, nè a nimia humoris copia calore, & ſpiritibus obrutis, ad
frigidam demigret intemperaturam. Iecoris quin etiam craſis in paſſiuis, me
Iudice, humida, non ſicca cenſeri debet, vt clarè conſtat ex pleniori totius cor-
poris habitu, copioſo ſemine, carnis mollicie, & in ſumma ex venarum amplitu-
dine, citra duriciem. Sub dominium bilis hic adeſſe, quis negabit? Aetas enim
floret, iecur eſt præcalidum, eſculenta multa, ac potulenta facultate calida, &
ſicca, qualia ſunt aromata, ſalſamenta, bulbi, cępę, vina generoſa, & meraca, nun
quam non ingerit. A ventriculo pariter crudiores ſucci hepati, & venoſo gene-
ri, & conſequenter etiam affectæ particulæ impertiuntur, idque non tam culpa

 propria,

A propria quam obiectorum vitio. Multa.n.in viuendi norma committit errata, præſertim in alimentorũ varietate,atq; copia,potu frequenti,& largo, motu & animi,& corporis inordinato, & demũ venere immodica,ac intẽpeſtiua. Quibus ita ſe habentibus,magna cum cauſa aſſeri poſſe videtur,materiam,quę prę-ſentem efficit dolorem,pituitoſam eſſe,in capite collectam,nec non ſubfrigidã indeque potiſſimum extra caluariam per ſpatia muſculos inter,atq; cutim, iuxta mentem Fernelij; aut etiam per ſpinalem medullam, eo modo quo docuit Hipp.in lib.de Gland.in dolentem particulam dilabentem A ſpinali enim medulla ad os ſacrum,ab oſſe ſacro ad ipſam coxam. & femur pituita defluit. Cui materiæ nemo dubitat,quin flatus quoque copulentur, quemadmodum ex ſubita fere doloris euaneſcentia, & ex eo pariter colligitur, quod ſtatim, ac læſa

B pars ſub pannis incaleſcit,tunc maxime dolor intenditur. Agit enim eo tempore calor in ſubiectam materiam. Quod ſi quis a venis etiam huiuſcemodi fluxionem deuehi,& ideo bilioſæ ſimul materiæ portiunculam admixtam eſſe contendat,non valde repugnabo,cum iam ſtatutum ſit,corpus hoc bilioſis humoribus non mediocriter abundare Cauſa autem, ob quam coxa fluentem materiam excipit,nec ità prompte alio tranſmittit, nulla eſt alia niſi imbecillitas eius maior, quam inſit alijs vicinis partibus,cõtracta primo in vtero ex ſemine; vnde & frater N.P. a dolore verę iſchiadico iam dudum pertinaciter, & Medicorum auxilia illudente, torquetur; deinde adaucta ex longa, & aſſidua equitatione, quæ totius cruris, ſed præcipue ad illam partem, qua debilius ortum eſt, robur, ac

C vim diſijcere potuit. Scribit enim Hippocr. in lib. de Aere, Aquis, & Locis, Sychas propter frequentem equitationem coxendico morbo fuiſſe obnoxios. Veneris denique vſus corpore in pedes erecto, non parua fuiſſe cauſa poteſt maioris imbecillitatis affectæ partis, in quam propterea cęterarum excrementa ſuperuacanea confluunt, quia quoties corpus offenſum eſt, vitioſa pars maxime ſentit, ita vt eadem omnino ſit cauſa præſentis doloris, quæ communiter a Medicis ſtatuitur in articulorum doloribus, gemina ſcilicet; & vna quidem eſt fluxio, citra quam hæc paſſio non contingit, quoniam qui nihil colligunt ſuperuacui his manent imbecillæ partes ſemper in tuto, vt nos probè docuit Galen. cum alibi ſæpe, tum 6. Aphor. 28. & Paulus libr. 3. capit. 78. Altera vero eſt,

D partis imbecillitas, quæ ſi non adeſſet, abſque dubio affectio ipſa non generaretur. Membra ſiquidem fortiora, quod in ipſiſmet redundat, ad imbecilliora delegant, & hæc rurſus ad magis infirma tranſmittunt, donec in partem decumbat, quæ reliquis vicinis infirmiorem habens expultricem a ſe longe propellere excrementum nequeat. Ad ſcopos deuenio, qui duo tantummodo ſunt, alter, vt præſens affectus tollatur, alter, vt imminens præcaueatur. Qui nunc igitur cruciatus infeſtat, auferri nunquam poterit localibus, imò ab illis augebitur, niſi prius de corpore toto habita ſit prouidentia, cum præſertim calfacientibus, & ijs, quæ tenuium ſunt partium, vti oporteat, vi quorum maior fit ad partem dolentem attractio, niſi antea ab humorum omnium colluuie corpus ipſum vndequaque, & integre fuerit expiatum; poſt quam quidem

generaliorem prouidentiam, quidquid in affecto loco continetur, inanire congruum erit, nec non robur, virtutemque eidem conciliare. Quapropter ante omnia materiæ vocatæ communes a vijs ductuum educendæ ſunt, proprias vero, quas dixi eſſe tenuem pituitam in primis, atque bilem, expurgare catharticis idoneis, & auertere oportet, ne in cauſam tranſeant coniunctam ideo vrinas quoque ciere, & ſudores proluere, per quam vtile fore iudico, veluti reſiduum concoquere, ac attenuantibus diſſipare. Tandem membri mittentis, quod præ alijs caput eſſe apparet, intemperiem corrigere exiccando potiſſimum, & coxam totam debilitatam, & vacillantem confirmare per ea, quæ in vnum cogunt, ac denſant, ne in poſterum ſuperuacanea admittat operæ pretium erit. Quibus quidem ſcopis, & intentionibus triplici inſtrumentorum genere. Medicis conſueto occurrendum eſt, diæta pharmacia, & chirurgia; ſed an voti compotes fieri poſſimus, ſuſpenſum eſt iudicium. Morbus etenim inueteratus eſt, ac fere hecticus, ac connaturalis, intelligo autem partis imbecillitatem, ſeu laxitatem quandam, ad quam impoſſibile eſt non delabi humores è corpore reliquo, quod illis tamen copioſe ſcatet, atque eo magis, quò P. voluptatibus potius, & palato, quam Medicorum præceptis obtemperaturus eſt. Non ſunt tamen prætermittenda auxilia, a quibus alias etiam ſubleuatus fuit, nec mutandus eſt modus, quem alijs temporibus vtiliter expertus eſt, vt mitior ſaltem reddatur affectus, & ne in vere coxendicum, vti vereri cum ratione poſſumus, temporis progreſſu degeneret. Tota ergo mihi credita curatione, & iuxta paulo ſupra notatos ſcopos, victus ratione præſcripta, aluum ante omnia minor ante medicamento, quod ex electu. lenit. diacat. & hiera ſimpl. conſtabat, ſubduxi, poſtea vero pro, potiſmata, ſeu vocata alterantia ſumpſit, nimirum ex decoctione facta in aqua ſtillatitia betonicæ ſimplicium tum caput, tum iecur reſpicientuim, dico fol. betonicæ, iuæ, ſonchi, cichorij, & borraginis, vna cum ſyrup. de ſuccis betonicæ hiſſopi, cichorij, & rhodomellę, quibus perſeptem dies ebibitis, medicamentum obtuli ex infuſione Agarici trochiſc. & rhabarb. elect. cum modica portione ſpicæ nardi in decoction. cephalica, additis melle roſato ſolutiuo, & eodem electuar· diacathol. Hanc ipſam, aut quaſi ſimilem purgationem reiterare in animo erat, quia ſcilicet in capitis affectibus, ad quam partem medicaminum vis difficulter pertingit, & in humidis corporibus vnica tantum purgatio nullo modo ſufficiens eſt; ſed quia renuit, nec permiſit. P. mox ad particularem capitis expurgationem me contuli per apophlegmatiſmos, & errhina, poſt quæ deſendere decreueram ad exhibitionem decocti, cui facultas ineſſet abſumendi materiam particulæ laborantis, nec non capitis, ventriculi, & vniuerſi corporis, atque prædictas intemperaturas emendandi, quale omnino fuiſſet, quod iam præſcripſeram ex ligno Indo, China, Salſa, ſantalis cum varijs ſimplicibus, ea norma propinandum, qua in lue Gallica affectis ſubinde vti conſueuimus, victu nempe tenui, & exquiſito, ac blanda aliqua arte ſudore prolecto, cum præſertim eiuſdē luis ſymptomatibus nō rar labora-

A laborauerit, & ab hoc medicamenti genere ante actis annis Venetijs ſub Medico Pariſano mirifice profecerit; nec inde timenda erat maior hepatis efferueſcentia, quia immiſcebantur, quæ ligni calidam qualitatem contemperabant, præter quam quod etiam extrinſecus inunctione ex vnguento ſantalino, roſato, ſucco cichorij, & modico aceto roſ. illius membri calor infringi, ſeu attemperari potuiſſet. Attamen quia in ſplendidis perſonis ſæpiſſimè contingit, quod à Gal. 12. meth. & 2. catat. proditum legitur, eas nempe, quemadmodum, & diuites omnes deterius curari, quam infimas, & pauperes, quoniam videlicet ſubijcere ſeſe Medicorum admonitionibus non pro dignitate putant, aut quia præ carnis mollitie generoſa præſidia tolerare vel nolunt, vel re vera non poſſunt; vnde Celſus dixit, facilius eſſe in ſeruis, quam in liberis curare hydropem, propter tolerantiam ſitis, famis, & alia multa tædia, quæ magis ſuſtinent ſerui, quā
B liberi; aut denique, addo ego, difficilius curantur primates, quoniam Seianorum anteambulonum, ac ſeruientium quaſi ſatellitum turba vndique ſtipatur, quorum voluntatibus, atque deſiderijs, quæcunque ſint, Medici quidam, qui blandiendo, & adulando, non ſtudendo, ac ingenue conſulendo, in Aulis proficiunt, vel ſalutaria Medicinæ præcepta adaptare non verecundantur; idcirco cū Vir. N. & prædiues iteratam purgationem, & propoſitum decoctum cum ſudore, & diæta omnino reſpueret, ad alia viſum eſt eſſe confugiendum. Quare, & meo, & aliorum Medicorum conſilio ſumpſit per decem, vel duodecim dies puluerem deiectorium ſimul, & alexipharmacum luis iam dictæ, qui videlicet confectus
C erat ex ligno Indo, ſalſa, iua, agarico, trochiſc. hermodactylis, & ſena, cum zingibere, cinamomo, & aniſis, qui vino albo tenui, nec generoſo per noctem infundebatur, & ab eo ſummo mane deglutito, venter per diem ſæpius exonerabatur, vt varia humorum prauorū illuuies facillime expurgaretur, ſed quia dolor neque ob id euanuit, imò amplius exaſperari viſus eſt, dubitatum a me, ne a tali puluere exagitati magis fuerint, & attenuati humores, quam educti, qui ideo promptius ad læſam particulam confluerent. Alioquin nomine vacuationis, & ob latentē luē, in Viro alia iam dicta medicamina reſpuente, non temere præſcriptus mihi eſſe videtur; Norunt. n. Medici omnes, fluente aluo, vix ſuboriri cōſimiles dolores; quinimo ſcripſit Aetius diſenteria coxendicum morbum corrigi, & ſa-
D nari, nec pauci à me viſi ſunt, qui ex longa aut dyſenteria, aut diarrhoea de repēte ſanata in articulares dolores inciderunt. An non dicit in Coac. Prænot. diuinus Senex, *dyſenteria intempeſtiue ſuppreſſa abſceſſum facit in lateribus, in viſceribus aut in articulis?* quo ſolo Hipp. loco ſatis ſuperque redarguitur Fuchſij paradoxon, quo tuetur dyſenteriam aſtringentibus ſolis perpetuò eſſe curandā. Accedit, quod deiectorius puluis ea etiam in ſe continebat, quæ non ſolum boni erant odoris, ſed & quæ craſſos humores ſecare, & vias, per quas educi debēt, aperire, ac patefacere poterant, iuxta nimirum Hipp. & Gal. doctrinam 2. Acut. 11. 8. catat. 3. & ad finem lib. De ijs, quos, quando purgare oportet. Ab his omnibus ad topica deueni, quæ à cunctis medicis, poſt corporis expurgationes, mirum in modum comendantur. Fuere autem partim fotus ex ſpongijs made-

factis in decoc. facta in aqua marina legni ſancti,iuę,betonicę,anthos,ſtechadis; A
chamęmeli,origani,pulegij, & roſ. rub. partim inunctio ex oleis de terebenthi-
na, & cera, gutulis quibuſdam olei aniſorum additis. Aqua ardens ſolet quam
citò abigere tales dolores,ſed præ omnibus linimentum, quod ego componere
ſoleo,& ſæpiſſime ſum expertus,accipiendo ſalis communis ſubtiliſſime pulue-
rizati q s & ducatur aliquādiu ſuper lapide porphyrio,inſtillando paulatim olei
liliacei,& maſtichini an. q. s. & modica portione ſtyracis liquidæ, ad linimenti
conſiſtentiam,quo calente ſi pars à cauſa frigida dolens fricetur,& liniatur,quā
citiſſime a dolore liberatur. Quæ quidem localia non video quomodo poſſint
peccantem materiam ad affectum locum attrahere,& iam læſam coxam ad reci
piendum magis aptam,ac opportunam reddere,quid quid in oppoſitum ſentiat
Vir Clariſſimus. Imò conſiderandum propono DD. meis Eccelentiſſimis an B
Balnea quædam Patauina,& Aponenſia in primis vbique celebrata, pro parte
omnino roboranda,ex vſu futura ſint,quemadmodum etiam pro capite exiccā-
do,& confirmando,a quo mali emanat origo. Stillicidium enim,quod citra cal
factionem exſiccaret, ex vſu valde foret, veluti tempore vindemiarum, conue-
nienti repetita purgatione, pro parte affecta vinacea ipſa, ab Altomari, & alijs
ſummopere laudata. In Chirurgia duo ſunt non leuiter attingenda, quorum
alterum ad miſſionem ſanguinis ſpectat;alterum ad fonticulum, quem in crure
male affecto iam quinto ab hinc anno apertum geſtat;quibus in rebus dicam li-
bere,quod cenſeo,ſubiciens me ſemper ſaniori iudicio. De ſanguinis itaque de-
tractione è baſilica dextri brachij, quod etiam dolenti cruri reſpōdet, nulla eſſe C
poteſt diſcrepantia. Nam & ad plenitudinem huius corporis imminuendam,&
ad iecur contemperandum,nec non denique ad reuellendam materiam, ſi quæ
per venas defluit, magnopere conducit ſanguis ab illa vena extractus. Ideo a
principio,poſt lenitionem alui, ſanguinem ex dicto loco extrahi iuſſi ad vncias
octo,qui feroſa materia plurimum abundabat, præter quā naturali ſanguini ad-
modum ſimilis erat. Verum cum a Viro egregio, & in arte verſato proponatur
etiam inciſio venæ poplitis,aut malleoli cruris male affecti,vt reuellatur,inquit
materia à parte affecta,quo præſidio Gal.in lib de cur.rat.per ſang.miſ. & x.ca-
tat.coxendicos dolores ſe curaſſe gloriatur; quæritur,an huic opinioni adhærē-
dum ſit. Ego certe adhuc eam amplecti minime potui, & ideo ab huiuſcemodi D
euacuatione me abſtinui. Non enim verſamur in Gal. caſu, qui eſt vere iſchia-
dicus,& a ſanguine procreatus. Tunc enim ſi ſit plethoria in corpore ab hoc do
lore vexato, ſtatim ab initio è cubiti vena ſanguinem exhauriri iubet, præſertim
ſi etiam num fluat,reuulſionis gratia,deinde vltimo poſt quam fluxit,ſecat venā
poplitis,aut malleoli;vnde ſic ait Gal. *Tanquam igitur maximum cum ad affectio-
nis curationem habeat totius corporis euacuatio,ab ipſa incipiendum eſt, non ſolum a cru
ribus,ſed & a cubito primum detractione facta.* Cuius ſententiæ eſt etiam Paulus,
qui lib.3.cap.78.coxendicis in affectibus venam cubiti ſecandam eſſe præcipit,
inueterato autem malo ex malleolis. Sic intelligi debet Auic.4.pri. cap.20. vbi
ex propoſito de phlebotomia agens coxendicum dolorem, ſanguinis miſſio-

nem ex

A nem ex vena ſciæ, quæ eſt in exteriori parte pedis, iuuare aſſeruit. Quod ſi plenitudo abſit, & à ſanguine tamen malum fiat, debemus illum a poplite, vel talo mittere, deriuationis cauſa. Hoc ſiquidē ni fallor eſt, quod Gal. in altero è prææaddućtis locis ita ſcriptum reliquit: *Memini me iſchiadas vno die, facta ex crure evacuatione curaſſe.* Hic vero dolor nec iſchiadicus eſt, nec a ſanguine oritur, imò ab humore maxime pituitoſo, & crudo, qui a natura ſanguinis recedit; tandem præſens dolor continus non eſt, ſed ferè momentaneus, & ſi moleſtus valde, per interualla ſæpe recurrit, a materia adhuc potius, vt ita dicam, fluente, quam fluxa proueniens, vt nullus deriuationi locus relinquatur, ne dicam, quod tali euacuatione affectũ crus temere magis læderetur, &, ſi ſcarificationib. & ſectionibus ſenſibiliter dolore affectos locos euacuare aggredimur, plus ratione doloB ris attrahimus, vt nos docuit Gal. Art. med. c. 95. Alterũ Quæſitũ eſt de fonticulo cruris dolentis. Ego. n. puto quam primum eſſe ab ea parte remouendũ, quia nimirũ læſam particulam magis, magiſque debilitat, ad eamque fluentem è capite materiã, & a venoſo genere iugiter accerſit. Nec eſt, quod Vir Clariſſimus obijciat, per apertum locum deſtillantem materiam euacuari, quia non ſunt (meo iudicio) facienda mala, vt inde eueniant bona. præſertim quando de malo certi, de bono dubij, & incerti ſumus. Clare enim docuerunt Hippocrat. & Gal. quam longiſſime a tentata fluxione parte reuellere oportere; iuxta quod axioma ſcripſit 6. Epid. Hippocr. *Reuellere, ſi non qua oportet, repant humores, ſi vero qua oportet, aperire conuenit, vt ſinguli repant.* Quæ ſententia clariſſime C indicat, quanta cum ratione apertus fuerit in crure laborante fonticulus, cuius occaſione curſui humorum ad affectum partem aditus patefactus eſt. Si fluxionis impetus, motuſque prauus ex toto iam eſſet interceptus, ac impeditus, perſeuerante in labefactata parte iam defluxa materia, abſque dubio ſub illa cauterium magnopere prodeſſet, & hoc eſt, quod voluere probatiſſimi quique Medicinæ ſcriptores, dum in Iſchiade inueterata fonticulum laudant in crure dolente. Cenſeo igitur tollendum eſſe ab affecto latere, vt in altero brachiorum excitetur. Rectius ne ego, an alter Medicus, determinabunt Viri Celeberrimi. In præſeruationem dicam, quod Celſus lib. 4. capit. 24. *Quibus articulorum dolor* (eſt enim quid ſimile) *certis temporibus reuertitur hos ante, & curioſo victu caD uere oportet, ne inutilis materia corpori ſuperſit, & crebriori vomitu, & ſi quis ex corpore metus eſt, vel alui ductione vti, vel lacte purgari.* Excrementa itaque aut clyſteribus, aut pilulis largius, quam ſit ei natura conſuetum, interdum educantur, illamque viuendi normam adamuſſim ſeruet, quam eximius eius Medicus iam præfixit, in qua potiſſimum memoria conſeruet, quod ex Græco Epigrammate ita vertit Amatus.

Soluere membra ſolet Bacchus, ſolet, & venus ipſa
Soluere, & ex illis nata podagra ſolet.

Idque eo magis, quò ſcimus cum Celſo; *Omnium malorum optimum remedium eſſe vita temperantiam.* Valete diu; datum Rauennæ, die 6. Maij 1611.

A

Reſponſum Medicorum Patauinorum.

LAboraiut ſuperioribus tẽporibus per Illuſtris vir dolore quodam in interna dextri fęmoris regione, qui dolor ex aſſumpto decocto ligni Guaici per quadraginta dies cũ ſudore omninò delituit, detentus deinde fuit febre quadam, a qua etiã ope medica fęliciter ſanatus eſt, cumque (neſcimus quo impulſu) fonticulum in crure dextro ſibi affingendum permiſerit, paulatim idem dolor in eadem regione fuit reſtitutus, qui percrebuit cum ea moleſtia, qua progreſſiuo motui iam incommodus videretur, quam ob cauſam excellentiſsimorum medicorum hortatu pulueres quoſdam deiectorios per plures vices aſſumpſit, non modo ſine vtilitate, verum etiam cũ tanto eiuſdem paſsionis incremento, vt iam & tendines flexuræ genu, & vniuerſum pedem dextrum, imò verò & oppoſitum etiam crus, quod nunquam tale quidquam paſſum erat obſiderit. De natura horum dolorum, illud pronunciamus, non eſſe omino vocandos coxendicos, aut iſchiadicos, nam cum coxendici, ſeu iſchiadici dolores a parte affecta nomen ſumant, vt notabat Gal. 2. meth. 2. cumque non afficiatur in his doloribus iſchiadis articulus, nemo iure affirmabit hos dolores coxendicos, ſeu iſchiadicos vocandos eſſe: fiunt iſti dolores ſine controuerſia a materia frigida prædominante cum ſine ſenſu caliditatis, & cum temporis diuturnitate afficiant; neque gignitur hæc materia in regionibus dolentibus, poſteaquam per annos illæ a talibus doloribus liberę prorſus fuerunt, B ſed confluunt ad eas partes ab alijs regionibus, quæ ſanè regiones proximę, & immediatæ ad caput attinent, quod quidem caput nos quoque ſcaturiginem facimus materiæ huius excrementitiæ deffluentis. Ferax autem eſt caput pituitoſæ omninò materiæ, cum quia humiditate inſigni labefactata eſt illius coctio, tum etiam quia hæreditario quodam iure nobiliſsima hæc familia capita habet diſtillationibus, ſeu catharris obnoxia, accedẽte cum praua viuendi ratione, atque iniquo vſu ſex rerum non naturalium, tum aliquo conſenſu a ventriculo, & ab hepate: nunquid vero huic materiæ defluenti per manifeſtas qualitates peccante aliquod aliud vitium coniungatur iure poſſet dubitari; qua tamen in re noſtra eſt ſententia, quod etiam ſi nobiliſsimus vir ante actis annis fędam gonorrheam per concubitum ſuſceperit, tamen in pręſentia nihil tale retineat, qui credimus vſu antedicti decocti exactè omnem eam labem fuiſſe abſterſam, cum pręcipuè dolores iſti, neque morem doloris Gallici, neque magnitudinem retineant. Quamquam verò Gallici non ſunt, difficilem tamen videntur habere curationem, cum quia antiquiores ſunt, & in augmento eſſe videntur, tum etiam quia conſequuntur intemperiem humidam cerebri, quę a ſemine contracta eſt, qua pręſente diſtillationem vigere, vigente autem diſtillatione dolores iſtos, vel durare, vel ſi ceſſent reuerti iterũ poſſe videãtur; nihilominus tamen cũ alias fuerit ab illis liberatus, & non ſine ingenti, & memorata digna occaſione, fonticuli ſcilicet illius in crure dextro inuſtione reuerſi fuerint, ſperare licet, quod ſi accuratior,

A ratior,& diligentior adiungatur cuſtodia non tam facile amplius reuertantur,& liberè etiam in præſentia deturbentur. Qua in re volentes prætermittimus rationem curandi tanquam notiſſimam, & ex traditis ſua ſponte emergentem. Atque ad præſidiorum materias quod attinet,detrahendum iterum ſanguinem ex vena communi, & interpoſito trium, vel quatuor dierum curriculo ex venis ſedalibus exiſtimamus; Ad fonticulos verò quod attinet poſteaquam cauteriū in crure dextro excitatum occaſio fuit, quamobrem dolores, qui pridem iam diu ſilebant fuerint redintegrati, conſulimus, vt ille omninò a crure auferatur,cum non minus pote futurum ſit hoc cauterium fouere & augere hos dolores, quam pote fuerit illos (vt dictum eſt) renouare, & perſuaſum cuique eſſe debeat,quoad perſtet cauterium illud in crure, nunquam ab his doloribus crus illud futurū immune, neque ex huius fonticuli amotione timenda ſunt vlcera, aut peiora

B mala ipſius cruris ſi modo antequam fonticulus illi ſemoueatur alijs imminentibus malis fuerit prouiſum, quam ſufficientem prouiſionem futuram exiſtimamus ſi perilluſtris vir patiatur ſibi pro vnico hoc fonticulo geminos excitari,in bracchio ſiniſtro alterum, & alterum in bracchio dextro ea cum lege, vt non prius cruris fonticulus occludatur, quàm hi duo benè fluant,& quod ſatis ſit expurgent. Ad Pharmaciam quod pertinet, purgandum eſſe iterum hoc corpus arbitramur,ſed præcedente congrua præparatione,nam crebra alui irritamenta, per Pharmaca electiue ducentia, qualia erant, quæ puluere antedicto continebantur,vt nonnihil crudi humoris expurgant, ſic non leuem illius quantitatem

C exagitant, atque exagitati humores præcipitanter ad loca antea affecta magis obediunt, & quæ antea non afficiebantur recenter occupant, quæ (vt quidem cenſemus) cauſa fuit quamobrem perilluſtris vir poſt aſſiduum vſum illius pulueris purgatorij in deteriorem valetudinem lapſus fuerit, & maiores cruris affecti dolores, & recentes in oppoſito crure, quos antea nunquam expertus erat degustare cœperit. Poſt totius corporis igitur curioſam euacuationem purgandúm quoque erit caput per naſalia,& maſticatoria; atque inde ſtatim decoctum ſalſæ, ligni, & corticis erit inſtituendum cum bettonica & ſaluia, atque cicorio, ea lege, vt manè ſolum decem vncias ſyrupi capiat,& ſudet,& ante ſyrupum ſtatim bolum deuoret ex terebenthina veneta, cum iuæ & bettonicæ puluere; clyſtereſque bis in hebdomada accipiat acriores vim colocintidos recipientes, &

D ſingula quaque hebdomada pillulas cochias, & de hermodactilis, vel de nitro Alexandri ſemel capiat. Horis autem veſpertinis conſulimus,vt ad futuram coronalem adminiſtret ſtillicidium ex aliqua aqua thermali ſulphurea, quę finem primi gradus, aut initium ſecundi caliditatis non excedat, & perſeueret in decocto, & ſtillacidio diutiſſimè, dum interea crura mergantur aquis iiſdem thermalibus, ſed validioribus priorum materias nos hic faceremus illas, quę ex magno balneo diui Petri hauriuntur,materiam verò reliquarum nos eſſe vellemus, quę ex Apponio deportantur, adhibitis locis valentibus modo cerato citrino modo inunctionibus ex oleis vulpino, ſpicato, liliorum alborum, & alijs id genus;quin ſi (vt quidem narrat perilluſtris vir) decurtatio aliqua, ſeu abreuiatio

dextri cruris in deambulatione quadantenus ſentiatur, ad rubrificantia, & mi- A
taſimcritica vocata remedia tandem erit deueniendum, quę omnia, & alia id genus efficaciora euadent ſi veneri parcatur, & continentia, ac moderatio in ſex rebus non naturalibus ſtudioſè adhibeatur, nam ſi hęc vitę ſtudia perſeuerent, clariſſimum eſt perilluſtrem virum quoti die in deterius lapſurum, & hęc dicta volumus vt aliqua ratione muneri noſtro ſatisfiat.

QVÆSITVM PRIMARIVM IN VSV SALIS, ET SALItorum alimentorum in Febribus.

I. B

An ſal, & ſalita cibaria a febrientium menſa ablegandaſint, vt ſuperſtitioſi quidam autumant.

Quæſita Secundaria Vndecim.

I.

Cur ſal ad ſtuporem dentium valeat, nec non ad uibices, ac ſugillata.

II.

Cur, & quando marina aqua ignem, vt dulcis, non extinguat, imò adaugeat. C

III.

Cur in Iudais graſſonia, ſeu tetri odores corporis fiant.

IV.

Cur homines onirogonon, & venerea ſomnia maxime incurrant.

V.

Cur Aegyptiorum ſacerdotes nec ſale, nec ſalitis cibarijs vterentur.

VI.

Cur ſal & pro ſterilitatis, & pro fœcunditatis hyeroglıphico ponatur.

VII.

Cur Galenus refrigerantia ſimul, & humectantia prohibeat in quartana, & ſalita concedat. D

VIII.

Cur ſal in inapetentia tam a frigida, quàm a calida cauſa ſuborta ex vſu ſit.

IX.

Cur oleum ſalis chymicum in quibuſdam malignis, ac peſtilentibus febribus magis conuenire videatur, quàm chalcanthinum.

X.

Cur die, quo quis catharticum ſumpſit, a ſalitis cibarijs abſtinere debeat.

XI.

Cur, & quando cibi ægrotantibus periucundi concedi illis poſſint.

Ad

A

Ad Ioannem Franciſcum Brancam Calabrum Medicum Clariſsimum.

MAgnopere gauiſus ſum tuis literis, vir excellentiſſime; quibus tuam
in me non vulgarem beneuolentiam perhumaniter aperis, & vltro-
te, tuaque offers, qua in re vinci, ac ſuperari nunquam patiar; quæ
pariter eo nomine mihi periucundæ fuerunt, quo de me, meiſque
operibus quàm bene ſentias præclarè ſignificarunt. Attamen, ſi vera ſunt, quæ
ſcribis, ſummopere vereor illud, quod a ſapientiæ fontibus manauit: *Fortuna
imperitiam ſequitur*. Det mihi Deus mentem lucidam, qua diſcam me nutui, ac
B voluntati eius ſubijcere; id enim maxime eſt in meis votis, cum nihil in nobis
fiat, quod a ſummi Imperatoris Aula vel non iubeatur, vel non permittatur.
Audi quàm prudenter conſultum a Thucydide lib. 1 1. in orat. Periclis: *Ferre
quæ diuinitus immittuntur, neceſſariò oportet, quæ ab alijs, viriliter.* Sed hæc omitta-
mus. De Gezualdo, quem ad me miſiſti, & quem ſanum ad te remiſi, ne vllum
quidem verbum Bradipepſian meo quidem iudicio, non melancholiam illam;
quæ a Damaſceno φυσώδης καὶ ὑποχονδριακή vocatur, patiebatur, quidquid alteri
viſum ſit Medico; occaſionem habuit ex itinere, & repentina in omnibus ad vi-
ctus rationem ſpectantibus mutatione, quæ cum alios, tunc maxime ſeniores a
naturali ſtatu immutandi facultatem obtinet, & quæ vnà aderat animi triſtitia
C a præincipiente, & procatarctica dicta cauſa euidenter naſcebatur, quia longè,
& procul a ſuis, quia exul & extorris a delicijs patrijs. Neminem vidi poſcæ ad-
dictiorem, cum nulli magis, quàm illi infenſa ſit. Romæ hauſit ad ephemeræ ex-
citationem. Acerrimo enim aceto calorificam quoque vim non leuem ineſſe,
nemo, cui ſana mens ſit, negabit. Vbi ad eum inuiſendum fui accerſitus, vix po-
tui me a riſu cõtinere, cauſa cognita, & perſpecta. Dicas meo nomine Platonem
ſcribere 2 de leg. *vinum a Deo hominibus datum fuiſſe, vt ſenes reiuueneſcant,
eoſque mæſtarum rerum obliuio capiat*. En valde præſentaneum remedium ad me-
lancholiam, ſi melancholicus eſt, quod legitur Prouerb. cap. 3 1. *Date ſiceram
mærentibus, & vinum ijs, qui amaro ſunt animo, bibant, & obliuiſcantur egeſtatis
D ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius*, Et in Eccleſiaſt. cap. 3 1. *Vinum in iu-
cunditatem creatum*, Et, *Exultatio animæ, & cordis vinum moderate potatum*. ſi
κακοςόμαχος, quid vino optimo aptius, quid accommodatius præſertim viro ſe-
ni? Celſus enim lib. 1. cap. 8. inter alia, quæ aduerſus tardam concoctionem pro-
ſunt, vinum ipſum connumerat. Bernardinus de Auguſtinis, quem pro Medico
duxit vna ſecum Dux ſancti Donati me conuenit, nec ſemel ad me publicè do-
centem acceſſit, aliquando etiam mecum ad ægrotos; iuuenis eſt, qui tua in ip-
ſum beneficia palam prædicat, & a quo magnus in re medica profectus ſperari
poteſt. Ad rem noſtram; Veriſſimum ſanè eſt, quòd retuliſſe tibi affirmas D.
Scipio Sanſeuerinas, aliàs dum Rauénatibus medicinam faciebam, ab Illuſtriſ-
ſimo Cardinali Bonifacio Caetano fęlicis recordationis, promotum mihi fuiſſe

quæſi-

quæſitum de ſalis,& ſalitorum alimentorum vſu in febribus,& febrientium dię- A.
ta, an ſcilicet cum ratione a Medicis quibuſdam tantopere damnaretur, adden-
do Granitum Medicum Calabrum eruditiſſimum contrariam habuiſſe opinio-
nem,qui iuſculis,in quibus fercula, & cibaria incoquuntur, ſalis condimentum,
quod Heraclitus ciborum animam vocabat, adiungi pręcipere ſolitus erat,quę-
admodum etiam veriſſimum eſt, nec me a Graniti ſententia longe abeſſe, dum-
modo tamen cum diſtinctione, & ſano, vt aiunt,modo res hæc intelligatur. In
oppoſitum adducebatur omnium medentium conſuetudo, & quod ſale condi-
ta alimenta,vtpote calidiora, & ſicciora febrientibus impenſe noceant: Iccirco
in febricitantium gratiam, qui vtique inappetentia non minus, quàm morbo
afficiuntur, quam quidem ciborum inſipiditas mirum in modum fouet, vſum
ſalis,& alimentorum modico ſale conditorum in febribus minime eſſe denegan- B.
dum, ab ipſa rei natura, per quam curationis idoneum modum inueniri docuit
nos Gal. 2.meth. cap. 15. Diſſertatiuncula conſcripta probare conatus ſum, id-
que tum ne in aliorum ſententiam ita ſicco pede deſcendere viderer, tum deni-
que vt amuſi quidam, & ſuperſtitioſi reſipiſcant, huiuſmodi conſilium increpa-
re deſinentes. Quæſitum ergo a me olim pro viribus enodatum,nunc tibi mitto,
Branca doctiſſimè, & vnà cum eo ab eo orta alia quædam non indigna, quæ a
medico tractentur. Calaber Medicus inſignis,ut audio, literaturæ in cauſa fuit,
vt excitarétur,æquũ ſane erat,vt eorundẽ ſolutio alteri Calabro Medico nõ mi-
noris hodie famæ atq; doctrinę inſcriberetur. Munus,qualecũq; velit,æqui, bo-
niq; facito,& me eo,quo iã cępiſti,amore proſequere. Dat. Rom. Kal. Sep. 1618. C.

In primis igitur illud quærendum videtur, quibus, & quot de cau-
ſis a febrientium menſa ablegari ſal poſſit, quas hactenus ego ad binas ſo-
lum redigi poſſe exiſtimo,& prima quidem eſt,quòd adſtrictoria vi pollet; Cõ-
ſentiunt enim in hoc omnes,quod adſtringẽtia in febribus vitanda omnino ſint,
quia ſcilicet in cauſa ſunt obſtructionum,ac impediti perſpiratus,inde putredo,
& extraneus calor emergunt,ſecunda verò eſt,quòd maiorem tum calorem,tum
ſiccitatem febrientibus infert. Nam quod calidæ naturæ ſal exiſtat, compertum
omnibus eſt; vnde Ariſtoteles 1.probl. 38.quærens cur dentium ſtuporem por-
tulaca herba, aut ſal tollere poſſit,de ſale reſpondet,quia macerat,liquefacitque
atque ita acorem quoque extrudit, innuẽs ob caliditatem, ac ſiccitatem ſalis ab- D.
ſumi,exſiccari,ac reſolui aciditatem, quæ dentibus inhærebat, & ſtuporem in-
tulerat. Hac eadem de cauſa dixit idem Philoſophus 23. prob. 13. mare minus
ignem reſtinguere, cum pinguius ſit, ac deuri etiam poſſit. Vnde ſi paulatim
aqua maris igni inſpergatur, ipſum magis accendit, at ſi confertim, perinde,
ac dulcis aqua ignem extinguet,de qua ſtandum eſt experimento, quo in Actia-
ca pugna Antoniani milites aduerſus tela ignita,faces ardentes,ollaſque carbo-
ne,ac pice refertas a Cęſaris militibus in eorum naues proiectas vſi fuiſſe dicun-
tur a Dionyſ.lib. 50. Vbi.n.poſt conſumptam aquam dulcem, quam potus gra-
tia comportabant,ad hauriendam aquam marinam ſe conuerterunt, eaque mul-
ta,& abundanti vſi ſunt,ignem aquæ vi cohibuerunt; ſed cum non poſſent vbi-

que

A que id præſtare ob inſtrumentorum inopiam, non ſolum nihil proficiebant, ſed ignes præterea accendebant. *Aqua enim* vt ſubiungit hiſtoricus, *ſalſa maris, ſi ſenſim in flammam infundatur, vehementer ipſam excitat.* Hoc autem a ſale habere creditur, cum ſit in ſale pinguitudo. Nam ſalſa parte adempta, quemadmodum poſſe fieri perbelle docuit Ariſtoteles 2.meteor. vaſe illo cereo circa os clauſo, & in mare proiecto, aut nihil, aut certe minimum aqua maris a natura aquæ fluuiorum diſcrepat. Ea propter idem Auctor 7. prob. 23. quærens, *cur aqua ſalſa ſit minus frigida potabili*, hanc inter alias, quæ multæ ſunt, adfert rationem, *quia mare multum habet terræ a calore elaboratæ*. Salis quin etiam caliditatem eius propalat non inualida acrimonia caloris manifeſta ſoboles, vt clare patet ex Gal. 1. de ſimpl.med.fac.c.39. Ideo recte Plinius lib. 31.c.9. *Salis*, inquit, *natura eſt per*
B *ſe ignea, & inimica ignibus fugiens eos, omnia erodens*. Caliditati autem adiunctam eſſe ſiccitatem, nemo inficias ibit, cui præſertim conſtet ſalis generationem ex terrea, & exuſta materia cum aquea commixta promanare, aquea tamen vi calo ris abſumpta, & in habitum diſcuſſa, terrena verò ſicca remanente, ideo rectè dictum à nonnullis, ſali, dum adhuc fit, plurimum humoris, dum verò iam conſtitit, & concreuit, plurimum ſiccitatis ineſſe. Hinc etiam pendet affinitas ſalſi ſaporis cum amaro, qui ambo aduſtam, & terream habent materiam, vnde ſæpè ſalſo amarum coniungi videmus, vt in mari, vt in cineribus, quamuis in amaro ſiccitas maior exuperet, in qua etiam ſal vincitur ab aphrolitro, cui viciſſim ſal in cõtrahendi facultate antecellit. Ex his quoque patet, cur in rebus aridis amari ſenſus euidentior ſit, in aqueis verò, ſeu liquidis, ſalſi. Quod poſtremo ſal con-
C ſtringendi vim poſſideat apertè tradit Gal. ipſe de ſimpl. med. 11. & 9. cap. de aphrolitro. Id quod ab effectu quoque abundè cognoſcitur, nam quicquid in corporibus minimè compactum, & minimè diſſolutum continetur, ſua adſtrictione contrahit, & ad vnitatem deducit; & hæc omnino eſt cauſa, propter quã Ariſtoteles 9.probl.probl. 1.ad vibices, vel ſugillata ſalis vſum tantopere valere exarauit; cum etenim ea, quæ colliſa, aut contuſa ſunt, ratione cum doloris, tum caloris, humores ad ſeſe alliciant, ſicque in tumorem eleuentur, ſi ſale perfricantur, aceto præſertim addito, ab affluentium humorum impetu, & conſequenter ab inflammatione, & quouis tumore preſeruantur; adſtrictis nimirum, & in vnum coactis partibus laborantibus, & imbecillis. Quo nomine ſimiliter ſal carnes ſeruat, & a putrilagine, ac fedis odoribus tuetur; vnde Plinius loco nuper
D allato, de ſale verba faciens, dicit quod corpora adſtringit, ſiccat, alligatque & defuncta etiam a putreſcendo vindicat, vt durent ita per ſecula. Quærentes nõ nulli cauſam, ob quam Recutitis, ſiue Iudæis inſint a natura graſſoniæ, nempe tetri odores corporis, reſpondent cum Campegio, quia Chriſtum Saluatorem noſtrum non colunt, at Ioannes Huchenus lib. 1.de ſterilitate ſcribit hoc ideo in illis fieri, quòd a ſale, ſaliſque edulijs ex lege ſua abſtinere cogantur. Inſuper ſalis generatio hanc adſtrictoriam vim eidem ineſſe demonſtrat; quandoquidem ex Ariſt. 4. meteor. & ex Gal. 9. de ſimpl.med.c.de terra ſamia, quæ terrena ſunt, & ſicca, proculdubio adſtringunt; he ſunt rationes, quibus inniti poſſe videntur

illi,

illi, qui ſalis, & ſalitorum alimentorum vſum à febricitantium menſa amoueri oportere exiſtimant. Quibus tamen poſt habitis, oppoſitam ſententiam tueri mihi ſemper in animo fuit, dummodo in vtendi modo error non committatur, diſtinctioque fiat de febribus, temperaturis, alijſque rebus, de quibus iam iam dicturi ſumus. In primis enim cenſeo ego eſculenta omnia ſale condiri debere, ſed parcius quàm ſit ægrotanti conſuetum, dum integra ſanitate fruitur. Ita ſiquidem nec prorſus contra conſuetudinem erit, quod omnibus etiam validioris naturæ ſoleat eſſe per quam moleſtum ad inſolita feſtinanter migrare, nec febrilem calorem inde augeri poſſe veriſimile ſit, cum preſertim cibaria queque febrientium qualitate frigida predita ſint, a qua modica ſalis caliditas refrangitur. Quod reſponderi etiam poſſet neganti ſalis vſum conuenire in febribus ob ſiccitatem; febrientes enim omnes potulentis potius, quàm eſculentis, & humidis, quàm ſolidis nutriuntur alimentis, nec non iuſculis, in quibus frigida ſimplicia efferbuerint, frequentiſſimè vtuntur, veluti & ſyrupis, & aquis ſtillatitijs actu, potentiaque frigidis, & humidis, a quibus febricitans ab omni ſalis calore, & ſiccitate precauetur. Quinimò in febrium ſerie quædam reperiuntur humide potius, quàm ſicce, ab humidiori materia progenite, quarum Gal. meminit 6. epid. ſ. 1. a quibus tantum abeſt, vt ſal prohibendum iudicem, vt ferè neceſſariò pro earum curatione illius vſus imperandus ſit, ea ſanè ratione, qua Gal. ipſe 11. de ſimpl. med. fac. caſtoreum exhiberi poſſe refert in febribus non admodum calidis, & potius tepidis, qualis accedit in cataphoris maximè, atque lethargis. De numero harum febrium, in quibus ſal medicamentum in cibis eſſe videtur, malignę ſeu peſtilentes quædam ſunt, ſed ſine peſte, quæ æſtatis, ac autumni potiſſimum tempore vagantes, citra vllam ſitim, cum lingua prorſus humida, & in ſumma tam in intrinſeco, quàm extrinſeco calore mites admodum, & blandæ, neſcio qua potius deleteria facultate, quàm propria eſſentia homines deſtruunt Quotieſcunque enim neque in ſignis calor, neq; ſiccitas reuera adſunt, & multa ſubeſt humiditas, vt in corporibus obeſis, & præhumidis, maxima cum ratione ſal offertur, vt inde coniectura aſſequi poſſumus, quia carnes putredini proximas integras ſeruat, ac immunes, humiditatem ſuperuacuam abſumendo. Quam ob cauſam ſcordium quoque in huiuſmodi febribus mirum in modum prodeſſe creditur, de quo etiam traditur, quòd quæ ab illo tanguntur, carnes vix corrumpuntur. Taceo de angelica, pimpinella, agrimonia, meliſſa, ruta capraria, & alijs non paucis, quæ calidæ, ſiccæ, & adſtringentes quoque ſunt, quæ nihilominus ad huiuſmodi febres debellandas paſſim vſurpantur. Quid dicam de chalcanthino liquore, quod nonnulli e neothericis, preſertim qui chymicis remedijs magis, quam par ſit, vti conſueuerunt, non in his ſolum febribus, ſed in alijs omnibus adhibent, cum tamen huic medicamento nō adſpernenda inſit adſtrictio cum effatu digna caliditate, vt colligitur ex Gal. 9. de ſimpl. med. facultate licet non negauerim liquorem, propter terreſtrium partium vi ignis ſeiunctarum amotionem, tantam non retinere adſtringendi virtutem. De chalcantho autem ipſo ſic ſcribit ibidem Gal. *Conſtat ergo quòd omnium maxime condire, ſeruareque*

carnes

A *carnes humidas poteſt, nimirum caliditate humiditatem abſumens, atque adſtrictione ſubſtantiam contrahens, atque conſtipans; hoc enim opere non nihil etiam humiditatis ipſius exprimit*. Cauſam itaque non video, ob quam ſalis vſum in febribus verè malignis, de quibus Gal. 4. aphor. 43. & 7. meth. 12. nec non in peſtilentibus, & malignis etiam communiter acceptis ſuperſtitioſi quidam abhorreant, ſuis ægrotantibus in hoc moremgerere recuſantes. In quotidianis ſimiliter, tertianis nothis, ſemitertianis, epialis, & in febribus omnibus, quæ non à calida ſolum, ſed frigida, craſſa, viſcidaque materia potiſſimum generantur, concedi mea ſententia debet, cum pro earum debellatione medici ad calamenthum, origanum, hyſſopum, abſynthium, & conſimilia non obſcurè calida, & ſicca deueniant. In ardentibus ſanè, & exquiſitis tertianis, in quibus & ſitis ineſtinguibi-
B lis, & exurens calor vna febricitantes affligunt, æſtuante canicula, & natura picrocholis, libenter ego ab omni ſalis vſu abſtinerem, cum Hipp. etiam in de rat. vict. in acut. loquens de febre ardente ita ſcribat: *Salſum nihil, neque acre exhibeto.* quamuis non me lateat Galenum in curatione tertianæ exquiſitæ commendare potiones, in quibus maduerint apium, & anethum ad prouocandas vrinas, cum ſalubrius forſitan id fieri potuiſſet per ſemina frigida maiora, & minora vocata, iuxta ipſius Gal. doctrinam lib. 11. meth. cap. 10. vbi in febribus curandis per deobſtruentia, iubet nos tantum ijs vti, quæ citra calorem liberare obſtructiones valeant. Vnde lib. 8. eiuſdem oper. cap. 4. calaminthum, & hyſſopum, & origanum, & ſerpillum, & irim, & apium damnare iuſſus eſt, quòd omnia iuſto calidiora ſint, ideoque febres accendant, ita vtique vt vinum. In illis prætereà
C febrientibus abſtinendum à ſalitis cum iuſculis, tum cibarijs exiſtimo, qui ex nimio renum, & lumborum calore, atque laſſitudine, illis fortaſſe in partibus febrili foco vigente, onirogonon frequenter incurrunt, quando ſcilicet ab illa ſeminis excretione virium robur deijcitur. Aliqui enim ſunt, quibus nulla inde noxa accedit, licet alij non mediocriter lædantur. Hoc interdum in medendo obſeruaui, & docuit etiam Hippoc. in Epidemijs. Ideo in fine libri quarti; *Nicippus*, inquit, *in febribus per ſomnum ſemen effudit, & nihil ad peius proceſſit, & hoc ipſi ſæpe factum eſt, & nihil læſit. Prædictum eſt ipſi hoc deſiturum, poſtquam febres iudicatæ forent, & ſic factum eſt.* Critias, ſubiungit, *in febribus ab in ſomnijs vexabatur, quæ nouimus, & ceſſauit etiam ipſe eadem ſomniare vna cum iudicatione*. De Satyro autem in Thaſo, cui ſemen noctu, & inter-
D diu quoque, quàm ſæpiſſimè prodibat, & qui tandem tabidus mortuus eſt, alicui forſitan minime eſſe loquendum videbitur, quod hoc effluuium citra febrim pateretur; id enim ſymptoma in eo incepit, cum viginti quinque eſſet annorum, & peruenit ad trigeſimum vſque. Verum lenta, & fixa, vt puto, febre vrebatur, quam hecticam dicimus, quam opinio eſt Hippocratem ſub tabe comprehendere ſolitum fuiſſe, & Ariſtoteles 6. probl. 31. dum quærit cur genitura in ſomnis ijs profluere ſoleat, qui tabe conſumuntur, per tabidos phthiſicos intelligit, vt ex verbis eius clare elicitur; At ego noui multos ſimplici hectica laborantes,

tes, qui facile, & frequenter in hoc ſymptoma noctu præſertim incidebant, & non pauci reperiuntur, qui citra febrē etiam huic effluuio obnoxij ſunt. Vnde apud Plinium li. 34. cap. 18. de Caluo Oratore legitur ipſum viſa in quiete venerea ſponte naturæ erumpentia vſque in morbi genus pati conſueuiſſe, quæ etiam plumbi laminis lumborum, & renum parti adalligatis cohibuiſſe traditur, vireſq; corporis ſtudiorum labori cuſtodiſſe. Promouet hac de re Ariſtoteles problema ſect. 10. probl. 16 *cur cætera animantia, partim nunquam, partim rarò in ſeminis effuſionem incidant, cum homo ſæpius eam patiatur*, cuius verior a me putatur cauſa illa, quæ ſecundo loco refertur, quia homo maxime animaliū ſomniat, aut cætera animalia non pariter, vt homines ſomniant. Seminis enim per quietem commotio, atque profuſio fit propter imaginationem a phantaſmatibus inhærentibus, earum præſertim rerum, quas vigilantes tractauimus, aut auidè concupiſcimus. Vnde Lucretius lib. 4. de Nat. A B

Tum, quibus ætatis freta primitus inſinuantur,
Semen vbi ipſa dies membris natura creauit:
Conueniunt ſimulachra foris è corpore quoque.
Nuncia præclari vultus, pulchrique coloris:
Qui ciet irritans loca turgida ſemine multò;
Vt quaſi tranſactis ſæpè omnibus rebus profundant
Fluminis ingentes fluctus, veſtemque cruentent.

Huc etiam reſpexit Horatius quadam in Satyra, cum ait.

Hic ego mendacem ſtultiſſimus vſque puellam.
Ad mediam noctem expecto: ſomnus tamen aufert,
Intentum veneri; tum immundo ſomnia viſu. C
Nocturnam veſtem maculant, ventremque ſupernum.

Quod ſal autem (ne longius a re noſtra diuertamus) ludibria illa in ſomno phantaſmata ſuſcitandi vim habeat, tentiginem faciat, & ad venerem tardos excitet maritos, tam notū omnibus eſt, quàm quod notiſſimum. Ideo legitur apud Plutarchum Sympoſ. 5. quæſt. 10. Aegyptiorum ſacerdotes caſtiſſimi cū eſſent, ſale in vniuerſum abſtinuiſſe: adeo vt pane quoque inſulſo veſcerentur. Vbi etiā prope finem ita ſcribit: *Equidem qui canibus alendis operam dant, cum eos ſegniores ad coitum vident, ſalſis cibis, ſalſamentiſque carnium excitat languentem eorum libidinem. Naues quoque ſal vehentes incredibilem murium producunt copiam, hoc fieri dicunt nonnulli fœmellis citra maris coitum ſalem dumtaxat lingentibus; eſt autem probabilius ſalſugine ad coitum mares vtrimque ſtimulari; Atque hac fortaſſe de cauſa pulchritudinem mulieris non ocioſam, non inuenuſtam, ſed gratioſam: & ad permouendum aptam, ſalſam vocant, atque acrem. Puto etiam Venerem a poetis è mari ortam fingi, fabulamque de ipſa editam fuiſſe, tanquam a ſalo natam, vt ſub hoc inuolucro ſalis vim genitabilem proponerent. Omninò autem marinos Deos fœcundos, & multorum liberorum parentes faciunt. Denique de terreſtribus, & volucribus nullum plane inuenies animalibus, quod fœcunditatis gratiá, vel cum quouis marinorum comparare liceat. Atque huc pertinet Empedoclis verſus.* D

Fœcundos

A *Fęcundos piſces inſcitam ducere gentem.*
Cunctis inſuper notiſſima ſunt, quæ de Eliſæo lib. 4. Regum cap. 2. traduntur. Nam cum ad virum ſanctum acceſſiſſent viri Hyericontis dicentes aquas eſſe peſſimas, & terram ſterilem, ipſe poſtquam ſale aquas adſperſiſſet, hæc verba effatus eſt: *Hæc dicit Dominus, ſanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque ſterilitas.* Meritò itaque ſal genitabilis iudicatur, & pro fęcunditatis hyeroglyphico ponitur. Verum mihi fortaſſe obijciet Dominus meus Illuſtriſſimus in diuinis ſcripturis per quam verſatus quod legitur Pſal. 106. *Poſuit terram fructiferam in ſalſuginem a malitia inhabitantium in ea*, & apud D. Hieronymum li. 1. Comm. in Matth. *Certè legimus in ſcripturis vrbes quaſdam ira victorum ſale ſeminatas, vt nullum in ipſis germen oriretur.* Omnis enim locus, in quo reperitur
B ſal, ſterilis eſt, nihilque gignit, auctore Plinio lib. 31. cap. 7. vnde elicitur ſaltem maximam eſſe cauſam ſterilitatis, non terræ modò, cui propterea ſalem antiquitus inſpergere mos erat, quando ob patrata ibi facinora deuouebatur, quod, ne à ſacris libris diſcedam, feciſſe conſtat Abimelech vrbe Sychemorum deleta, cap. 9. lib. Iudicum, ſed etiam hominum, & reliquorum animantium, ſi ſalis natura ad vnguem expendatur. Sanguinem enim ſalſum ſal reddit, ſiccatque vehementer, & acrius efficit ſemen ipſum, quo nullum eſt ad fœcunditatem ineptius. Quartanarijs autem ſalis, & ſalſamentorum vſus interdicendusne ſit, an liberè concedendus, non temerè dubitari poteſt. Quandoquidem Gal. lib. 1. ad Glauc. cap. 11. quartana detentos a refrigerantibus, & exſiccanti-
C bus edulijs arcendos eſſe præcipit, ſed non ita poſt ſynapim, ſalſamenta, diatrionpipereon, theriacam, medicamen ex ſucco cyrenaico, in quód etiam caſtoreum ingreditur, vt patet ex lib. de rigore, quibus ad febrem quartanam euincendam medici vtantur, in medium proponit. Quæ omnia non calefaciendi ſolum, verum etiam exiccandi vim magnam habere, quis non nouit? Hæc autem ſiccantia medicamenta curationi quartanæ minime conuenire multis argumentis contra Galenum nititur probare Alexander Trallianus lib. 12. cap. 8. & ſanè, quæ validè ſiccant, ſi largius aſſumantur, melancholicum humorem terreſtriorem efficiunt, ac magis craſſum, humido eius abſumpto. Ideo Gal. ipſe ſalita cibaria melancholicis aduerſari tradit libro tertio, de
D locis affect. 6. & Auicenna 1. 4. tract. ſecundo, capitulo ſexageſimo quarto, in eundem ſenſum ſcripſit frigefacientia; & humectantia in curatione quartanæ eſſe amplectenda, tantum abeſt, vt his vtendum minime ſit, & ab humidorum vſu arcendi ſint quartanarij, vt habent; de multorum mente, Galeni verba. Quare Leonicenus hanc ſalebram tranſiliens Galeni locum mox adductum in latinam linguam vertens, pro *humectantibus* poſuit *exſiccantibus*. Contraria tamen lectio habetur apud Aetium, Paulum, Trallianum, ac Stephanum Athenienſem; vt præcipiat Galenus ea eſſe fugienda quæ refrigerant, humectantque ſimul, voce humectant, cum voce refrigerant, coniuncta, quemadmodum notat idem Stephanus, & ex

eo probant viri in arte celeberrimi. Alioqui Galenus nec ſibi, nec rationi conſonam rem dixiſſet, cum in morbis omnibus ex melancholico ſucco ortũ ducentibus nihil ſalubrius ſit, quàm humectare, vt experientia monſtrat, & ratio a natura humoris, qui ſiccus, & terreſtris eſt, deſumpta abundè perſuadet. Mirum autem nulli videri debet, quòd refrigerantia, & humectantia ſimul prohibeat; nam cibaria quæ refrigerant ſimul, atque humectant, incraſſant humores, & natiuum calorem, cuius eſt in quartanarijs inopia, præfocant. Ideo etiam ſuillam carnem, quæ alioqui, ſi probe conficiatur, optimum ſuccum generat, & ab eodem, & alijs in tertianis exquiſitis conceditur, in quartana prohibet, quia craſſum, viſcidumque alimentum progignit. Non diſſimili ductus conſilio a victu melancholicorum limacum, thunnorumque carnes penitus arcet, lib. & cap. de loc. aff. iam citatis. Vt ad vnguem igitur tota res hæc intelligatur, dicendum, ni fallor, erit de A ſale, quod Hippocrates in poſtremis verbis libri de affectionibus de vino, & melle, imò quod in vniuerſum de quacunque re pronunciari poſſe ſcribit idem B Hipp. in lib. de Alimento nimirum eſſe ad aliquid bonum, & ad aliquid malum, nec vnos in corpore parere effectus, pro vario illius vſu, ita vt aliquando ſterilitatem, aliquando ſalacitatem ſimul, & fęcunditatem inducere, & ſignificare, nec non interdum in cibis ſuauitatem, interdum verò mordacitatem afferre valeat. Semper enim adeſſe modum in rebus oportet, alioqui ex bonis prauę fiunt, & ex amicis inimicæ prorſus. Hoc in ſale clariſſime cernitur. nam temperatus ſalis vſus mira præſtat emolumẽta noſtro corpori, &, vt de febrientibus loquar, laxata, ac veluti diſſoluta præ nimio calore viſcera in vnum cogit, maiuſque illis robur conciliat, craſſos, viſcidos, lentoſque humores extenuat, incidit, atque C detergit, propterea etiam obſtructa vaſa mirum dictu, quàm fęliciter reſeret, & adaperiat, abſterſoria, qua præditus eſt, virtute, de qua Gal. cum alibi, tum 9. de ſimpl medic. facult. c. de aphrolitro, & 1. eiuſdem oper. c. 39. vbi ſalſis rebus maiorem detergendi, & abluendi vim ineſſe docet, quàm adſtringendi: Diſiectum ventriculum, ac inappetentem ſubleuat; ad ea, quæ offeruntur, promptius aſſumenda, acri ſua qualitate exſuſcitans, ſeu affectio illa contingat ventriculo a craſſis, frigidiſque humoribus, qualis pituitoſi ſunt, oris eius facultatem obtundentibus, ſeu etiam a calidis, & bilioſis tenuibus, eandem facultatem diſſoluentibus, illos quidem attenuando, & diſcutiendo, hoſce uerò ab illa parte detergendo, & ad interanea detrudendo. De ſalis autem caliditate non eſt cur D vereamur, præterquàm in febribus exacte bilioſis, & naturis picrocholis, quibus non niſi quæ manifeſtè refrigerant, & humectant conuenire ratio ſimul cum experimento docet. Nam alijs in febribus magnopere confert, cauſam debellando, & appetendi facultatem, vnde magna vtique ægrotantibus ſalutis accedit occaſio, manutenendo; ne dicam quod noxa, quam acri ſua, & calida qualitate inferre aliqui contendunt, abunde, vt iam oſtendimus, ab vſu refrigerantium, & humectantium infringitur. Eiuſdem quinetiam ſiccitas timenda non eſt, cum modica in modico ſale ſit, & hanc frequens humectantium vſus obſcuret,

A ret, quando præſertim Gal. 7. meth. in curatione ventriculi ſicca laborantis intē perie panem ſalitum cōcedit, præterquam quod febribus pituitoſis, & alijs quoque a magna putredine oriundis, abſque tamen multo, ac euidenti calore ſicca ſua qualitate mirum in modum ampliatur. Vnde in febribus illis malignis, & peſtilentibus, quę occulta potius, quàm manifeſta qualitate patientes affligunt, oleum ſalis arte chymica extractum, quo Andreas a Glauuen Medicus Germanus ad aurum potabile reddendum vtebatur, referente Matthæolo lib. epiſt. 4. mihi ſummopere arrideret, ſi aliqua cum aqua cardiaca frigida dilutum, & caſtigatum daretur. Neque enim huic tantam crediderim ineſſe caliditatem, & acrimoniam, quantam chalcanthino liquori, ad quem hi Hermetici Paracelſiſtæ tanquam ad regem omnium medicamentorum, ad ſacram anchoram, ad po-
B lychreſton medicamentum confugiunt, quòd acidum, quòd acre, quòd frigidū, & quòd calidum, & in ſumma, quodcunque imagineris, exiſtit, ita vt in morbis omnibus, omnibuſque maturis, ætatibus, omnique cōſtitutionibus ſaluberrimè adhibeatur: Ecce nouus Proteus, ecce Galeno incognitū calopodion, quo omnes, & ſinguli calceari poſſunt, & debent. Die tantum, quo quis catharticum ebibit a ſale, & iuſculis, vel pauco ſale conditis abſtinendum puto duplici de cauſa; prima quidem, ne maior intendatur ſitis, quam purgati difficulter ferunt, iuxta illud Hipp. 4. aph. 19. *Quicunque medicamento purgati non ſitiunt, non quieſcunt donec ſitiant*. Secunda verò ne fiat ſuperpurgatio, nam vt alijs diebus hoc etiam habetur emolumenti, quòd naturam ſopitam ſuſcitat, lubricam quæ aluum ſeruat, ita medicamenti electiue purgantis die verendum, ne quaſi calcar adden-
C do temerè purgationem adaugeat. Quoad quartanarios, ego rem controuerſam ita componendam cenſeo, vt diſtinctio fiat de quartanis atrabilarijs hoc eſt atra bile genitis, quales non genuinę ſunt, ab alijs, quæ a ſucco melancholico putreſcente accenduntur, vti verè tales, ac legitimæ nuncupatæ. In illis enim aut penitus a ſale, & ſalitis cibarijs abſtinendum exiſtimo, aut omnino parcè his vti oportere. Ille ſiquidem ferinus humor ab acrioribus tum cibis, tum medicamentis magnopere exaſperatur. Vnde Hipp. 3. de morb. acut. cap. de oximel. temperaturis melancholicis acetum aduerſiſſimum eſſe ſcribit. Ea propter Auicenna de hac ipſa quartana loquens, refrigerantia tantum, & humectantia proponit. In cæteris verò haud ita a ratione alienum videtur, ſalita alimenta propinare, cum ſuccus melancholicus propriè dictus expers acrimoniæ ſit, & a ſalis acti-
D uitate facilè attenuetur, & concoquatur, cuius propterea vſus valde opportunus per id tempus erit, quando & theriacam, & diaſpoliticon, & cætera quæuis medicamenta calidiora, & ſicciora tutò (quicquid hac in re ſentiat Trallianus) exhiberi poſſe præcepit Galenus, cum videlicet notæ humorū concoctionis cernuntur, quo tēpore etiā in alijs febribus ardentioribus vinū prębeti poſſe tradit lib. 11. meth. cap. 9. qui quidem Gal. ſi ſalita cibaria damnat, intelligendus eſt de atrabilarijs, ac de nimio ſalſamentorum vſu, quo ſanguis craſſior valde redditur, & melancholico proximus, & quo tandem melancholia naturalis feruore in ea accenſo in præter naturalem demigrat. Quo ſenſu quoque dici poteſt ſalita

alimenta acrius,quàm par ſit,ſemen efficere,& ob id ad generationem,ac fecun- A
ditatem ineptum. Quo etiam nomine apud veteres terram maledictam ſale ad-
ſpergere moris fuiſſe legitur. De aquis verò Hyericontis nõ eſt,cur loquar,quia
Dei omnipotentis nutu, & miraculo malitia earum a ſalis iniectione fuit expur-
gata,veluti conſentiens eſt omnium Theologorum ſententia. Quod ſi demũ ob-
ſtarent omnia,ſemper ego in febribus,ſal modicum,& modicè ſalita cibaria con-
cedi poſſe exiſtimo, quoniam ſcilicet prope omnes id condimenti genus auidiſ-
timè expetunt,vt nõ rarò indignari, & excandeſcere ægri in medicos videantur,
quòd inſulſa cibaria præſcribant, cum tamen pro ipſis omnino faciat,& acriter
pugnet Hipp. in lib. de Affect. cum dicit: *Quoſcunque cibos, aut obſonia, aut potus
ægroti concupiſcunt, exhibeto, ſi non corpori damnum inde acceſſurum eſt.* & 2. aph. 38.
idem confirmans ait: *Cibus, & potus paulò peior, ſed ſuauior, victus paulò meliori, ſed* B
inſuauiori præferendus. Et Galenus eiuſdem eſt ſententiæ non modò in comm.
aphoriſmi, ſed etiam de alim. fac. lib. 2. c. 27. vbi ſcribens non debere medicum
illius artis eſſe ignarum, quæ obſonia parat, rationẽ adfert in hunc planè modũ:
Nam quod ſuauius eſt, ijs, quæ ex æquo ſunt ſalubria, facilius concoquitur. Idem 6. epi-
dem com. 4. clariſſime nobis fauet, dicens: *Quæ nõ valde nocent, dare interdum his
oportet, qui vehementer ipſa concupiſcunt, & medicum odio ſint habituri, ſi non accepe-
rint, auerſaturique, & nihil imperanti ipſi credituri.* Eodem in loco teſtatur etiam
ſe in ægrotantis gratiã gelidam aquam dediſſe, congruo, & opportuno tempore
minime expectato. Si itaque de Galeni mente cibus arte ſuauior redditus antepo
nendus eſt cibo inſuauiori, quamuis meliori, quanto magis erit concedendus,
qui propria natura ſuauitatem in ſe habeat, & ille pariter, cui ſit patiens vel ab C
infantia aſſuetus, qualis dubio procul eſt modico ſale paratus, a quo minime ar-
cendi ſunt febrientes, & illi maxime, qui legitimis quartanis, nothis tertianis,
quotidianis, alijſque huiuſmodi febribus obnoxij ſunt, in quorum curatione de
virium robore tuendo ſolliciti admodum eſſe debemus, quia chronicæ ſolẽt eſſe
febres illę; Illud autem abſque bona in primis nutritione fieri impoſſibile eſt, ad
quam quidem quantum faciat cibi ſuauitas clarè docuit Gal. cum alibi, tum in
com. mox citati aphoriſmi. Cibis autẽ quæ ineſſe vnquã ſuauitas põt, vel iucun-
ditas abſque ſalis condimento? Quod merito a Plutarcho in ſympoſiacis condi-
mentorũ ſuauiſſimũ nuncupatur, a Platone in Timæo corpus Dijs, & hominib.
peramicũ, & ab Homero tandem in Iliade diuini epitheto cohoneſtatur, canẽte:
Diuino ſale conſperſit. D

Valeant itaque ſuperſtitioſi quidam medici, qui in præſcribenda ſuis febricitan-
tibus diæta, ne modico quidem ac tantillo ſale condita iuſcula, aut ſalita cibaria
attingere permittunt, eoſdem millies in die, ob ciborum inſuauitatem, & inap-
petentiam procuratam, enecantes, & cum Plinio lib. 31. cap. 9. concludamus
hunc ſermonem: *Sale, & ſole nihil vtilius.* Dat. Rauennæ 1611.

QVÆ.

QVAESITVM PRIMARIVM IN VIRO PERILLVSTRI Aretino varijs ſymptomatibus ad caput, & facultates cum motricis, tum rectrices pertinentibus de repente correpto, cui tam curatio quàm præſeruatio ſimul mittitur.

I.

An, & cur morbus fuerit Epilepſia non autem Apoplexia.

B Quæſita Secundaria octo.

I.

Cur Epilepſia aliquando citra corporis concuſſionem fieri poſſit.

II.

Vtrum ſemper in bonis habendum Epilepticos corpore non concuti.

IIII.

Cur, & quomodo P. epilepticus, maniacus, & melancholicus eſſe potuerit.

IV.

Cur prædicta mala per eſſentiam fuerint, non per conſenſum.

V.

C *Cur de eorundem recidiuatione dubitari, & non dubitari poſſit.*

VI.

An, & quando conueniant Amuleta, & Periapta *Gratis dicta.*

VII.

Cur dicat Auicenna; Plures ſanat confidentia ægrorum, quàm auxilia Medicorū.

VIII.

Cur ineuitabilis ſit excrementorum prouentus.

Ad Principem Illuſtriſsimum.

D IN ſtatim, Illuſtriſſime Domine, ab initio mei Reſponſi, quæ fuerit, me iudice, natura malorum, a quibus vir perilluſtris de quo mihi ſcribere dignatus es, tam acerbe non ita pridem vexatus fuit. Scriptum eſt ab Hippocrate lib. 6. epid. ſect. 7. circa finem: *Melancholici comitiales fiunt, comitialeſque melancholici:* & Aetius a comitiali morbo furorem interdum exoriri memoriæ proditum reliquit. Quod quidem vt fieri contingat, infra explicabitur. Nunc autem oſtendamus apertius quod paulò ante ſubobſcurius in noſtri ſermonis exordio ſignificauimus, nimirum relata in literis ad nos miſſis ſymptomata epileptica fuiſſe, nec non melancholica, & maniaca, vt morbi eſſentia conſtituta, rectum iter in curandi methodo pergamus.

Nam *Medicus qui ſuffecerit ad cognoſcendum, idem ſuffecerit ad ſanandum*, eodem Hipp. auctore in lib. de Arte. Quod itaque ſymptomata illa ad epilepticum, ſeu ad comitialem morbum attineant, non eſt, arbitror, cur in dubium reuocetur. Quandoquidem poſt ingentem cum mentis, tum corporis ſegnitiem, atq; torporem, oculis primo in ſtar dormientium clauſis, diem verò propè acceſſionem adapertis, ac toruis, & ad locum determinatum, non abſque aſtantium terrore, fixis, derepente, & extemplo capitis tremore, & oculorũ inuerſione corripi, ſenſu omni, ac motu arbitrario priuari, & in terram (quod ſi non euenit, nulla alia fuiſſe cauſa dicitur, quam quod ei auxiliares manus ſubiectæ ſunt) prolabi, cum maxima labiorum, & faciei tortura, quæ tertet amplius momento temporis obſeruata, mox etiam delituit, an non clare indicant affectum præter naturã epilepticum proprie ſumptum fuiſſe? Scio equidem non deeſſe, qui pro attonito, aut apoplectico magis contendant, quibus nec ego admodum reclamabo, non ignorans quanta inter vtrumque affinitas intercedat, in cauſa præſertim, & in affecta ſede, vt ſola maioris, vel minoris vehementiæ diſcrepantia ab inuicem differre credantur. Sed nihilominus, vt de Epilepſia magis ſuſpicer, multa ſunt, quæ me mouent, inter quæ non minimum illud eſt, quòd prædicta accidentia intra paucarum horarum curriculum ter repetere viſa ſunt, non adeo poſt euaneſcentia. Quod ſane de Apoplexia affirmari non poteſt, vt pote quæ aut fortis eſt, aut debilis, maior, aut minor, hoc eſt vel vere apoplexia, vel potius, vt vocat Oribaſius, hemiplexia, quos gradus Gal. ſecundum menſuram, & conditionem læſę reſpirationis diſtingui a nobis oportere ſcripſit 3. de loc. aff. 7. Vtra verò ſit, audiamus obſecro Hipp. 2. aphor. 45. *Apoplexiam fortem ſoluere impoſſibile eſt, debilem vero non facile.* Præterea quamuis tam in apoplexia, quam in epilepſia eadem ſit materialis cauſa, & idem affectus locus, nihilotamen de Gal. mente, in eo maxime diſſonant, quod in epilepſia ſemper eſt motus deprauatus, nempe conuulſio, quam tãquam proprium ſacri morbi characteriſmũ ibidẽ eſſe vult, ſed huiuſmodi motu conuulſorio prorſus carent apoplectici. In perilluſtri aũt Viro euidentiſſimus fuit tum oculorum, tum faciei motus deprauatus; Quod ſi aliquis objiciat motum illum deprauatum nõ fuiſſe vniuerſalem, ſed capitis tantummodo, nec fortaſſe totius capitis, reſpondeatur cum Hollerio lib. 1. cap. 16. de Inter. Mor. Cur. in Scholio, quod epilepſia aliquando fit in cerebro tantum, ſine vlla partium ſubiectarum concuſſione, ſed ſolius capitis, quod licet rarũ ſit, a ſe tamen annotatum, & obſeruatum fuit in ſacerdote quodam annos 30. nato quod paulo infra vberius confirmabo. Nec inſuper eſt, quod alter objiciat torturam illam oris non ſemper maxillarum, ſeu neruorum, & muſculorum maxillarium cõtractione gigni, ſed ſæpe etiam eorundem neruorum, & muſculorum alterius tamẽ lateris relaxatione, iuxta illud Pauli. *Non quæ contracta pars eſt paralyſim habet, ſed oppoſita;* ideoque ad paralyſim magis, quam ad ſpaſmum cynicũ proprie dictum, qui ſolet eſſe epilepticis familiaris, vt illa apoplecticorum propria faciei contractionem eſſe referendam; quoniam vt talia objicięti primum libenter concedam, ita ſecũdum nulloprorſus modo. Huiuſmodi enim contractio in

A ctio in partem ſanam ex ægræ relaxatione nunquam, quod ego ſciam, viſa eſt tam citò diſolui, quique coram ægrotante præſentes aderant, forſan obſeruarũt labium, facieique partes frequenter more ridentium contorqueri. quod mihi veriſimile fit ex motu præſertim oculorum tremulo, cuius literæ mentionẽ faciũt; Ad hæc quis vidit vnquã in Medicina facienda apoplecticũ ab acceſſione liberũ citra paraplegiam, cũ præſertim non ſolũ Diocles, & Praxagoras apud Cęliũ Aurelianũ, verũ ẽt Gal. 2. de cauſis ſym. 2. dixerit, apoplexiã eſſe totius corporis, vel capitis paralyſim? Linguam ſolũ audio in loquendo non ita expeditũ motũ habere, ac antea, ſed cũ exigua admodum lęſio ſit, vt vel ab illis, qui perilluſtris Viri quotidiana conſuetudine vtuntur, vix dignoſcatur, nullius momenti eſſe mihi videtur, & iam fortaſſe penitus euanuit. Præterea omnimoda perpeſſo-
B rum malorum obliuio, & quæ antea fuerint facta, vel dicta, conſequi non poſſe, epilepticos in primis concomitatur. Siquidem Gal. ait, *cum memoriæ viribus ratio pariter afficitur*. Quod infortunij genus ægrotanti omnino contigiſſe ſcribitur. Quare viſcida, ac lenta materia, quæ ex ore prodibat, forſitan non ſine ſpuma fuit, quam Paulus inter certas epilepſiæ notas recenſet, licet quoque in apoplecticis non rarò cernantur. Imò dixit 2. Aphor. Hipp. ex apoplecticis, eos nõ ſeruari, quibus circa os ſpuma apparuerit, quod ſiue de ſimplici reditu ad ſalutẽ, ſiue de reditu ad integram, & perfectam ſanitatẽ intelligatur, quod magis Gal. & Arabum doctrinæ congruum videtur, cum alioqui etiam illi, quibus ſit ſpuma circa os, ſeruentur, & ferè ſemper apoplectici huiuſmodi, ſi ſeruantur, ac ſani
C ſiunt, paralytici euadant, vtrolibet modo noſtram confirmat opinionem. Nam patiens vita ſuperſtite, vitalique aura, Deo fauente, fruitur, & ne vllum quidem in eo perpeſſi mali veſtigium remanſit. Poſtremo non eſt ſilentio inuoluendũ, quod qui cadunt apoplectici ſentiendi actum, ſi non facultatem, quam ſolummodo præpeditam habent, omni ex parte amittunt, ſed epilepticis non ita idẽ prorſus euenit, in quibus plerumque obiecta etiam non adeo improportionata ſentiẽdi vis aliqua ſeruatur. Hinc propterea Vir præclarus ex admoto naribus aceto veluti à ſomno expergefieri, & à ſymptomate ſuſcitari videbatur, ne dicã quod aliquando per modicum tempus ad interrogata appoſite reſpõdebat. His itaque principijs, & rationibus concludimus præteritum malum nullum aliud
D fuiſſe, quam epilepticum, quod eſt ſymptoma in genere noxæ functionum omnium animalium ſenſibilium, motricum, & principum, inſequens morbum in via, non in nuda intemperie, velut ex eo probat Gal. quod citò fiat, & citò deſinat, nempe occluſionem ventriculorum cerebri, medij ſcilicet, maximeque poſtremi, a craſſa, viſcidaque materia eoſdem ventres ſemiobſtruente progenitam, aduerſus quam cerebrum dum inſita facultate, vt rem noxiam à ſe longe protrudat, inſurgit, motu quodam præter naturam ſingultui, & ſternutationi ſimili concitatur, quem partes omnes per neruos, & muſculos ad illas pertingentes inſequuntur, ideoque totum vna cum cerebro corpus concuti ſolet. Sed quia nulla hic de huiuſcemodi vniuerſali concuſſione mentio fit, ex quo aliquis contra aſſertionem noſtram dubitandi arripere poſſet occaſionem, quomodo huic

per me

per me eundum ſit, non valde ante ſignificaui, cui ſatis eſt oculorum, & faciei A
conuulſiuam retractionem adfuiſſe, ne dicam etiam quod Auice. cap. proprio *Multoties*, inquit, *fit epilepſia abſque ſpaſmo ſenſato*, & ante eum Celſus. *Modo cum diſtenſione membrorum probabitur aliquis, modo ſine illa.* At vnde hoc in non nullis contingit? An quia materia pauca eſt, vel tenuis, vel benigna? An quia malum per conſenſum, non per eſſentiam eſt ortum? In noſtro nihilominus ægrotante aliam ob cauſam illud ipſum eueniſſe crediderim, nimirum quia à copia pernicioſæ materiæ obſtruentis virtus ipſa cerebri ferè obruta ſuccumbebat, vt parũ abfuerit, quin ex toto fuerint ab ea occluſi ventriculi, & ita apoplexiam, non epilepſiam fecerit. Vnde non ſemper in bonis habendum, vt perperam quidam autumant, epilepticos concuſſiuo motu carere. Alterum ſymptoma Viri perilluſtris priore nihilo mitius, ſignificatum eſt ſupra ad illam mentis alienationem B
pertinere, quæ mania dici poteſt, aut potius typhomania hac vna ratione, quod antequam furijs agitaretur, profundo ſomno, & magno quodam torpore grauaretur, quemadmodum etiam poſt furias, non tam ex virium defatigatione, quam ex contrariorum affectuum ex contrarijs cauſis in cerebro vigentibus miſcella facta; quam ferinam deſipientiam conijcere non difficile eſt ex eo, quod calcitrabat, è lecto proſilire, & è cubiculo ingenti cum excandeſcentia erumpere conabatur, ex oculorum notata ferocitate, de qua Hipp. 6. epid. *Oculi ferocitas delyrium portendit*: & in Prorreth. *Quibus conuulſis oculi fixi relucent, non apud ſe ſunt.* Melancholicum quoque pathema atteſtatur phantaſma illud, ſeu ſpectrum menti oblatum hominis eum alloquentis, propinati veneni corrupta ima C
ginatio, multa, ac inania verba, pia licet, & ſacra, atque febris carentia. Ad quorum quidem affectuum efficientes cauſas me confero, quibus ignoratis impoſſibile eſt, eos ex Arte tum curare, tum præcauere. *Cauſæ enim ſunt, quæ conuenientem curationem oſtendunt*, Gal. auctore 1. ad Glauc. 14. Quantum itaque ad comitialem morbum ſpectat, puto ego in eximio patiente genitum fuiſſe a duplici ſucco craſſo, pituitoſo, & melancholico, ad cerebri ventres iã dictos tranſmiſſo, nec non comprehendente, & opplente ſimul exortus neruorum illorum, qui ad oculares, & maxillares muſculos deriuantur. Per melancholicum tamen ſuccum non tam proprie dictum intelligimus, quam ſuperaſſatam bilem. Pituitoſam materiam hic abunde procreat ventriculus frigida, & humida intemperatu D
ra detentus, vnde frequens ſaliuatio, & nulla vnquam ſitis. Ad cuius humoris generationem acceſſere quoque externi errores varij, non modo in cibo, & potu; ſed in alijs etiam rebus non naturalibus, præcipue vero circa animi paſſiones, & mentis labores, propter literarum ſtudia, quibus aſſidue deditus eſt, & in uarijs, ac importunis corporis motionibus, quibus omnibus magnam in corporibus noſtris cruditatum colluuiẽ in dies coaceruari, nemo eſt, qui ignoret. Quę quidem crudiora excrementa vt paulatim, ac ſenſim collecta, & in multitudinẽ adaucta fuerũt, ita nuper æris, & Cęli mutati occaſione commota ad cerebri intimiora loca delapſa ſunt, ſicque epilepſiam promouere. Indicia autem perquã manifeſta frigidi huius, & pituitoſi humoris in capite collecti, fuere capitis grauitas,

A uitas,cum profunda ad ſomnũ propenſione,veluti illa,de qua in literis fit men-
tio,excretio lentæ, viſcidæque materiæ per os ipſum defluxæ, quæ dubio pro-
cul pituitoſum erat excrementum. Alterius humoris craſſi quidem, ſed nõ om-
nino frigidi,imò etiam num igneas,vt ita dicam,portiones retinẽtis, generatio
in hepate potiſſimum iuſto feruidiori celebratur,cum acceſſerit præſertim cali-
dorum alimentorum, & generoſi, ac meraci vini frequens vſus, acceſerintque
ſimul continuæ animi curæ,& vigiliæ,quæ ambo humores ipſos exacuũt.Quo
nigro, & exuſto humore abundare noſtrum ægrotantem præcipuè verò in ca-
pite,ex mixto affectu partim ſcilicet maniaco,& partim melancholico ſatis ſu-
perque probatur,ne dicam eiuſdem prædominium indicari à corporis gracili-
tate, & hiſpiditate, nec non & à mira ingenij perſpicacia, vnde & a Phauorino
B apud Gellium huiuſmodi mentis alienatio pathos Heroum vocatur. Puſtulæ
præterea capitis ſicciores,vt effectus ſunt illius humoris,ita & ſigna Phlogoſis,
quæ olim in dextro brachio,& capite inſtar eryſipelatis emicuit intẽſo cum ar-
dore, & aſpredine, quæque tandem in paruas ſquamulas aridiores in modum
furfuris, vel cineris permutata abijt, & ipſa ſuperaſſati humoris ſoboles eſt.
Quid mirum igitur,ſi nunc,vt refertur, à vino quantũ vis diluto & oligophoro
tam magnam illicò noxam perſentit? ignea nanque ab igneis quam facillimè
accenduntur. Quoniam autem maniacus affectus nec aſſiduus fuit,nec vnifor-
mis,ideo non ex intemperie,in qua perpetuum fit,ac vniforme delyrium, pro-
ueniebat,ſed ex affluxu exuſti,& mordacis ſucci,quò ſpiritus ignea potius, quã
tenebricoſa affectione tentabantur; quod aliter ſtatuendum de melancholico
C pathemate,a quo videtur continuè moleſtari. Ideo quod cum mæſtitia vitã tra-
ducat, maximoque timore, ne rurſus, quæ ſopita videntur, mala erumpant, &
reuiuiſcant, nulli mirum eſſe debet, quia melancholicus etiam eſt. Vbi enim ti-
mor, & mæſtitia longo tempore perſeuerauerint, ex eo melancholiam ſignifi-
care tradit Hipp. Quia nimirum,vt in maniaco furore ſpiritus quaſi ignei eua-
dunt,ita in melancholia atri, & caliginoſi fiunt, quorum gratia melancholicis
ipſis illud idem euenit,quod pueris in tenebris contingere ſolere Gal. affirmat.
Ab epilepſia autem ad melancholiam in temperaturis melancholicis quàm fa-
cilis ſit tranſitus,ex ſuperius allato Hipp. loco omnibus abundè conſtat,quã de
re legi etiam poteſt Gal. lib. 3. de loc. aff. cap. 7. & nos breuiter ex iiſdem dica-
mus,dum ſupradicti humores in corpus cerebri iſtius patientis repebant, & ad
D illius membri ventres demandabantur,epileptica ſymptomata concitabant,dũ
verò à ſuperaſſata bile igneas etiamnum vires retinente animales ſpiritus ſu-
pra modum incaleſcebant, furor ille maniacus oriebatur, qui etiam valdè gra-
uior,ac diuturnior fuiſſet, niſi a frigiditate, & humiditate pituitæ retuſa eſſet
æſtuantis humoris acuties. A quo ſimiliter humore inſtar carbonis denigrato
ſpiritus ipſi tetri,& ſyluestres, vt habet Auic. redditi pathema melancholicum
efficiunt;& hæc de cauſis dicta ſint ſatis. Multum verò refert in epilepſia tractã-
da,vt & in mania ipſa, & melancholia; nam & ab aſcendentibus aliquando in
cerebrum calidis vaporibus delyrij ſpecies oritur,& melancholiæ propriè dictę

tres

treſ dari differentias, nemo eſt, qui neſciat, non ignorare per conſenſum ne fiát, A
an per eſſentiam. Haſce omnes affectiones ego, ne multis immorer, per idiopathiam fuiſſe exiſtimo, quoniam caput eximij Viri intemperatum eſt, & vtroq; humore, licet pituitoſo magis, refertum, quam etiam ob cauſam tremorem in dextro brachio, & diminutam viſionem in ſiniſtro oculo quatuor ab hinc annis patitur. Id quod ſimiliter arguitur ex vehementia ſymptomatum, & ſubita eorum generatione. Quod ſi breui facta fuit eorundem veluti diſcuſſio, hoc ideo contigit, quia tenuior, & calidior adhuc materia ad ſummam cutim a natura ipſa per futuras, & alias vias illi haud incognitas, craſſior verò, & frigidior per canales expurgando cerebro deſtinatos reiecta eſt Sed quid de futuro rei euentu? & quæ nam ſpes de propoſito Patiente habēdæ Epileptica, & maniaca acceſſio remeabit ne, & per interualla quædam reuireſcet? Profecto hic diuinatione eſt B
opus. Nam ſi ex vna parte ætas peracmaſtica, ſeu decreſcens, poſt quam huiuſmodi capitis affectus à pituitoſis, & melancholis humoribus oriūdi inualeſcere ſolent; ſi calidi innati pauperies, & ſi denique partium principalium antiquę, ac inter ſe ſe parum concordes intemperaturę à nobis cōſiderentur, quemadmodum omnia per peſſa ſymptomata, quę ſecundum eſſentiam, & dignitatem grauiſſima eſſe apparent, magna cum ratione de reditu, & recidiuatione dubitare poſſumus, nec non de maxima in curando difficultate; ſi ex altera parte conſideretur, quod iam dictæ ætatis homines in victus ratione minus delinquere, imò valde prudentius ſe gerere ſolent, vnde & ab Hip. ſenes iuuenibus minus ęgrotare traditur, quodque declinante ætate non rarò morbi multi a calida affectione ſuam ducentes originem per ſe deſinunt, de Hipp. & Gal. ſententia 5. Epid. C
vbi de ſyntrophis morbis verba faciunt, & deniq; ægrotantis ipſius promptitudo ſubijciendi ſe ſe Medicorum pręceptionibus, nō omnino diffidendum, quin in meliorem omnino ſtatum, quam nunc ſit, reduci poſſit, accedente maximè, pro vt ſperamus, Dei. O.M. auxilio, ad quod eo magis confugiendum nunc eſſe iudico, quò huiuſcemodi potiſſimum mala diuini aliquid in ſe habere credūtur. Quibus hunc in modum prælibatis ad medendi methodum accedēdum eſt, quæ quidem, vel reſpicit morbum iam præſentem, & acceſſionem ipſam, vel impendentem tantummodo, & tempus ab acceſſione remotum, quod intermedium vocant. Futuro morbo nulla debetur curatio, ſed ſola prophylactice, præſenti verò curatione obuiam imus, quamuis hoc in mali genere de præſeruatione potius, quam de curatione ſoliciti eſſe debemus. Sępius enim acceſſio per ſe citra D
vllum Medicinæ auxilium aboletur, ac ceſſat, quæ tamen ſi vlterius protrahatur, & ad remedia pro illa abigenda tranſeundum ſit, facultas primo, quæ veluti ſopita iacet, proritanda, aut aceto acerrimo, in quo decoctio facta ſit thymi, pulegij, caſtoreique naribus admoto, aut rutæ folijs contritis, & olfactui oblatis; quæ ſi tanquam leuiora non conferant, valentiora in actum deducantur, vti ſunt oleum balſaminum vulgò dictum, & quod ex lateritio lapide eximunt, ſi naribus olfacienda ſubjciantur. Caſtoreum quoq; oxymelite ſcillino exceptum pro narium illinitione maxime conuenit, veluti pro palato, theriaca, mithridatum,

A tum, & anacardina confectio valdopere celebrantur, quorum tamen vſum ſuſpectum aliqui habent, vbi corpus totum ante acceſſionem vacuatum non fuerit. Præſentaneum paroxyſmi remedium habetur in os epileptici aquam cerasorum dulcium vi ignis extillatam infundere, nec non oleum cranij humani chymicum vnà cum aqua pœoniæ. Laudatur etiam quod ſequitur R. Caſtorei ℥. ij. Belzoini ℥ j. Diſſolue in oxymelitis ſcillitici vncia vna cum dimidia, & cochleari diſtractis dentibus ingeratur in gulam. Auerſio pariter à capite tempore acceſſionis omni ſtudio procuranda, quam prius à membrorum frictionibus cum linteis aſperis inchoare, mox verò clyſmis, & balanis acrioribus, imò etiam, neceſſitate vrgente, pilulis cochijs, & aureis Nicolai, modica aqua pœoniæ dilutis, ac vi quadam ore adaperto propinatis, perficere debemus. Arcta deligatio,
B quæ fit ſcroto, efficaciſſima cenſetur. Aetius lib. 6. ca. 16. magnum pedis digitũ ſcarificabat, vt materiam capitis morbificam ad partem ſauciatam auocaret, & vnà ſimul facultatem vnde quoque obrutam, & ſopitam excitaret. Nos hodie, malo perſeuerante, quando ſcilicet vel vnica tantum acceſsio prorogatur, vel vni nondum finitæ mox alia ſuperuenit, veſicantia cruribus, & fęmoribus affigere ſolemus, & aduſtionem ſincipitis, vel occipitis multi libenter deſcendunt, quorum conſilium & ego in praxi non infeliciter inſecutus ſum; quæ pauca ſufficient pro curatione paroxyſmi epileptici, & cuiuſuis ſoporoſi cerebri morbi; ad alia noſtrum conuertamus ſermonem. Quoniam igitur ſuperſunt adhuc reliquiæ morbi præteriti, nec integrè hucuſque cerebrum ab excrementis liberum eſt redditum, dubio procul aliquis etiam curationi locus eſſe videtur,
C & propterea crediderim eſſe inſiſtendum per aliquod temporis ſpatium apparantibus materiam, nec non purgantibus, auertentibus, reſoluentibuſque; veluti & cerebrum ipſum corroborantibus. Ratio autem præparandi hoc in caſu humores, varia eſſe debet, pro varia eorundem natura. Alter enim frigidus eſt, & humidus; Alter verò aliqua ex parte calidus, & omninò ſiccus, qui tamen ambo in craſſitie conuenire videntur: Apparant pituitoſam materiam mel roſ., oxymel ſcillinum, ſyr. de ſtæchade, de bet. de corticibus Citri, cum aquis, vel decocto bet. hyſſopi, meliſſæ, & ſem. pœoniæ, euacuant poſtmodum mel roſ. ſol., Agaricus trochiſc. pilulæ cochiæ, elephanginæ, aſſaieret, maſtichinæ, fętidæ, & ſimiles; Exuſtam verò melancholiam præparant ſyr. de lupulis, de pomis ſimplex, de ſucco bu-
D gloſſæ, cum aquis, vel decocto ſcariolæ, endiuiæ, bugloſſæ, & violarum. Educunt ſyr. de polipodio, infuſum myrobalanorum Indarum, ſenæ, epithymi, Diaſena Nicolai, confectio hamech, pilulæ Indæ, de lapide lazuli, Armeno, & electuarium de epith. Mont. Ex quibus omnibus non ardua res erit Medicis præſentibus tam præparantia, quàm euacuantia præſcribere, quæ humores iſto in corpore peccantes reſpiciant. Interim ſanguinis aliqua euacuatio nullo pacto emittenda erit, ſed quia iam hyemale tempus eſt, quia corpus gracile admodum, & in eo

Z cacochy-

cacochymia potius, quam plethora peccare obſeruatur, eſſem huius ſentẽtiæ, A
vt ſanguis ipſe non niſi per venas podius extraheretur, cuius euacuationis be-
neficio ſcimus maniacos in primis,& melãcholicos admodum ſubleuari, quod
Alcyppi hiſtoria ab Hipp. in epid. relata clariſſime docet. Auertunt in epilepſia
clyſteres ex dec. primulę veris, chamęmeli, ariſtolochię, mercurialis, radicũ pœo-
niæ, pulegij, & centaurij minoris, additis ol. rutaceo, hiera pura, & melle roſ.
In mania tamen, quando ſola eſt, clyſteres a nobis fiunt magis ex folijs viol. la-
ctucæ, altheæ, maluarũ. ſem. frigidis maioribus, ol. violaceo,& ſaccharo rubro.
In vſu errhynorũ apophlegmatiſmorũ, mixta eſſe debent medicamenta, pro vt
etiam mixti ſunt in cerebro affectus, ideo ex ſuccis radicũ. pęonię, foliorum ſam-
pſuchi,& melicrato, nec non ex ſuccis viol. maluarum, & aqua hordei cum ſac-
charo hic confici poſſunt. Sic in ſerie reſoluentium, & diſſipantium humorũ re- B
liquias,& vna cerebrum,& ventriculum ſiccantium ſimul, & roborantiũ, inter
ea, quæ per os ſumuntur,& frigida potius cerebri excrementa reſpiciunt, in pri-
mis ſunt mithridatium, theriaca, diamoſchus dulcis, & amarus, conſerua Acori,
Anthos, ſaluiæ, & deniq; cortices citri ſaccharo conditæ. Mirabiliter etiã huiuſ-
modi excrementa diſcutit decoctũ chinæ, viſci quercini, & lentiſci, cum bugloſ-
ſa, acetoſa, betonica,& ſem. pœonię. Inter admota verò extrinſecus adhibita ſũt
inunctiones, lotiones, cucuphę, pulueres capitales, & cerata, quæ omnibus no-
tiſſima ſunt. Pro maniaco autem affectu ad corrigendam ſcilicet capitis,& ſpiri-
tuum calidiorem intemperiem, neceſſe erit admiſcere Diamargaritum frigidũ,
electuarium de gẽmis, conſeruas roſ. nymphęę,& viol. imò pro hepate,& ſuccis
mordacioribus æſtiuis pręſertim tẽporibus, magnopere illi cõduceret, aut aqua- C
rum cichoracearum, aut caprilli ſeri depurati cum ſuccis lupulorum, & cichorij
vſus frequens,& hæc intrinſecus. Inter ea vero, quæ extrinſecus capiti adhiben
tur, non contemnenda interdum irrigatio ex roſaceo, ſucco polygoni, & modi-
co aceto, aut ſaltem quæ ex ſolo lacte fieri aliquando ſolet, vt pro iecinore epi-
thema ex aquis cichorij, roſacea, ſem. portulacæ, camphora,& ſpica nardi. Quo
tempore quoque cordis habenda eſt ratio, pro ut iubet Auic. in omnibus melan
cholicis affectibus, præſertim epithemate parato ex aquis bugloſſæ, roſar. nym-
phęæ, acetoſæ, aceto roſ. trochiſcis de camphora,& Diamargarito frigido. Quę-
ritur in literis, an vſurpanda ſint Amuleta, ſeu Periapta quædam præcipuè quæ
ſecreta quadam facultate, a tota ſubſtantia vocata, epilepticos iuuare credũtur,
inter quæ pœonia recenſetur. Reſpondens liberè fateor me eiuſmodi rebus nõ D
maiorem fidem habere quàm verbis, & characteribus, quibus cum ſint quanti-
tates, nullam vim ineſſe Peripatetici teſtantur, de quibus propterea vel Paracel
ſus ille ſic ſcripſit. *Syrupi, & apoſemata ſunt medicinæ hominum; verba, & chara-
cteres Dæmonum*. Non tamen vndequaque talia medicamenta aſpernenda eſſe
videntur, ſaltẽ quatenus, ſeu quando patiẽtes ipſi magnopere illis credunt, & in
eorũ auxilio cõfidunt. Phãtaſia.n. imperiũ hẽt in ſpiritus,& humores, morborũ
parẽtes; Vnde illud credo Auic. *Plures ſanat cõfidentia ægrorũ, quã auxilia Medico-
rũ*. De Pœonia tñ epilepticorũ collo appenſa nõ idẽ cẽſeo, qđ de alijs Periaptis,

& Anu-

A & Amuletis.nã hæc,& præſentẽ epilepſiã ſanare,& imminentẽ cohibere cũ rõne putatur. Vaporoſa.n.eſt,odorata,& citra vehementẽ calorẽ reſiccat,Gal.auctore 6.ſimpliciũ. Quamobrẽ pœoniæ maris radix tranſuerſim inciſa, & coronæ modo conſuta,colloque appenſa minime eſt negligenda Profilactice magis perficitur,per quæ cauſas morborum declinamus. Ideo accõmodata illa omnia ſunt,quæcunq; a victus ratione, ſeu rebus ſex non naturalibus Medicis ſugguntur. In primis ego de aere,ſub quo degat Patiens,ſoliciti eſſe debẽt Medici, quia ille nimirũ eſt,ſine quo neq; ſanitas retineri,neq; morbus tolli poteſt. Vnde fugiendus aer intemperatus,qualis eſt nimium humidus; caliginoſuſq; potiſſimum varijs ventis incõſtãtibus agitatus,& omnino eligendus contrarius, moderate videlicet ſiccus,clarus,& quietior quam fieri poſſit, quod ſi non ita,
B facile ſit,ſaltem exceſſus qualitatum in aere, cæterarum rerum non naturalium contrarietate corrigantur. Alimentorum vitetur multiplicitas, eorum præſertim,quæ frigidum nimis craſſum ſanguinem gignunt,vt pariter,quæ nimis calida, & quæ vis cibaria virtutis ſint non admodum valentis, vt concoqui facilius poſſint,nec non euchyma,ſeu quam minimum excrementitia, cum in cibis etiã quantum vis homogeneis ineuitabilis ſit excrementorum prouentus Cur?quia nil nobis tam ſimile reperitur quod non habeat aliquid diſſimile. Ordo inſuper in cibis ipſis aſſumendis non contemnatur,quoniam præpoſtere illos ſumere alimenta dicebat Gal. qui humida ſiccis, tenuia craſſis non præmittunt, & potus proportione reſpondeat eſculentis; Cęna ſemper ſit prandio minor; Re-
C pletiones, & ſatietates, quæ præcipuè in commeſſationibus cumulantur, tanquam ſumma pernicies fugiendæ: Ventris inanitio, qua capitis partes omnes maximopere iuuantur, ſingulo quoque die fiat, arte, ſi natura obliuiſcatur. Vigiliæ nimiæ melancholicis familiares,etiam ſoporiferis arceri debent; ſomnus tamen diuturnus minime conuenit,vt nec diurnus, & qui ſtatim a cibis initur: exercitatio corporis ante cibum,ſeu ambulatione fiat, ſeu leui geſtatione, nunquam dimitti debet. Ablegantur mærores, timores, curæ, & ſtudia. Longum denique valedicatur Veneri,quam Democritus paruam epilepſiam vocare con ſueuerat. Quibus omnibus finem imponam, ſi tamen prius duo addam electuaria,quę & ipſa ad præſeruationem prædictorum affectuum facere omnino poſ-
D ſunt, quorum primum ſic ſe habet: Recip. ſem. Pœoniæ vnc. j. Tormentillæ, Ligni viſci quercini, Raſuræ eboris an.dram.j. Diamargaritonis frigidi, Diaiacynti an.dram.s. conſ. Anthos, Acori, roſ. boraginis, an.℥.s. ſyr. de acetoſitatę citri, & de ſthecade ſingulorum q. s. fiat electuar. ſecundum vero ſic fieri poteſt. Recip. conſ. bugluſſæ,boraginis, Anthos an. vnc.j. s. confect. Alchermes ℥.ij.elect. lętific.Gal.& de Gemmis ãn.ʒ s.pul.rad. Pœon.Ariſtol. an.϶.j. Raſurę eboris,Cornu Cer.Corall. an.϶.ij.cum ſyr.de hyſſopo, & boragine f. Mixtura. Horum vſus eſt a cęna, hora ſomni; primique quantitate mediæ vncię, alterius quantitate nucis auellanę maiori, minoriue,prout Medicis præſentibus magis vtile fore videbitur. Ex quibus omnibus non difficulter colligi poteſt à Medicis in Arte verſatis, quænam mea ſit ſententia de natura

variorum malorum, quibus æger nobiliſſimus correptus fuit; & de præſidijs A tam in curatione particularis acceſſionis, quam in totius morbi præſeruatione faciendis; quod ſi aliqua generalius tantummodo ſunt propoſita, eſſet admiratio, quia de ijſdem, vt iuſſiſti, ſpecialius ad ægrotantem ipſum per aliam epiſtolam ſcribitur. Faxit D.O.M. vt quantulacunque ſint, aliquam ei afferant vtilitatem, Tibique in primis, Illuſtriſſime, & Sapientiſſime Princeps, non diſpliceant; quandoquidem.

Principibus placuiſſe Viris haud infima laus eſt.

Vale, & diu fęlix viuito. Datum Rauennæ Kalendis Decembris 1611.

QVAESITVM PRIMARIVM OCCASIONE B
munerum, quæ in Natiuitate Domini hinc inde mittuntur.

I.

An Cappares, & Alices muria condita corporum ſaluti conducant, & ex iiſdem munuſculum ad vniuerſaliorem lætitiam faciat.

Quæſita Secundaria octo.

I.

An Chriſtianorum conſuetudo inuicem mittendi, & accipiendi ſtrenas, & fœlicem annum ominandi in ſanctis Natiuitatis Domini feſtiuitatibus, & Kalendis Ianuarijs apud Ethnicos antiquiſſimos eodem tempore foret in vſu. C

II.

Cur eadem nobis & vetita, & conceſſa ſit.

III.

Antidora quid eſſent Veteribus.

IV.

Cur Salomon in Periphraſi ingruentis ſenij dicat: & diſſipabitur Capparis.

V.

Cur dicat Auic. piſces ſalitos velocem ſubire corruptionem. D

VI.

Cur ſalita etiam ad impinguanda corpora, & lac vberius producendum conducant.

VII.

Cur ſolemne eſſet in ſacris peragendis, vti ſale.

VIII.

Cur in ſacrificijs quidquam mellis minimè adoleretur.

Ad

A

Ad Reuerendiſſ. D. D. Ioan. Baptiſtam Stellam Referend. nunc Epiſcopum Bitontinum.

MIttunt omnes his diebus Natalitijs Saluatoris Noſtri IESV Chri-
ſti, ac inter initia noui Anni hinc inde varia, & promiſcua mune-
ra; magnum profectò communis lætitiæ argumentum. *Neque enim
fas eſt, locum eſſe triſtitiæ, vbi Natalis eſt Vitæ, quæ conſumpto morta-
litatis timore, ingerit nobis de promiſſa æternitate lætitiam*, vt ait S. Leo Papa ſerm. 1.
de Natiuit. Domini. Qui mos licet apud Chriſtianos ab eo potiſſimum tempo-
re ad hanc vſque noſtram ętatem promanaſſe videatur, quo Magi illi & Sapien-
B tes Chaldæi aurum, thus, & myrrham ſtella præuia, infanti Domino obtule-
runt, nihilo tamen apud Ethnicos etiam, ac veteres illos Romanos tale quid-
piam fieri ſolitum fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Siquidem Kalendis Ianua-
rijs fœlicem annum totum ominari ſolebant, ſtipem ſibi inuicem offerentes.
Cuius oblationis originem ad Tatium Regem refert Symmachus lib. 5. epiſt.
4. per hæc verba. *Ab exortu pene Vrbis Martiæ ſtrenarum vſus adoleuit auctore
Tatio Rege, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ anni noui auſpices primus ac-
cepit.* Ex quibus nominis quoque ratio elici poteſt, quamuis Sextus Pompeius
aliter ſtatuat. Munera etenim, quæ inuicem mitti, & remitti ſolebant ab ami-
cis illo anni temporæ, ſtrenæ dicebantur; de quibus Suetonius in Tyberio men-
tionem faciens, ait. *Item ſtrenarum commercium ne vltra Kalendas Ianuarias exer-
C ceretur, conſueuerant quadruplam ſtrenam de manu reddere.* Dabantur ſiquidem
ſtrenæ ipſæ non ſolum inter priuatos inuicem, ſed & inter priuatos, ac Princi-
pem. Vnde Auguſtum etiam illa die huiuſcemodi munera recepiſſe conſtat,
ſed ità parce, quamuis omnes ordines vbertim ea offerrent, vt tantummodo
ſummarum ſtrenarum aceruos delibaret, neque ex quoquam plus denario au-
ferret, reſiduum in publica opera expendens, eodem referente Suetonio, qui
ſimiliter de Caligula ſcribit, eum ſumma auaritia permotum edixiſſe; ſtrenas
ineunte anno ſe recepturum, ſtetitque propterea in veſtibulo ædium Kalendis
Ianuarijs ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus, ac ſinu omnis ge-
neris turba fundebat. Veruntamen cauendum omnibus verè Chriſtianis hoc
facere exemplo, & imitatione Gentilium, quia vetitum Pontificio iure *Can. Nõ
D obſeruatis.* 26. q. 8. & cautum præterea a Concil. Turonenſi 2. capit. 16. *Ne ſe-
cundum errorem antiquum quiſquam coleret Kalendas Ianuarias.* Quare Zacharias
Papa *Can. Si quis 26. q. 7. Si quis*, inquit, *Kalendas Ianuarij ritu Paganorum colere,
vel aliquid plus noui facere propter nouum annum præſumpſerit, anathema ſit.*
Qua propter dum viget hæc apud nos omnes Chriſti fideles conſuetudo, &
a Summis Pontificibus permittitur, vt in ſanctis Natiuitatis Domini feſti-
uitatibus, & per initia anni noui ſtrenæ mittantur inuicem, & recipiantur,
clarum eſt, a nobis ipſis fieri, non vt Paganos, & ſuperſtitioſos illos huius
Vrbis veteres incolas imitemur, ſed omnino propter bonum Saluatoris noſtri

ortus nuntium, Magos, de quibus in Euangelio, imitando; Hinc ergo multiformia per vrbem ſanctam cernuntur dona circumferri, potiſſimum verò, pretioſis omiſſis rebus, mellita, & ſaccharacea tragimmata, & Marci Medici panes; imò Tu ad me, præter tot cydonitis optimæ vaſa, aliaque multa ſecundæ menſæ bellaria, pullos etiam gallinaceos, & aliquot Albani vini lagenas miſiſti. Vnde colligo te abſque vllo prorſus dubio legiſſe librum tertium Eſdræ cap. 9. ad finem, vbi verba quædam habentur ad hanc rem noſtram magnopere facientia. *Dies hic ſanctus eſt Domino; Digreſſi ergo manducate pinguiſſima quæque, & bibite dulciſſima, & mittite munera his, qui non habent. Sanctus enim eſt hic dies Domini, & nolite mæſti eſſe.* At ego nequeo niſi ſalſa, niſi acria, & amara, imò irridenda potius, quam accipienda remittere, quæque longè diſtant a remunerationibus; aut illis, quæ pro acceptis muneribus reddi ſolent, antidora vocat Vlpianus tuus B
magis, quàm meus titul. de pet. hæred. per hæc verba. *Planè ſi antidora acceperunt, dicendum eſt eatenus locupletiores factos, quatenus acceperunt, velut genus quoddam hoc eſſet permutationis.* Sed qui quod habet mittit, ſatis mittit; hoc etenim tempore mihi amara, & mœſta ſunt omnia. Cauſa non vna, ſed multiplex, ab vna tamen omnes, & illa quidem à tribus Deo notiſſimis. Vtinam per hæc Deus ipſe, qui quos amat corrigit, & caſtigat, me aliquantulum à ſe alienatum, ac tantorum beneficiorum quaſi immemorem factum, excitare dignatus ſit. Mitto itaque piſciculos in Liguſtico mari captos, muria conſeruatos, Alices vocant, neſcio an idem ſit piſcis cum eo, qui *Alex*, ſiue *Alec* interprete Theodoro ab Ariſt. *Menis* appellatur; mitto & cappares ex altis, & petroſis Liguriæ montibus ad me miſſos; munuſculum ne quæſo deſpicias; ab amico enim Medico prouenit, C
qui ſic etiam amici ſaluti conſulit, & generali gaudio quoquo modo poteſt reſpondet. Sed interim videor audire Te eo, quo præditus es, ingenio, & ſingulari, qua polles, eruditione, obijcientem, neutrum eſſe verum, temereque a me id muneris mitti, quippe quod ſanitati in primis parum conducere, & malum quoque omen ſignificare videtur; Ideoque nec amico Medico dignum, nec præſenti hilaritati congruum. (Id quod primarij quæſiti rationem habet, cum reliqua huius maximè cauſa ſuborta ſint.) Malum omen, quia 12. Eccleſiaſt. vbi ſenectutis ingruentis, & ad extremum vſque procedentis, atque adeò ipſius interitus periphraſis continetur hæc verba leguntur: *Florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis*; accedit, quod Ariſtot. ſect. 20. probl. 12. capparim ſepulchris maximè adhærere ſcripſit; qui locus ſapientiſſimi Hebræi obſcura D
verba de diſſipatione capparis explicare quibuſdã videtur. Saluti corporis minimè proficuum duplici de cauſa, vna quia Auic. 7. tertij cap. 2. de conſeruatione dentium refert, piſces ſalitos velocem recipere corruptionem. *Ex quibus,* inquit, *eſt, vt ſibi caueat à frequenti corruptione cibi, & potus in ſtomacho propter rem in ſubſtantia cibi, & eſt, vt ſit recipiens corruptionem velociter, ſicut lac, & piſces ſaliti;* altera, quoniam acria quæuis, ſalſa, & amara naturæ infeſta ſunt, ac vitæ contraria, &, ne diſcedamus à cappari, Philemon Comicus victitantibus aſparago perinde, ac thymo, capparique extenuationem corporum videtur exprobrare, vbi

ruralis

A ruralis parſimoniæ penitentem virum in ſcenam producit, querentem ſcilicet, quod rus, vt Medici conuenientia ægrotis tantum eſculenta ſubminiſtret.

Atque per Iouem
Innata petris obſoniola capparim.
Thymumque & aſparagum, & alia huiuſmodi
Quàm vereor extenuatione prænimia.
Ne me cadauer exanimum humi deſerant.

Cum qua Philemonis ſententia conuenit Dioſcoridis locus, in quo nulli rei capparim dicit eſſe vtilem, nempe adeò tenue eſſe nutrimentum eius, vt nullam afferat vtilitatem, Quinimò Amatus Luſitanus cent. 2. curat. 3. de quodam meminit, qui ob capparum multarum vſum in quædam ſymptomata grauia con-B cidit. Poſſunt enim cappares inter ea, quæ diſſecandi, & extenuandi facultatem obtinēt, collocari, quibus ſi quiſpiam vberius vtatur, &, vt nos docet Gal. cap. 2. de cibis boni, & mali ſucci, vel ſeroſum, vel bilioſum, vel melancholicum ſanguinem efficiunt; Et ab Auic. ſecundo gradu calidæ, & ſiccæ vocātur, ne dicam, quod earum ſubſtantia ſalis cauſa prauum præbet nutrimentum, bilioſum ſcilicet, & ſalſuginoſum, quo quidem membra tabefieri, & emaciari receptum eſt apud omnes Medicos. Hinc Plutarchus in quæſt. natural. lib. 1. ſcribit plantas rebus ſalſis neutiquam nutriri, quia huiuſmodi alimentum terreſtre eſt, & ideò commodum pro alendo eſſe non poteſt. Quam rem, ni fallor, Plutarchus didicit, ac mutuauit à Theophraſto, qui lib. 6. de cauſ. plant. cap. 14. cauſam quærēs, propter quam in plantis non inueniatur ſapor ſalſus, ſed alij ſapores, tradit id C euenire, quod talis ſapor alendo ineptiſſimus eſt. Ad tacitam verò obiectionem de piſcibus, qui nutriuntur in mari, reſpondebat, eos non nutriri aqua ſalſa, neque ſalſis ſuccis, ſed aut dulcibus, aut acidis, aut alijs, quæ inueniuntur in mare. Prima autem obiectio diluitur reſpondendo, quòd cappares aliquem in iubilationibus locum habere poſſunt, quoniam, vt affirmat Pierius in Hieroglyphicis, Hebræi per capparim, quam Auiona dicunt, modò amorem, modò deſiderium, modò concupiſcentiam circumſcribunt, ideoque ita loquitur. *Decepti ſunt, qui noſtris diebus ſcripſere capparim venerem perfrigerare*; & confirmat Salomonis verbis in præadducto loco, quod tunc eſſet libidinis ardor, cum capparis nulla eſſe cęperit. Adde etiam quod Auic. lib. 2. cap. 102. ſcribit capparim generandi potentiam iuuare, & venerem inſtigare, quæ in ſenibus torpida, & quaſi mortua D iacet, præterquam quòd hic non de plantæ capparis diſſipatione loquimur, ſed de fructus moderato vſu. Ad ſecundæ obiectionis partem primam dicatur, piſces ſalitos velocem ſubire corruptionem, non abſolutè, atque ſimpliciter ab Auic. intelligi, eo quod diutius, experientia teſte, ſeruantur imputres, quemadmodum cætera quæque ſale condita, ſed aliarum rerum ſalitarum comparatione, inter quas conſtat, piſces ocyus corrumpi, & rancorem facilius contrahere. Ad ſecundam verò genericè, vt aiunt, nec ita medicè reſponderi non inepte poſſet cum Seneca Herc. Oet.

Haud eſt nocens quicunque non ſponte eſt nocens.

Tu

Tu enim ſcis neminem ea poſſe dare, quibus ipſe careat. Edico rurſum mihi A
quæuis amara eſſe,& infauſta omnia, à quo propterea dulcia,& palatum,velut animum exhilarantia expectanda non ſunt. Attamen addo, & ſeriò, maximè te eſſe iuuatura quæcunque miſi tam acria, quàm ſalſa; quia nunc corpora plurimis cibarijs præſertim dulcibus ſatura ſunt,& nimis etiam repleta pituitoſis humoribus, quibus omnes hyberno potiſſimum tempore ſcatent. Dicit namque Hipp. 2. de Dieta; *dulcia,& pinguia facilè noſtra corpora replere, quia ex modica mole multum diffunduntur*; quo facit illud Pſalmographi: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*. Vnde facilè oriuntur inappetētia, vaſorum propè omnium plenitudo,& obſtructio. At hæc ipſa promptè ſanant cappares, ſalitique piſces, & in ſumma acria, ſalſa, & amara quæuis, nimiam carnis humiditatem exiccando, & in modicam molem contrahi faciendo, oſcula demum venarum aperien- B
do, & expurgando. Quæ cuncta capparibus maximè inſunt ex diuerſis quibus conſtant facultatibus, vt nos Gal. docet. 7. de ſimpl. med. Nam ſui amaritudine capparis extergit, purgat, & incidit, acrimonia verò excalfacit, incidit, ac digerit; acerbitate autem contrahit, denſat, atque conſtringit. Vnde Actuarius de ſpiritu animali lib. 1. cap. 4. *Porrò*, ait, *capparis facultate alia ventriculum confirmare creditur, atque alia humores hunc ipſum occupantes abſtergere, alijque item diſſecare; ac viſcera infarctu liberare*. Ad ea, quæ aduerſus cappares adducebantur de ſymptomatibus poſt illarum æſum ſubortis, dicerem cum Hipp. lib. de alim. *Omnia eſſe, & aliquid bona, & ad aliquid mala*, tuncque ſolum veritatem in ſe continere, quando liberalius, quàm deceat quis illis vtatur. Parcè enim cappares comedi debent, ac medicinæ tantum ratione. Addatur his omnibus, quod Apollonius C
Herophili diſcipulus ad emaciatos impinguandos cibarijs ſale conditis vtebatur, eo quod facilius penetrent; ſic etiam videmus Auic. quicquid alij in contrarium cenſeant, in lactis paucitate emendanda, eiuſque abundantia procuranda ſalita minimè vetare, quippe quæ, ſi modicè ingerantur, ſunt veluti reliquorum vehiculum, faciuntque vt ipſa tanquam ſuauiora promptius à ventriculo amplexentur, & conſequenter melius concoquantur, & in aliti ſubſtantiam quantocyus conuertantur. Vnde Plutarchus lib. iam cit. quæſt. 4. præter Apollonij medici teſtimonium tradit etiam paſtores ad ſaginanda pecora ſale vti ſolere, præterquam quòd naues, quę ſalem deuehunt, multos producunt mures, quod nullo pacto fieret, niſi ſal ad nutritionem ſimul, & generationem conduceret. Silebo ne hoc in loco, quod cap. 2. Leuitici legitur: *Quidquid obtuleris ſacrificij* D
ſale condies, Et rurſum. *In omni oblatione offeres ſalem*. Imò ſolenne fuiſſe video, non ſolum in veri Dei, ſed etiam falſorum Deorum Sacrificijs, ſale vti, quod nō difficulter elicitur ex Plinio lib. 31. cap. 7. vbi ſalis habet encomium: *Maximè autem*, inquit, *in ſacris intelligitur eius auctoritas, quando nulla conficiuntur ſine mola ſalſa*. Veriſimile enim eſt falſos illos, apud Ethnicos, ſacrorum miniſtros, Demone ſuaſore, à veris ſacerdotibus eam accepiſſe conſuetudinem, quam & Plato in diuinis libris lectitandis perbelle cognouit, & ideò in Timæo ſcribit: *Sal Deo amicum corpus*; quia ſcilicet ſal ſymbolum eſſe videtur integritatis, & incor-

A ruptionis,ac proinde innocentiæ. Sicut enim,& incorrupta ſeruat quæcunque eò condita reponimus,teſte experimento,& Ariſt. 2 6. ſect. probl. Inſtar omnium tibi ſit,quod Deus dixit ad Aaronem cap. 18. Numer. *Pactum ſalis eſt ſempiternum coram Domino, tibi, ac filijs tuis;* Quo in loco pactum ſalis vocat, ideſt ſacrificiorum,aut Sacerdotij,quia in omni,quæ fiebat,oblatione,ſal aderat,aut,quod alij magis volunt, pactum ſalis dicit, hoc eſt, pactum perpetuum, quia vbi ſal, ibi nulla corruptio. Cui ſanè rei manifeſtè fauent quæcunque a Diuo Hilario produntur in Homilia tibi notiſſima, in qua Saluatoris noſtri verba illa enarrantur: *Vos eſtis ſal terræ.* Vtroque autem ſenſu cum præſenti re mea maxime conuenit. Quinimò auſim dicere,quando de communiori cum Deo lætitia agitur, ad id magis accommodatum cenſeri poſſe munuſculum meum ſalitum, B quam dulciora tua,& mellita munera. Tibi enim haud ignotum eſſe noui, delicias ingratas eſſe Deo, & delicioſos homines, non præſtare Deo ita grata,& accepta ſacrificia,vt voluptatum contemptores,& dolorum patientes. Nimirum quia, & hic finis erit, ob voluptatem res improbas agimus, & ob dolorem res poſthabemus honeſtas, vt tradit Ariſtot. 2. Ethic. cap. 3. Ideò loco iam citato Leuitici præcipitur,vt quidquam mellis nō adoleatur in ſacrificijs: Mel etenim præ ſui dulcedine ſymbolum deliciarum eſſe nemo eſt,qui ignoret. Quæ cum ita ſe habeant, Reuerendiſſime Antiſtes, velis, nolis, fatearis oportet,in pauco munere contineri,quod Medicum ſapit,quod amicum,& quod communi Chriſtianorum iubilo reſpondet.

C

QVÆSITA PRIMARIA QVATVOR OCCASIONE colloquij de vſu frequentiori oxymelitis in natura gracilioribus, & de cæpe, ac ſcillæ virtutibus.

I.

An oxymel naturis gracilioribus, & imbecilliori ventriculo præditis vtile ſit, necne.

II.

An mador ex varijs partibus ſæpè oboriens à frequenti vſu oxymelitis prouenire poſſit.

D III.

An cæpa, & ſcilla, vt forma non valdè differunt, ſic uires habeant ſimiles.

IV.

Cur cæpa decreſcente Luna augeatur, creſcente imminuatur.

Quæſita Secundaria Nouem.

I.

An vera ſit Gal. ſententia, oxymel cunctis ætatibus, & naturis conuenientiſſimū eſſe.

II.

Cur oxymel non vno, & eodem modo parari ſemper debeat.

An

III. A

An Trallianus rectè increpet Galenum in oxymellis vſu pro tollendis obſtructionibus ab humore melancholico oriundis.

IV.

Cur cæpe vſus & iucundus, & non ita noxius ſit, ſcillæ verò & iniucundus, & pernicioſus, cum tamen illa æſtuoſior hàc eſſe feratur.

V.

An cæpa vt auditui commoda, ita vice uerſa oculis, & viſui infenſa ſit.

VI.

Cur eadem lethargum in nobis facilè gignat.

VII.

An inter ſe diſcrepent Dioſcor. & Gal. in aſsignandis ſcillæ virtutibus. B

VIII.

An dyſenteriæ curatio per cæparum eſum, vt eſt 12. metho. Gal. temeraria prorſus foret.

IX.

An, & quæ diuretica in dyſenteria conueniant.

Ad Eundem.

NOn minus grata, & iucunda nunc menti meæ ſunt Quæſita perpulchra mihi enodanda abs te, Reuerendiſs. Domine, propoſita, C quàm fuerint guſtui, & palato, quæ non ita pridem dono miſiſti tum vina, tum alia grati admodum ſaporis. Vereor ſolum, ne, quemadmodum pro dulcibus, & euchymis, amara, & cacochyma remiſi, ita, quam excogitaui, & impręſentiarum per epiſtolam mitto, Quæſitorum ſolutio perſpicaciſſimo ingenio tuo, & opinioni, quam de me concepiſti, haudquaquã ſatisfaciat. Conabor tamen totis viribus, vt in iam concepta opinione magis magiſque cõfirmeris, & ſimul cognoſcas, valetudinem tuam à Medico regi, qui quò longius a curis, & rebus aulicis abeſt, eo maiorem bonarum literarum ſtudijs, & medicæ diſciplinæ myſterijs operam impendit, neglectis omnino calumnijs, ac detractionibus eorum, quibus pro me illud Senecę ex D epiſt. 113. obijcere non ſemel conſueuiſti: *Aduerſus virtutem hoc poſſunt calamitates, & damna, & iniuriæ, quod aduerſus ſolem nebulam poteſt*; vbi enim per calumniam, vel inuidiam infęlix accidit ſucceſſus, ſecundo vento ad Muſas nauigare licet. Quod Plato ipſe fecit, referente Plutarcho de Tranq. Animi, poſtquàm naufragium amicitię cum Dionyſio paſſus fuit. Proponebas itaque ante omnia, an oxymel naturis gracilioribus, & vẽtriculo imbecillIori vtile ſit, necne, & meritò ſanè, atque argutè, quoniam licet ex vna parte Gal. cap. 12. de cibis boni, & mali ſucci, expreſsè tradat acetum mulſum, ſeu oxymel omnibus ętatibus, omnibuſque naturis accommodatiſſimum eſſe: Huic enim maximè ineſſe illa dicitur facultas, qua prędita quęuis alia medicamenta corpori infinita

pręſtant

A pręſtant emolumenta, & ſalubria appellantur, attenuandi ſcil. vim habentia, de
quibus audias, obſecro, quę ab eodem Gal. ibidem referuntur; *Neceſſe eſt cru-
dos, craſſoſque humores, vel concoqui, vertique in ſanguinem, vel in putredinem labi
non ſecus, ac quæ calidis in locis diutius manſerint. Quamobrem inuenta a Medicis me-
dicamenta ſunt, quæ ſalubria appellantur, tenuandi ſcilicet vim habentia; ea namque
adſtrictos meatus obſtructionibus liberant, ac, ſi quid lenti humoris infixum vaſis, hæ-
renſque fuerit, abſtergunt, craſſaſque humiditates attenuant, ac diſſecant*; Ex altera
nihilominus parte alicui ſuſpecta videbitur prędicta Gal. ſententia de oxymeli-
te, quoniam in gracilioribus naturis, cuiuſmodi tua exiſtit, & in imbecilliori ſto-
macho noxium potius videtur eſſe, quam vtile, eo quòd Aetius ſerm. 5. cap. vlt.
hęc habet verba. *Hipp. & Gal. dixerunt oxymel commodum eſſe corporibus, quæ craſ-
B ſis, & glutinoſis humoribus ſint referta, minimè puris, & carentibus excrementis, aut
ijs, quæ ex tenui, vel acri fluxione laborant, aut quæ neruoſas partes ſenſu inſigni præ-
ditas habent*. Auic. 1. tert. tract. 4. cap. 17. in curatione manię docet cauendum
eſſe ab eo, in quo ſit ſubtiliatio, deſiccatio, & inciſio, ſicuti eſt oxymel; & clarius
Alex. Trallianus lib. 12. cap. 1. loquens de ſynocho imputri a craſſis humoribus
obſtruentibus orta, multis probare conatur, neque temperaturis, neque humo-
ribus ſiccioribus oxymel conuenire, ideoque damnat oxymelitis vſum in ſyno-
cho illa imputri, quæ ex obſtructione ab humoribus melancholicis facta origi-
nem ducit. Atqui dicebat Philoſophus 4. meteor. *Quæ craſſe facta ſunt à ſicco, non
à ſicco, ſed ab humidi diſſolui*. Quare cum Tralliano vbi obſtructiones dependent
C ab humoribus ſiccioribus, quales ſunt melancholici, oxymel nullo pacto con-
uenit. Præterea quomodo naturis gracilioribus confert oxymel, ſi talibus natu-
ris tanquam bilem habentibus mel tantopere aduerſatur? Veriſimile eſt inſuper
acetum, quod eſt huius compoſiti bona pars, ea ratione ventriculo frigido obeſ-
ſe, qua nocere tradit Hipp. 3. de rat. vict. 38. melancholicis, & mulieribus pro-
pter vterum; & qua pariter notabat Gal. neruis quam maximè contrariari, quod
exangues ſint, & frigidi. Tandem non ne proditum memorię reliquit. Gal. 2. me-
tho. ad calcem cap. 2. oxymel inteſtina radere, tuſſim excitare, & neruoſa lędere?
Vnde Auerr. 3. collect. cap. 17. ita de oxymellite ſcripſit. *Ad hæc oxymellis vitium
vuæ paſſæ emendant; radit namque alioqui, ac mordet neruoſum omne genus, & gulam,
ventriculum, atque aſperam arteriam*. Quamobrem non vndique tuta res eſſe vi-
D detur, oxymelle, vti, nec vndequaque vera eſſe Gal. ſententia, qua cenſet omni-
bus ætatibus, & cunctis naturis conuenientiſſimum eſſe. Antequam verò ad hęc
diluenda me conferam, ſciendum Tibi, eſt, varia eſſe oxymellitis genera, præſer-
tim apud antiquos, vti oxymel Iuliani, cuius meminit Gal. 2. catatop. 1. Paulus
lib. 3. cap. 13. & Alex. Trall lib. 1. cap. 10. & lib. 2. cap. de podagra ex pituita, oxy
mel ſpleneticum, & oxymel pro calculoſis, quorum ſimiliter Paulus meminit
lib. 7. cap. 2. At noſtris temporibus tres potiſſimum in vſu ſunt oxymellitis ſpe-
cies, nempe oxymel ſimplex, oxymel compoſitum, & oxymel ſcilliticum, quæ
omnes incidendi, attenuandi, detergendi, & aperiendi facultatem habent, licèt
oxymel compoſitum, & ſcillinum dictum multo valentiora ſimplici ſint. Præ-

terea neque vna, & eadem ſemper eſt ſimplicis oxymelitis compoſitio, vt cum A alibi, tum 4. de ſanit. tuen. nos docet Gal. vbi miratur Medicos illos, qui ſub vna determinata menſura oxymel ſemper confici iubent, quos quidem ait perinde facere, ac illos, qui volunt omnes bibentes pari, & eadem prorſus menſura vino aquam permiſcere, non intelligentes, aliquibus, qui potui aquoſiori erant aſſueti, caput illicò tentari, ſi paulò meracius biberent, & nonnullis qui meraciori potione oblectantur, ſi magis dilutum hauſerint, ventriculum ſubuerti. Quamobrem concludit non vna, & eadem menſura perpetuò conficiendum eſſe oxymel, ſed aliquando maiori, & aliquando minori cum mellis, tum aceti quantitate, prout morbus, & guſtus etiam eius, qui aſſumere debet, poſtulare videntur. Nam & illud oxymel naturæ ſumentis fore per quam vtile, & conuenientiſſimum ſcribit, quod vtique iucundiſſimum eſt contra aduerſiſſimum, quod iniucundum. Scias itaque velim mirabiles eſſe dotes, & facultates, quæ oxymeliti a B tot ſeculis ab omnibus Medicis attribuuntur, præſertim verò ab Hipp. & Gal. 3. de rat. vict. in acut. quia inter cœtera oxymel illud magnificè præſtat, quod corpora a putredine, & obſtructionibus præſeruat, vel iiſdem laborantia feliciſſimè ſanat, dum craſſos, lentoſque humores attenuat, atque detergit, vt propterea in hoc laudandi ſint Mutinenſes illi Medici, qui oxymelitis vſum Tibi imperarũt. Quæ verò contra adducebantur, ex eo facilè diluuntur, quòd cum de oxymelite verba facimus, de mira quadam mellis, & aceti compoſitione ſermonem intelligi volumus, in qua ſimul commixta mel, & acetum, adeò ſeſe mutuo contemperant, vt & omnis caliditas mellis auferatur ab aceto, & omne damnũ aceti emen C detur facultate mellis. Ideò etiam dicendum eſt, acetum quidem per ſe ſolum, & ſeparatum aduerſum eſſe melancholiæ, neruis, vtero, & ventriculo, ſed minimè oxymel, quoniam vis aceti exſiccatoria, & frigida egregiè in hoc compoſito correcta eſt. Inſuper nec formidari debet oxymelitis vſus in bilioſis, eò quod mel in bilem promptè demigret; nam mel ſolum non accipitur, ſed cum melle acetum, quod illius caliditatem infringit; & iuxta non diſſimilem rationem Hip. & Gal. in febre cauſo pro potu mulſam propinabant, coctam tamen, & valdè dilutam, quæ potio temerè a quibuſdam damnatur, vt alibi diffusè magis oſtẽſurus ſum. Quantum verò ad obiectionem ex Trall. pertinet, quæ pariter ex Galeno deprompta videri poteſt 10. meth. cap. 9. dici poteſt, acetum eſſe potentia ſiccum, ſed actu humidum, cuius actualis humiditatis gratia, & partium quoque quibus D conſtat tenuium nomine poteſt quam facillimè etiam quæ a ſicco craſſefacta ſunt diſſoluere, a quo propterea gẽmas, & lapides alios quotidie ſolui videmus. Quidni ergo humores craſſefacti a ſicco cum Galeno ope oxymelitis diſſoluentur? Attamen illud certe veriſſimum quod Gal. loco metho. citato tam de oxymelite, quam de quouis alio medicamento ſcriptis mandauit, *nullum ſcilicet in tota arte inueniri auxilium, quod citra aliquam noxam magnopere proſit.* Vnde mirum non eſt, ſi quicunque oxymelite & frequentius, & copioſius quam par ſit vtatur, etiamſi corpus ipſum non gracile, ſed plenum, & craſſum foret, temporis tandem progreſſu ex hoc medicamento aliquam ex recenſitis a Gal. noxis

contrahat.

A contrahat. Hinc ego in te non oxymel, ſed importunum eius vſum aliquando improbaui, ex eoque magna ex parte factum arbitror, vt circa frontem, & ventrem in primis, ac pectus leues illi madores ſubinde cum moleſtia olim apparerent. Iam enim ſupra ex Gal. lib. de cib. boni & mali ſucci cap. 2. oſtenſum eſt, medicamenta attenuandi, ac diſſecandi vim habentia, ſi eis aliquis ſæpe, & vberius vtatur, vel ſeroſum, vel bilioſum, vel melancholium procedente tempore ſanguinem efficere. Vnde mea fuit ſententia, vt ratione craſſiorum humorum, quibus & in ventriculo, & in meſeræi regione abundare ſoles, conſueto oxymelite vtaris, ſed & aromatizato, vt vocant, & doſi minori, quam hactenus factum ſit, & eo denique diluto iuſculis tibi familiaribus; ita namque exiſtimauerim te oxymel vndique cum vtilitate poſſe vſurpare, dummodo illud ſummo

B mane accipias cum primum è lecto ſurgis, ita vt cibus ſerò poſt oxymel ingeratur, quoniam difficilè admodum talia in ventre conficiuntur medicamenta, præſertim in ijs, quibus ſtomachus languidiuſculus ineſt, neque enim antea rectè factum, dum per horam tantummodo antequam menſæ accumberes, illud aſſumebas: Hæc pauca de primis Quæſitis, nunc reliqua ab eodem fonte ſuborta proſequamur. In cępa, & ſcilla quicquid ſit de ambarum forma extrinſeca, illud certò mirum eſt, quod cępa, quam Gal. 7. de ſimpl. medicina ex eis, quæ quarto ordine excalefaciunt, eſſe dicit, & multo ante Hipp. 2. de diæta, non ſolum calidam, ſed æſtuoſam quoque appellat, vſque adeò grata, vt iucunda multis exiſtit, vt eam vel crudam quotidie inter palato amica, & familiaria obſo-

C nia habeant. Scilla autem, quam idem Gal. 8. eiuſdem operis in ſecundo tantum ordine calefacientium collocat, ſit adeò praua, vt venenoſa, ac lethalis exiſtimetur. Pro qua tollenda ambiguitate reſpondendum cum iuris doctiſſimis, & præſertim Amato Luſitano centuria quarta, quod cępa tametſi quarto gradu calida ſit, eius tamen caliditas craſſis partibus miſcetur, à quibus commanſa obtunditur, adeò vt in nutriti ſubſtantiam abeat, quibus fauent panis, & alia, quibus veſcimur, edulia, quæ cæpæ miſcentur, & eius infringunt caliditatem; vnde à calore corporis vincitur, tranſmutatur, & in nutriti ſubſtantiam vertitur. In ſcilla verò caliditas illa, & inciſoria uis ſecundum gradum attingens, ſuperficialis eſt, nullis craſſis partibus mixta, qua ratione

D commanſa ſtomachum, & interna membra, quæ attingit, facilè vellicat, & vlcerat. Inſuper de cępa habemus, quod tam ſi admoueatur oculis, quam ſi edatur, eos contriſtat, & lacrimas mouet, propter cauſam, quam adfert Ariſtot. ſect. 20. problem. 22. Vnde Quintus Serenus de ſucco cæpæ ita canit.

Qui grauis eſt oculis, ſenſum tamen auribus auget.

Quod enim grauiori auditui conferat ratio cum experimento demonſtrat; ideò namque Medici in aurium affectibus frigidis cum materia, præcipuè verò ad ſurditatem, & ſonitum, poſt corpus totum, & caput diligenter expiatum, vt

materia euaporet,& flatus craſſitudo diſcutiatur, eidemque exitus via aperiatur A
inter alia ponunt intra aurem liquorem ab ipſa cœpa extractum. Hanc enim
prius excauatam aliquo oleo, vti amygdalino, præſertim ex amygdalis amaris,
aut laurino, replent, addentes puluerem cyclaminis, aut rotundę ariſtolochiæ,
aut caryophyllorum,& ſubter carbones excoquunt,poſtque fortem expreſſio-
nem liquore illo vtuntur, quo & ego in non nullis fœlici cum euentu vſus ſum,
ità vt de vtilitate ſucci cæpę in auditu iuuando nulla ſit dubitatio; ſed an idem
viſui, & oculis ſemper ſit infenſus, non adeo determinata res eſt, quia ſcribit
Hipp. 2. de diæta. *Cæpa viſui commoda eſt, corpori verò mala, quia calida eſt, &
æſtuóſa.* Pręterea legitur apud Dioſcòridem vbi de cępa verba facit,quod ſuccus
eius cum melle illitus oculorum hebetudinibus, argemis, nubeculis, & inci-
pientibus ſuffuſionibus auxiliatur. *Porrò cæpæ ſuccus,* inquit Gal. *ijs, qui ſuffuſione* B
*oculorum laborant, aut aciem oculorum obtuſam præ craſſitudine humorum obtinent
inunctus prodeſt.* O quàm verè ſupra dictum ex lib. de alim. *omnia eſſe ad aliquid
bona, & ad aliquid mala*; Audi obſecro de eadem cœpa;hanc tradit Plinius iuua-
re lethargicos, illos excitando, dum acuto, quo pollet, odore, virtutem in illis
ſopitam, & iacentem extimulat; attamen ex alia parte traditum habemus à Dio-
ſcoride, & alijs, quòd qui frequenter in cibis vtuntur cœpis etiam coctis facilè
à Lethargo corripiuntur,quoniam videlicet cępæ duas habent partes, craſſam,
à qua generatur pituita, & acutam, quæ euaporare facit, caloreque ad produ-
cendam putredinem, aut etiam cum Arabibus ad inflamminationem ædemato-
ſam producendam,magnoperè valet. An reſponſio hinc eadem ferè eſſe poteſt C
cum ea,quam Gal. & alij afferunt in explicatione illius aphoriſmi, *Ophthalmias
meri potio ſoluitur.* Ad id verò quod dicitur de cępa in Lethargo reſpondeatur
aliud operari, vigente ſymptomate, odoris acutie, & extrinſecus vſurpata,
aliud verò tempore medio, dum cauſæ accumulantur, iuxtà propriam ſubſtan-
tiam craſſiorem. Tandem in cępa Quæſitum proponis, quod & ego aliàs ex
Plutarcho tetigi, nempe in Epilepſia cum loquor de vi Lunæ in eo progignen-
do morbo; vbi quod cępa præter omnium ſtirpium naturam decreſcente Lu-
na, augeatur, & incrementum capiat, creſcente verò,diminuatur, ad occultam
quandam retuli antipathiam, vt fieri ſolet in rebus tàm valdè abditis, & occul-
tis. Verum quid ſi nunc dicerem cum Lemnio de occult. nat. mirac. lib. 2. cap. D
vltimo, hoc ideò fieri, quod Luna cępam immodico humore ſtrangulat, humi-
ditatem in ea augendo, & calorem opprimendo? Cum etenim ſuapte natura
ſucculenta ſit, vt præter ſenſum, teſtatur quoque Philoſophus ſect. 20. probl. 12.
& 20. quemadmodum etiam videntur eſſe reliqua bulbacia, quæ natiuo ſucco
abundè ſunt perfuſa, Luna creſcens humorem quidem illi adauget, ſed calorem
imminuit, à quo maximè fit, vt incrementa ſtirpes capeſſant. In ſcilla pariter
eſt quod dubitemus, quoniam in eius aſſignandis facultatibus Dioſcorides, at-
que Gal. ſibi inuicem parum conuenire videntur. Quandoquidem Dioſcorides
lib. 5. cap. 161. ſtatim à primis verbis affirmat ſcillam vim acrem, & feruentem

habere.

A habere. At Gal. 5. de loc. aff. ſcribens medicamenta expectorantia debere eſſe diſſecantia, & detergentia citra calefactionem, ſubiungit; *cuiuſmodi ſunt acetum ſcillinum, & ſcilla.* Quo certè in loco Gal. docet apertè ſcillam parum calefacere, qui etiam 8. de ſimpl. med. ſcribit in ſecundo rantum gradu calefacientium eam eſſe collocandam. Hanc ipſam tamen differentiam omninò tollunt è medio verba, quæ ibidem ſubnectit Gal. *Præſtat verò aſſam, aut elixam ſumere, quia ſic virium eius vehementia exſoluitur.* Dioſcorides enim de cruda ſcilla dubio procul intelligit, Gal. autem de cocta. Cogitaui propterea aliquando, an ille, qui apud Gal. lib. 12. metho. cap. 1. vehementiſſimæ cuiuſdam medelæ ratione dyſentericos ſe generosè curare profitebatur, quia etiam multos ſanabat, temerè omnino, cępas dyſentericis offerendo, mederetur, an potiùs ex arte, & non abſque ra-

B tione, præſertim ſi cępas aſſumebat, non crudas, ſed iam coctas. Pars enim tantum craſſior remanens, tenues, acreſque humores demulcendi, & incraſſandi vim aliquam habere poteſt. Attamen, quia ibi Gal. verba facit de temeraria quadam dyſenteriæ curatione, iuxta illud Celſi: *Sæpè quos ratio non reſtituit, temeritas iuuit;* veriſimilius eſt, ipſum cęparum id genus intelligere voluiſſe, quod Græci κάρτον vocant, vtpotè quod & magnitudine, & creſcendi facilitate cęteris præſtét, & conſequenter calidius etiam, acriuſque ſit. Cępę autem acriores dyſentericis talem acrimoniam generosè tolerantibus eatenus prodeſſe poſſe videntur, quatenus acres, & bilioſos ſuccos ab inteſtinis ad vrinæ vias fortiter auocant. Nam quemadmodum in dyſenteriæ curatione, reuellendi gratia, vtimur frictionibus, & ligaturis partium ſuperiorum, ac ſimiliter quærimus elice-

C re ſudores, & prouocare aliquando vomitum, ita etiam iuxta Gal. doctrinam humores noxios per vicina vaſa lotio deducendo famulantia irritare expedit; Verumtamen, qui talia imperat, vel admittit, videat, amabò, ne, vt ille canit:

Incidat in ſcyllam cupiens vitare Charybdim.

Duplex enim inde pendet periculum; alterum ſignificatur nobis à Celſo lib. 4. cap. 15. qui tradit, quod *ſi ea, quæ vrinam mouent, conſequuta id ſint, in aliam partem humorem auertendo proſunt, ſi non ſunt conſequuta, noxam augent, itaque,* ſubiungit, *niſi in quibus promptè id facere conſueuerunt, non ſunt adhibenda;* Alterum periculum eſt, ne loca, & vaſa vretera multo anguſtiora quam ſint inteſtina, conuocatis ad illa ſuccis acrioribus, abradantur, & vlcerentur, ſicque vt venter dyſenteriam, ita veſica cum adiacentibus locis dyſuriam pati cogatur, quod Celſus

D non videtur aſſequutus; Quapropter ad vtraque præcauenda pericula in arte periti iubent, vt longè à morbi principio, &, niſi cum tam magna prauorum humorum copia non adeſt, hanc per urinæ vias deriuationem moliamur; necnon etiam, vt ijs vtamur medicamentis, quæ non verè, ac propriè ſolent lotium prouocare, quia hæc nimis calida, & acria cenſentur, ſed alijs potius, quæ moderatis huiuſmodi qualitatibus, aut leuiore etiam frigiditate, & humiditate prædita id muneris præſtare poſſe conſtat, de quibus ego in curatione dyſenteriæ. Habes, Reuerendiſſime Domine, miſcellanea, inter quæ non nulla, quæ vix ad Medicum, vt naſutis quibuſdam videbitur; Verum Tibi, tui-

que ſimilibus, quos rerum delectat varietas, ſic ſcribendum iudico, garriant quicquid velint Medici illi, qui præter paucorum medicamentorum ſchedulas, quibus ſe vulgo miros iactant practicos, & Medicos expertiſſimos, nil aliud addiſcere, vel intelligere potuerunt, & quibus non aliter, ac Nocte matre (ſic ait Heſiodus) & ſomno patre progenito, mos eſt, ipſos quidem nihil operis edere; ſed aliena curioſis oculis contemplari, & ſi quid eſt omiſſum, aut non adeò probè factum, id ſumma cum libertate carpere. Legant hi De Momo fabulam, apud Lucianum in Dial. de Hæres. & Tu me, vt ſoles, ama, ac defende. Quæ omnia, qualiacunque ſint, gratiſſimam rem mihi facies; ſi cum Fratre tuo C. Iulio Cæſare ſpectatæ eruditionis viro communicaueris. Ambos enim noui optimè non latere quod in fine 2. lib. Machabæorum, cap. 15. legitur. *Sicut vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt, alternis autem vti delectabile; ità legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus.* Dat. Romæ 1615.

A B

DE QVÆ-

A DE QVAESITIS PER EPISTOLAM
Centuria Quarta.

QVAESITA PRIMARIA QVINQVE IN EXCELLENTISS. Principiſſa, quæ menſium patitur ſuppreſsionem, & infœcunditatem.

I.

An menſtruæ purgationes ad ſex menſes cohibitæ curationem recipiant.

B II.

An in proliciendis menſibus ſanguis mittendus ſit dum inſtant, vel longè ab illis; Vbi Paulus notatur.

III.

An hæmorrhoidum adapertio in euocandis menſibus competat.

IV.

An cauteria in cruribus conueniant.

VI.

An, & quæ thermales aquæ ſint propinandæ.

C Secundaria Octo.

I.

An, ſolum decreſcente Luna mittendus ſit ſanguis in menſium ſuppreſſione.

II.

An iam fluentibus, ſed parcè, menſibus, vena ſit tundenda.

III.

Cur ſuppreſſis menſibus hæmorrhoides ſuperueniant.

IV.

An, & cur cauteria crurum valeant ad vterinum fluorem.

D V.

Cur aquæ Ficoncellæ apud S. Caſſianum tam frigidis, quam calidis intemperaturis, & menſium ſuppreſſioni opitulentur.

VI.

Cur ferratæ aquæ aperire dicantur.

VII.

Cur dicat Auicenna aquas thermales facere vrinæ, menſium, ac partus difficultatem.

VIII.

An tutus ſit, vtilis aquarum thermalium vſus pro potu quotidiano, & ferculorum coctione.

Ad D. Ludouicum Ceſcherinum Medicum Romanum. A

IN Conſultatione non ita pridem habita pro Excellentiſs. P. quæ ex menſtrua purgatione cohibita de infęcunditate ſummopere timet, & ab eadem cauſa varia patitur ſymptomata, non ſolum circa vterum, ſed etiam caput, cum quo vterus ipſe mirum in modum conſentit, iuxta illam Galeni doctrinam, quæ legitur 6. epid. tom. 1. multa fuerunt doctè, & rectè diſcuſſa, tam ſi cauſas deficientis purgationis, quàm ſi propoſita auxilia pro illarum auertuncatione inſpiciamus. Quinque nihilominus mihi nunc in mentem veniunt, quæ non ita ſicco, vt aiunt, pede ſunt pertranſeunda, ſuper quibus liberè meam hac in epiſtola ſententiam notabo, quam Tu pruden- B ter more tuo examinabis, & an ea ſit, quam alij quoque amplecti poſſint, vel debent, ingenue ſignificabis. Hac ſi quidem ratione, quæ dubium tenent animũ facili negocio in ægrotantium vtilitatem dilucidantur, ideoque ſpero fore, vt ex his, alijſque meis Queſitis, & opuſculis, etiam ſi veterani Medici doctiores nõ ſint euaſuri, Tyronibus tamen, & ijs, qui in euoluendis antiquorum monumentis parum inſudant, non leuis vtilitas accedat, & ſimul ægrotis illis, quorum vita, & ſalus in talium Medicorum manibus poſita eſt. Meritò itaque mi Ludouice, in prognoſtico faciendo quærebatur, an vltra ſex menſes aggredienda ſit curatio menſtruæ purgationis retentæ, quoniam Hipp. lib. 1. de morbis mulierum apertè ſcribit, ſi menſtrua ſupprimantur ſex menſes, illa amplius non prolici, & C malum incurabile fieri. Contra nihilominus ſtare videntur experimentum, varięque obſeruationes. Ego enim etiam inter alios tum alibi in multis oppoſitum vidi, tum nuper in Vrbe in Fœmina ferè quadragenaria, cui per anni ſpatium purgationes ipſę reſtiterant; Huic poſt varia adhibita præſidia, poſtque vſum in primis aſſiduum vini chalybeati erumpere cœperunt: id quod à te quoque qui ſenior es, & artem diutiſſimè exercuiſti, non ſemel viſum erit, vt viſum eſt olim Leonardo Ioachino in 9. Raſis cap. 90. qui ait. *Ego lignum indicum coxi, & adiunxi dictamnum; Vnde mulieri, quæ iam per annos quinque nihil purgabatur, & ſterilis erat, & purgationem euocaui, & partum.* Sic Alexan. Petronius lib. 1. cap. 9. de morbo gallico mulieres quaſdam triennium, quinquennium, & ſeptenniũ non- D nunquam menſtruis carere ſolitas, tandem concepiſſe refert. Quinimò apud eundem Hipp. 4. epid. 92. legitur hiſtoria ancillę cuiuſdam, cui menſes per ſeptẽ annos deſierant, qui demum reuerſi ſunt magno cum ſalutis emolumento, & 5. epid. ab initio recenſetur hiſtoria Vxoris Gorgiæ in Lariſſa, quæ per annos quatuor paſſa eſt menſium retentionem, qui tamen poſtea redierunt, ipſa priſtinũ ſanitatis ſtatum acquirente; Tandem Gal. quoque 6. epid. ſect. 1. 29. recitat hiſtoriam cuiuſdam mulieris admodum gracilis, & emaciatæ, cui hæ purgationes octo menſes defecerunt, quam ſanauit largè facta ſanguinis detractione. Quamobrem crediderim ego poſſe dici prouinciam hanc educendi menſtruas purgationes, poſtquam per plures menſes, non ſolum annos delituerint, eſſe

A quidem arduam, & perquam difficilem, propterea quod inditio eſt cauſas ma-
gnas eſſe, & quæ non facilè queant expugnari, vt eueniſſe conſtat duabus mu-
lieribus, quarum mentio fit 6. epid. ad finem nempe Phaetuſæ Pytheæ coniugi,
& Namyſię Gorgippi Vxori, quibus cum per multum tempus defeciſſent men-
ſes, neque Hipp. neque alij Medici euocare eos potuerunt, ſed vtraque non ita
poſt extincta eſt; Non tamen habet perpetuam veritatem, quod primo de mor.
mul. paulo ſupra ſcribebam ex Hipp. ſed tantummodò cum res eò deuenerit, vt
iam mulieres patiantur illa ſymptomata, quibus laborabat mulier, de qua illic
ſermo ab illo fit, veluti ſunt anxietas, animi deliquia, ſitis, vomitiones, aliaquę id
generis praua accidentia; ita enim fieri nullo modo poteſt, vt malum hoc vltra
ſex menſes producatur, quoniam adeò ſæua ſymptomata minime poſſunt diu
B vita ſuperſtite tolerari. Sed ſi cohibeantur purgationes, neque allata ſympto-
mata inſurgant, aut non adeo praua, & maligna ſint, earum ſuppreſſio vltra etiã
ſex menſes, & annos artis adminiculo amoueri poteſt, vt propterea huius mali
curatio derelinquendi minime ſit, etiamſi ardua re vera ſit. Et hæc de primo. In
curandi methodo pro retentæ purgationis euocatione, iam receptum eſt apud
omnes Medicos, valde præſentaneum eſſe auxilium ſanguinis vacuationem ex
infernis crurum venis celebratam, quemadmodum vice uerſa immodicæ, & ex-
tra naturæ præſcriptum exeunti nos præſto eſſe ſolemus, ſanguinem è brachijs
auferendo. Ita namque tradit Gal. 2. ad Glauc. 7. 5. meth. 3. & de cur. rat. per ſan-
guinis miſſ. 11. & 18. Quæritur ergo ſolum de tempore, quo hæc ipſa operatio
C fieri à nobis debet; an propè tẽpus purgationis, vel procul, & longè ab eo; Gal.
enim, & cum Galeno cæteri Medici eligere videntur tempus vicinum, non re-
motum, dico per tres, aut quatuor ad ſummum dies antequam menſes erumpãt,
eò quod ſic magis adiuuari naturę motus poſſit, quia iam ſanguis agitari incipit,
& ad exitum properat. Quare etiam nonnulli ſcriptis mandarunt in menſium
ſuppreſſione curanda ſanguinem mitti oportere Luna decreſcente, eo quod cũ-
ctis ferè mulieribus tempore illo menſes exire incipiant; in qua ſententia fuit
Ariſt. 2. de gen. anim. 4. & 4. eiuſdem operis cap. 2. vbi affirmat mulieribus men-
ſtrua ſecundum naturam menſe decreſcente fieri, quod huiuſmodi tempus pri-
mo menſe frigidius ſit, & humidius, idque propter Lunæ decrementum. Quod ſi
D quidem Sol per totum annum, hyemem, ac æſtatem facit, idem per menſem Lu
na quoque agere videtur, idque non acceſſu, & receſſu Lunæ, vt de Sole conſtat,
ſed increſcente, & decreſcente eius lumine fieri contingit; Atque hinc eſt quod,
vt ait idem Philoſophus 7. de hiſt. anim. 2. aliqui ſexum fęmineum Lunæ attri-
buunt, quia ſimul illa decreſcat, & mulier purgetur, moxque ambo, repleantur.
Legitur ſimiliter apud Galenum 3. de diebus crit. 2. Lunam determinatum tem-
pus menſtruorum in mulieribus conſeruare, ſed quoniã, vt pluribus à me oſten-
ditur in Epyleſia cap. *An Luna ſtatuenda ſit Epyleſiæ cauſa*, & norat ipſemet
Ariſt. 2. de gener. anim. 4. cum quo facit quotidianum experimentum, menſtruę
purgationes nullo definito dierum ſpatio, determinantur, & quibuſdam fœmi-
nis inchoante menſe, quibuſdam iam progreſſo eas exire contingit, iure merito
Galenus

Galenus tempus ſecandi venam ſtatuit triduum, vel quatriduum ante conſue- A
tum purgationis terminum, quandocunque appareat, vt conſtat ex 18. cap. de cur. rat. per ſang. miſſ. Id ipſum & hodie paſſim à Medicis verè practicis obſeruatur, ſed a quibuſdam adeò ſuperſtitioſè, vt menſibus iam fluentibus, diminutè tamen, cenſeant nullo pacto ſecandam tunc eſſe venam, quaſi inde magis cõſtringatur purgatio, non autem euocetur, quos abundè refellit experientia, & Gal. auctoritas 9. meth. 5. vbi illo ipſo tempore, quo menſes diminutè fluunt, venam aperit. Quid nam verò in mentem venerit Paulo, ab Aegina lib. 3. cap. 61. vt in hac re definienda a Gal. cuius Simia in omnibus eſſe dicitur, rantopère diſſentiret, fateor me penitus ignorare. Hic enim decem diebus poſt tranſactum conſuetæ purgationis tempus, ſanguinem mitti ſtatuit, quod quidem tempus, quo illa naturæ propenſio, & conatus iam receſſit, ad menſtrua educenda ineptiſſimum eſt; Et hic finis ſecundo. Hæmorrhoidum apertio in menſium B
ſuppreſſione an locum habere poſſit, vt quidam è noſtris credere viſus eſt, dubitare ſanè poſſumus, & ego conſimilem opinionem probare nullo modo poſſum, ſi nimirum venarum illarum apertione menſium euocationem adiuuari quis autumet. Quandoquidem, ſi vera eſt Galeni doctrina, podicis venæ adapertæ vim habent deriuandi ſanguinem ab vtero, non illum ad vterum ipſum allicidi. Docens enim leges reuulſionis, ac deriuationis à ſingulis corporis partibus 5. metho. ita ſcribit. *Quæ fluunt per aluum, ea vel per lotium, vel vterum forte transmittenda, quæ fluunt per lotium, ea vel per vterum, vel per aluum deriuanda.* Et lib. de cucurb. ſcarif. cap. 18. ita loquebatur: *Si mulieri per hæmorroides* C
ſanguis irrumpat, illum commodè ad venas vteri deriuari conſtat, velut quæ ducuntur ad inteſtina, & hæmorrhoidas ab vtero deriuationem efficiunt. Præterea in lib. de præcogn. cap. 8. affirmat in hiſtoria Vxoris Boethi, quæ muliebri fluore detinebatur, ad eius cohibitionem quam maximè conducere euacuationem per lotium, per ſedem, & per hæmorrhoides; eadem ratio dubio procul militat de ſanguinis per vterum purgatione, ita enim etiam apud Hipp. coac. prænot. lib. 2. ſect. 3. aphor. 12. legitur, *Menſibus ſuppreſſis hæmorrhoides ſuperuenire.* Vnde obſeruatum aliquando eſt menſtruum ſanguinem nonnullis ex hæmorrhoidibus profluere, quod inter alios notauit Braſſauolus 5. aphor. 33. idque mirum videri minimè debet, cum ex eodem trunco proximo renibus venæ in vterum, ac ſedē D
producantur; Sic enim retentis menſibus facilis eſt tranſcurſus ad ſedem, & venas illas. Nec eſt, quod aliquis hoc in loco obijciat, Gal. in explicatione illius ſententiæ Hipp. 5. aphor. 33. *In menſium ſuppreſſione, ſi ſanguis fluat è naribus, bonum;* clarè velle, quòd non tantum bona ſit ſanguinis vacuatio per nares, ſed etiam per aluum, & proinde per hæmorrhoides, & conſequenter venarum harum apertionem ad menſes proliciendos vtilem omnino eſſe; quandoquidem res ſecus omnino ſe habet, nec id vnquam voluit Gal. ſed ad id ſolum reſpexit, quod in menſium ſuppreſſione ſatius eſt ſanguinem intus cohibitum ex aliqua dictarum partium prorumpere, quam penitus ſupprimi, vt nimirum mulieres ab impendentibus inde morbis præſeruentur, earumque conſulatur incolumitati:

A tati; nec ſemel noſtris temporibus viſæ ſunt mulieres, in quibus menſes remo-
rati per nares, & os, idque aut per vomitum ex ventriculo, aut per tuſſim ex pe-
ctore expulſi ſalubriter ſunt; cuius rei hiſtoriæ, & obſeruationes non vnæ ſunt
apud SchenKium lib. 4. Obſeruat. medic. de menſtr. Si ergo in hunc finem com-
mendatur hæmorrhoidum reſeratio, non poſſum & ego niſi ſummopere huiuſ-
modi conſilium probare. Præſeruat enim eas à morbis illis, in quos propenſæ
ſunt ex vtero, & retentis menſibus valdè melius, ac tutius, quam per ſupernas
partes, cum dixerim paulo ſupra propter conſenſum illum communis trunci ve-
nas hæmorrhoidales ſanguinem, qui ad vteri vaſa non deſcendit facilè ſuſcipe-
re, ac per ſedem expurgare. Et nunc ad quartum me confero, quod erat de cau-
terijs, quæ hodie paſſim, & vbique locorum cruribus affiguntur, vtrum per ea
B ſanguinis impetus ad vterum deducatur, ita vt cauteria ad euocandos menſes
conferant. Hieronymus Mercur. tom. 2. ſuorum Conſiliorum conſ. 26. & 4. de
Morb. mul. ad finem & cum eo alij multi etiam conſtanter aſſerunt, cauteria cru-
ribus admota purgationes menſtruas detentas prouocare. Contrà alij ex Gal.
doctr. potius, quàm vel Mercurialis licet peritiſſimi Medici, vel cuiuſuis neote-
rici teſtimonio, contendunt illud idem afferri poſſe de cauterijs, quod de hæmor-
rhoidum apertione dicebatur, nempe impedire, non concitare, ſeu adiuuare
menſium exitum, quia deriuandi ab vtero facultatem habent, non ad vterum at-
trahendi, cum per Gal. 5. aphor. 56. abundè conſtet inter cauſas menſtruæ pur-
gationis impeditæ, quæ corporis totius vitio enaſcuntur, eam quoque haud
infimam eſſe, quotieſcunque humores ad alias partes quam ad vterum inclinēt;
C iuxta quem modum dicebat Gal. ipſe non nullas excretiones, ſeu naturales, ſeu
arte paratas, vti vlcera, ſanguinē ab vtero reuellere, ac deriuare, inque alias par-
tes transferre. An non etiam ſcimus per Hipp. quòd *Mictio noctu plurima exiguā
fore deiectionem ſignificat?* Vnde quotidie videmus qui largè, & copioſè mingūt,
adſtrictam ferè ſemper aluum habere. Veruntamen, cum non eadem, nec par
ſit ratio de cauterijs, quæ de hæmorrhoidibus, cum omnibus notum ſit, venarū,
quæ crura perreptant, maximam adeſſe cum venis vteri communionem; vnde
vel ſola malleolorum ſcarificatio, non modò venarum poplitis, ac tali inciſio,
facillimè retentos menſes educit; ideo in ea ſum opinione, quod cauteria crurū
nullo pacto menſium purgationem impediant, imò magis adiuuent, nec Gal.
verba ex 5. aphor. aduerſus hanc aſſertionem quidquam concludunt, vt vnuſ-
D quiſque per ſe cognoſcere facilè poteſt. An ergo malè conſulunt quicunque
in vterino profluuio cauteria in coxis, & ſubter genua in interna parte imperāt?
ita namque huiuſmodi fluxum corrigi affirmant, dum ſeroſior illa materia ad
crurum venas auertitur. Sunt qui vtrunque poſſe fieri perbellè demonſtrant, &
conſequenter in vtroque caſu locum habere poſſe cauteria, tam ſcilicet ad pro-
liciendos menſes, quàm ad vterinum fluxum imminuendum, præſertim ſi ſit in-
ueteratus. Quintum erat de vſu aquarum thermalium, an, & quæ cōueniant; pro
cuius enodatione dicitur, in caſu, de quo noſtra in conſultatione ſermo erat, in-
dubitāter aquas thermales, & illas maximè, quæ propoſitæ fuerunt, neceſſarias,

non

non ſolum vtiles futuras eſſe; ratio enim perſuadet, auctoritaſque confirmat A
vnà cum experientia in caſu conſimili; præſens etenim menſium ſuppreſſio relata à nobis omnibus fuit in craſſiorem ſanguinem melancholicum in primis, propter feruidiorem iecinoris intemperiem, & pituitoſum deinceps, ob errata in victus regimine, ideoque dictum eſt conuenire aquas illas thermales, quarum minera non ſolum ferrea ſit, ſed & nitroſa, ac ſulphurea. Quæcunque enim ex his conſtant mineralibus, attenuant, detergunt, vacuant, atque aperiunt in ſecundis operationibus, in primis mediocritatem quandam ſeruare videntur, & pro varia natura earum rerum, è quibus conſtant, ita non ſemper eoſdem producunt effectus; imò ad omnem, ſiue calidam, ſiue frigidam hepatis renum, cæterorumque viſcerum intemperantiam vtiliter bibuntur, vt pluribus explicat
Bacius de Ther. lib. 6. vbi tali virtute præditas extollit aquas illas, quæ Ficoncel- B
læ appellantur, quæ ad menſium ſuppreſſionem tollendam, & conceptionem iuuandam mirabiliter conferre creduntur. *Sic menſes*, inquit ibidem Bacius, *vel ex eadem tenacitate retentos, vel ob expultricis, debilitatem ciet, in circuituſque ordinarios reſtituit, ac ſteriles ob eam cauſam ad concipiendum promouet*. Eiuſdem energiæ, pro vt tamen ad caſum noſtrum pertinet, eſt & illa altera aqua, quæ antè ſumitur, quam prædictæ exhibeantur, Balnei magni, ſeu della Terra vulgo nuncupati, quæ in matricis potiſſimum affectibus ſaluberrima eſt. Contra nihilominus dubitari poſſe videtur, & quæri, vtrum mulieres, quibus vel imminutæ, vel etiam cohibitæ ſint menſtruæ purgationes, ad huiuſmodi balneorum aquas mittendæ ſint; quandoquidem Auicen. lib. 2. cap. 50. de Aqua ita ſcribit: *Et om-*
nes aquæ minerales faciunt vrinæ difficultatem, & parturiendi, & menſtruorum. ideò C
quæſitum hoc, vt non temerè, nec citra rationem excitatur, ita nec oſcitanter, ſimpliciterque diſſoluendum eſſe videtur. Oportet enim diligenter, ac ſtudioſè indagare cauſas retentorum menſium, necnon varias thermalium aquarum naturas, & facultates perſpectas vndique habere; cum non ſine diſcrimine cauſis omnibus aquæ omnes occurrunt. Vnde ſunt qui aſſerunt ad prolicienda menſtrua à validis obſtructionibus mirificè poſt exactiorem purgationem prodeſſe aquas thermales, ſulphureas, nitroſas, & bituminoſas, ſed in aluminoſis, vel ferreis ancipiti ſunt animo, earum ſtypticitatem extimeſcentes, qui propterea ad Auicennã quoque reſpondent, eum in præadducto loco non de omnibus aquis thermalibus ſermonem facere, ſed ſolummodo vel de aluminoſis, vel de ferreis;
quorum tamen reſpõſo acquieſcere minimè poſſum, quia ſcimus aquas ferreas, D
etiam ſi adſtringentes, ac ſtypticæ ſint ex vna parte, ex altera tamen obſtructis, & ſplenicis opitulari, idque non quia graues, idem enim præſtarent plumbeæ, ac cænoſæ, ſed cum qualitatibus præditæ ſint contrarijs, poſſunt exſiccando iuuare, ac villos denſando viſceris, innatumque calorem muniendo, facilè quod reliquum eſt excrementi digerere; niſi etiam dicatur, varium hoc opus ab illis præſtari, quia minera non merè ferrea, ſed cum miſcella alterius ſubſtantiæ mineralis calidioris, ac tenuioris. Quapropter exiſtimo ego multo rectius, & multo magis à rei natura reſponderi, ſi dicatur Auicenam loqui de aquis thermalibus,
prout

A prout illarum vſus eſſe poteſt in quotidiano potu, quo vti ſolent viri, & mulieres in prandio, & cęna, non autem prout exhibentur à Medicis nomine medicamenti, in magna videlicet copia, actu calidæ, & corpore vndique ab excremētorum ſarcina expiato; aliter enim lædunt potius aquæ thermales, quàm iuuant, vt patet etiam per Hipp. in lib. de aere, aquis, & loc. Sed contra hanc reſponſionem ſtare videtur Alexan. Trall. qui haſce aquas concedit in potione prandij, & cęnæ loco vini, dum ita loquitur. *At vt ex huiuſmodi aquis bibant, ipſis concedendum; habent enim vim abſtergendi, & expurgandi, ſi quid viſcoſum, tum ventriculo, tum inteſtinis infixum deprehendatur, ac ſubinde reſtituunt, totumque morbum prorſus perſanant*. Poſt hæc enim verba Alexan. mox ſubdit, *tantum de victu dictum ſit*: quæ manifeſtè indicant ipſum de potu in prandio, & cęna ſer-
B monem habuiſſe; Vnde forſitan manauit conſuetudo, quæ apud multos viget etiam Romæ, coquendi fercula in varijs thermalibus aquis, & vinum lymphandi acidula illa aqua, quæ à fonte quodam non longè à Populi Porta vocata, ſcaturit; de qua quidem re alibi fuſius, & opportunius. Tu interim, ſi quid reconditum, & in praxi obſeruatum in re tanti momenti habes, mihi aperire ne graueris. Pro tempore hic meus eſt ſenſus in promotis Quæſitis, quem licet in conſultatione non obſcurè ſignificauerim, Tibique etiam acceptum fuiſſe cognouerim, nunc tamen clarius, & vberius enarratum ad te per epiſtolam mittere volui, cauſis alibi, & antea dictis. Accipe hæc Tu pro eo, quo me ſemper proſequutus es, amore, in quo abs Te, & à quocunque alio vinci nunquam patiar.
C Vale Dat. Romæ die 10. Maij 1615.

QVAESITVM PRIMARIVM IN PRINCIPE NOBILISS. Romano, qui poſt deglutitum medicamentum Diaphœnicon, pondere vnius vnciæ, cum aqua cinnamomi ſtillatitia in bolos redactum, eidem furente canicula, & à principio ſtatim dolorum ventris exhibitum, in febrem mox incidit, & lethalia ſymptomata, ac tandem cum ὑπερκαθάρσει obijt.

I.

D *An mortis occaſio à medicamento cathartico, & ſcammoniato in primis manauerit.*

Quæſita Secundaria viginti.

I.

Cur aliqui interdum vi purgantium medicamentorum intereant.

II.

Cur tutius valde ſit Diaphœnicon, in quo diagrydium, vt apud Gallos, & alios; quam quod crudum ſcammonium recipit, vt apud Romanos.

Cur

III. A

Cur in morbis citra iecur, primarumque viarum, pharmaca mitiora eſſe debeant.

IV.

Cur purgatoria cum lenientibus miſceri vellet Meſue.

V.

An per dactylos vitetur, ne è longinquo Diaphoenicon trahat humores.

VI.

Cur in cruda, & rebelli materia corpora minimè purganda ſint.

VII.

An, & quando curatio dolorum facienda ſit per paregorica, aut per illa, quæ cauſam tollunt.

VIII. B

Cur à principio dolorum ventris à cauſa frigida, & flatulenta, calefacientia medicamenta non conueniant.

IX.

Cur in colica paſſione ab vſu ſcammoniatorum penitus temperandum ſit.

X.

Cur Diaphoeniconis compoſitio de recenti facta deterior ſit.

XI.

Cur ante purgantis medicamenti exhibitionem, an quis promptè, vel ægrè purgetur, ignorandum minimè ſit.

XII. C

An in duro ventre purgationes validæ competant.

XIII.

Cur Hipp. purgationes, quæ canicula tempore imperantur, dicat eſſe difficiles.

XIV.

Cur, & quando cathartica ferè eadem ſint cum venenis.

XV.

Cur noſtri temporis theriaca purgationes minime ſiſtat, & veterum theriaca imbecillior ſit.

XVI.

Cur fiat poſt validum, & ſcammoniatum medicamentum ὑπερκάθαρσις. D

XVII.

Vter error ſit maior, an qui in maiori, an qui in minori doſi medicamenti committitur.

XVIII.

An doſis Diaphoeniconis à Meſue poſita imitanda ſit à nobis.

XIX.

Cur apud multos Medicinæ ſcriptores doſis medicamentorum emendatione indigeat. Vbi loca varia de doſibus notantur, & corriguntur in Hipp. Dioſcor. Gal. Paulo Rhaſi, Auic. Meſ. Auenzoare, Auerr. Paſchaſ. Mercur. & alijs.

XX.

An, & quomodo ad Medicum ſpectet medicamenti doſim augere, vel imminuere.

Ad

A *Ad Medicos Romanos aquè in Arte verſatos, ac ſolida præditos doctrina.*

NEmo certè Veſtrum, Clariſſimi Viri, eſt, qui ignoret, annis præte-
ritis Almæ Vrbis Proceri, ac Principi Nobiliſſimo præſcriptum
fuiſſe pharmacum verè catharticum, imò ſcammoniatum, in ma-
gna, &, vt ego facilè ſum oſtenſurus, etiam inſueta doſi, & illa
anni tempeſtate, in quia iuxta Hipp. & cœterorum Medicorum
doctrinam, talia fortiter, valideque purgantia medicamenta corporibus noſtris
minimè conueniunt; vt nulli propterea mirum eſſe debeat, ſi eodem ferè tempo-
ris momēto, quo deglutitum fuit medicamentū, èa inſurrexerunt ſymptomata,
B quæ mortem præ foribus adeſſe oſtenderent, à quibus ſcilicet ſplendidiſſimus
Aeger vel à primis horis, non ſolum diebus, in id vitæ diſcrimen deductus eſt,
vt die tertia inclinante, & quarta vix incipiente, iam ſine pulſu, & voce, ac vndi-
que refrigeratus pro emortuo haberetur, donec poſt theriacæ portiunculam
vino albo dilutam faucibus eius demiſſam, reuiuiſcere viſus eſt, & fatalem, ſupre
mamque diem, ſymptomatū acutie, atque ſæuitie varijs infra notandis auxilijs
retuſa, in plures diſtulit hebdomadas. Medicamentum verò fuit Diaphœnicon,
cuius feruor, & acrimonia inſignis omnib. notiſſima, aqua ſtillatitia cinnamomi
fuit caſtigata; cum ea ſi quidem boli fuere concinnati; doſis, vncia vna erat; tem-
pus, tertia dies Auguſti, Sirio æſtu quam maximè furēte; Occaſio, fuere dolores
ventris errones, aut vagi, qui modò inſæuiebant, modò miteſcebant; Et quales
C eſſe ſolent dolores à flatibus oriundi, illa in regione corporis frequentiſſimè,
præſertim in media æſtate, ob innati calidi, quod in halitum facile ab ambientis
calore diſſipatur, pauperiem; & ob errata, quæ in frigidiorū cibariorū, maximè
verò fructuum varietate, & copia, necnon denique in gelidi potûs abuſu cōmit-
tuntur; moderantia enim tunc longè abeſt; & in hoc potiſſimum peccant Viri
Principes, Medicorum eluſis admonitionibus. Cum autē ſemper ego huius fue
rim ſententiæ, vt necis occaſio in Principe Nobiliſſimo à tali medicamento ſub-
orta fuerit, quemadmodū & Viri Doctiſſimi, qui vnà mecum à principio ad finē
vſq; curationi interfuere, Iulius Mancinus Senenſis, & Pompeius Caimus Vti-
nenſis, decreui nūc typis tradere rationes, & auctoritates, quib. adductus in hac
opinione quotidie magis confirmor; idque non vt de aliorum fama detractum
D quicquā velim, licèt, quin a quibuſdam res aliter diuulganda ſit, haudquaquam
dubitē, iuxta illud D. Hieronymi ad Pamph. *Qui inimicus eſt, nodum in ſcirpo quæ-
rit.* Sed vt, quemadmodum in alijs multis caſibus meo in libro deſcriptis, ſic in
præſenti veritas in cōmunem omnium vtilitatem propaletur. In qua tamen in-
daganda, quoniā a recto tramite aberrare poſſum, idcirco Diſputationem meam
ad Viros in Arte Peritos per modū epiſtolæ mittere cōſtitui, vt re ipſa cognita,
atq; perſpecta, vel meā mihi amicorū more oſtendant inſcitiā, doctè magis, pro-
ut ſolent, quàm captioſè reſpondendo, vel ſi, ut ſpero, in eadē & ipſi erunt ſen-
tentia, diſcant alij in poſterū propriā mutare opinionē, quod ſapientiæ loco ha-

betur, cũ res præſertim in eo agatur miniſterio, quod præ oculis vniuerſale habe- A
re debet emolumentũ, & in quo etiã conuenit ſimplex veri erroris confeſſio, ne
qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt, vt Hipp. teſtimonio
Celſus docuit. Alia quoq; cauſa, quæ me ad hæc tum diuulganda, tũm vobis in-
ſcribẽda mouet, eſt, vt hoc admoniti caſu iudicetis, vtrum ex vſu omnium futurũ
magis ſit; ſi in Diaphœniconis cõpoſitione concinnãda Romani Seplaſiarij adhi-
beant, non, vt hodie faciunt, crudũ ſcammoniũ, ſed coctum, & eo, quo ſcitis, mo-
do præparatũ, iuxta Gal. præceptũ 1. de alim. fac. 1. paſſim *diacrydium* vocant,
quemadmodum non ſolum in Gallia, vt videre eſt apud Fernelium, & Rondé-
letium, ſed etiam in alijs Regionibus, & Vrbibus Italiæ multo frigidioribus,
quam ſit Romana; hoc ipſum medicamentũ cum diacrydio feliciter vſurpari ſo-
lere non ignorãmus. Hac namq; ratione confectum valdè tutius in ſingulis æta- B
tibus, temperaturis, ac anni temporibus calidioribus præſcribi à nobis poterit.
Sed iam ad rem ipſam diſcutiendam accedere oportet, vbi quicquid dixero, recto
Veſtrum omnium, & aliorum conſimilium Iudicio libentiſſimè ſubmitto.

Princeps ergo Nobiliſſimus Romanus, ætatis annorum 52. temperamenti, ſi
totus ſpectetur habitus, calidi, & humidi, ſi particulatim ſumatur, capitis cali-
dioris, & humidiſſimi, ventriculi verò ſubfrigidi, & humidioris, & ideo etiã parũ
validi, die 2. menſis Auguſti an. a Nat. Dom. 1614. in dolores ventris vagos, ſed
permoleſtos incidit, qui ſi non ad propriè dictos colicos, ſeu colicã diatheſim, vt
vocabat Paulus Aegineta, ſaltẽ ad colicos cõmuniter appellatos redigi poſſunt,
iuxta Gal. doct. 2. de loc. aff. 1. & 6. eiuſdẽ operis c. 2. abſque febre, & vomitu, vel
alio effatu digno ſymptomate; Vnde inchoante iã die, quia dolores inualeſcebãt, C
à Medico præſcripti fuerunt clyſteres, ſed incaſſum, & inutiliter, quoniã totã no-
ctem ferè inſomnẽ, ac dolentẽ duxit, cui propterea die ſubſequẽti manè circa ho-
ram decimã exhibuit bolos ex Diaphœnicone, doſi, & quãtitate vnius vnciæ, ad-
dita aqua è cinnamomo ſtillatitia. Quibus deglutitis poſt vnã vix horã ſæua ad-
modũ inſurgere accidentia obſeruantur, nimirũ vomitus frequẽtiſſimus, perpe-
tua nauſea, ſingultus, tormina, lypothimiæ, purgatio indeſinẽs, celeritas quam
maxima in pulſibus, qui etiã arithmi, inæquales, & languidi erãt. Vrinæ verò ita
rubeo ſaturatæ colore, & cruentæ, potius dici poſſent, linguæ ariditas, & ſcabri-
ties & exteriorũ partiũ omnium frigiditas cũ leui quadã ſudatiuncula, quã ephi-
droſin vocare fas eſt. Quæ cuncta ego 13. hora accedẽs vigere adinueni; cumq;
nullus ibi adeſſet, qui me de re, prout ſe habuiſſet, ad vnguem commonefaceret, D
aegerque ipſe in maximo animi mœrore verſaretur, & magnus eius eſſet metus,
percunctari cœpi, quid nã hoc foret, & vnde hæc orta eſſent, ſed cũ in primis pro-
babili ſermone lenire ſtudui, ſecurũq; agere, vt corpore tñ, non ẽt animo labo-
raret, vt potui in tantorũ malorũ ſyndrome; Interim. n. expectabatur Medicus
alter, qui nõ valdè poſt acceſſit, & ſtatim, ac vidit rẽ in anguſto eſſe, & de vitæ di-
ſcrimine cũ rõne timeri, vna mecũ deſcẽdit ad alexipharmaca, imò calamo arre-
pto epithemata cordialia, inũctioneſq; ac theriacã ſimul recẽtiorẽ, & cõfectio-
nẽ iacynthinã propria manu celeriter præſcripſit, & hæc quidẽ peracta fuerunt

A ante decimã ſeptimam illius diei horam. Perſeuerabant nihilominus omnia, & in horas, atque momenta non modo in dies ſingula magis accendebantur, adeò vt, inchoante quarta, poſt maximum, & longum rigorem, qui ſanè tunc primum in intimis exorientis inflammationis indicium erat quam clariſſimum, virtute vndequaque proſtrata, vt à nemine pulſus perciperetur, & aliquandiu cum intenſiſſima partium frigiditate, ſine ſermone, & omninò aphonos, donec modica theriaca ſola cum vino albo exhibita, quaſi è mortuis ſurgere viſus eſt, voce redeunte, & pulſu, & in extimis aliquantiſper recaleſcente. Ab hac die ſingultus cępit fieri vehementior, vt neque cibum, neque remedia contineret, ardor œſophagi, & ventriculi ita eum infeſtabat, vt à quocunque humido humores adæquante, vti pulli iuſculo, lactuca, & vtroque intubo alterato, cremore hordei, &
B ſero lactis lambicato, dolorem in ſtomacho, & ventre intendi, ibique igneam veluti flammam accendi clamaret. In ventre ipſo toto cruciatus erant intolerabiles, vt varia, quæ adhibeantur, anodyna, ipſemet ſcroto, pectini, ac perinæo proprijs manibus admoueret. Qui venter quotidie varia, ſed bilioſa in primis, liquida, & fętidiſſima ſubinde egerebat. Somnus ab eo longè aberat, cum eſſet ferè perpetuò vigil, ſupinus plerunque iacebat, in altero laterum cubare non valẽs, cum notabili inquietudine, & frequenti totius corporis modò in hanc, modò in illam partem iactatione. Febris aderat cõtinua, diuque fuit ex his, quæ, ſi aliquã, certè exiguam habent endoſin atque remiſſionem, inconſtanter admodum mouebatur, & aliquando tertianæ, aliquãdo duplicis tertianæ typum præſeferebat.
C Per dies interdem pares, & interdum impares, & maximè decretorios cuncta exaſperabantur, & poſt ſeptimam diem, vrinæ non ſolum valdè copioſè excernebantur, ſed, inſtar aquæ albæ, & tenues ad finem vſque. Ardor, & ſingultus ab vſu ſeri lactis lambicati & chalybeati ſimul per nouẽ dies oblati, necnon & aliorum auxiliorum, quę contemperandi vim obtinent, κατακερασικὰ Græci vocant, quibus ideò vſi fuimus, vt contrarijs cõtraria compeſceremus, & corrigeremus, penitus euanuerunt; reliqua verò ſymptomata interdum deliteſcebãt; niſi enim hoc fuiſſet, malum adeo ſæuum tam diu minimè ſuſtinuiſſet, & rurſus validius erumpebant ac reuerſiua omnia erant. Quin etiã die vigeſimaquarta phlogoſis totum ventrem occupauit, quæ non multas poſt horas euaneſcere ne dicam
D retrocedere, viſa eſt, & materia ad pedem propulſa, tumorem ibi ea ipſa die excitauit, qui etiam ad aliquam ſuppurationem deuenit, ſed fuit inſtar criſium illarum, quæ non modò non conferunt, ſed magnopere lædunt, morbifica materia non educta, & viribus peſſundatis. Die 27. cuncta in deterius lapſa ſunt, cum facultatũ omnium maxima imbecillitate, vt nec à lectulo amplius ſurgere poſſet, & cum ſuperpurgatione, in qua fruſta ſanguinis ad ſubnigrum vergentis per quam plura excernebat, idque potiſſimum a die 29. vſque ad vitæ finem, qui fuit 31. die inclinante. Corpore adaperto, cuius ſectioni interfuit potiſſimum D. Mancinus Vir per quam doctus, & oculatus, ventriculus cum œſophago toto excoriatus præſentibus apparuit, duodenum inteſtinum perforatum, craſſiora, ſed maximè rectum, quaſi ſphacelo corrupta, cœterna quæuis

inculpata, & ſana. Horum omnium ſæuiſſimorum accidentium, & ipſiuſmet A interitus cauſa, atque origo, an fuerit iam dictum medicamentum, necne, relinquo dijudicandum Viris in arte verſatis, & illis etiam, qui ex diuulgato per vrbem rumore, me tale propinaſſe medicamentum, mox, inde ſumpta occaſione, clamabant, à ſeculis non auditum tam craſſum errorem; qui rumor tamen callidè vulgatus, ac temerè creditus, dicto citius euanuit. Ideo vbi rem melius aſſequuti ſunt, ac tantæ calamitatis me auctorem non fuiſſe cognouere, in alia prorſus omnia iuerunt, vbique prædicantes, cum ratione exhibitum pharmacum, quod inter benedicta reponitur, & medicina ſecuritatis ab Auicen. & Meſue nuncupatur, cauſamque impendentis periculi in prauum victus regimen, a me, & collegis inſtitutum, & in ſerum illud lactis, à quo euidentiſſimè recreabatur, quodque caſibus conſimilibus accommodatiſſimum eſſe nemo vnquam B ſanæ mentis inficias ibit, refundebant; adeò verum eſt illud, quod ex Gentiloquio Ptolemæi ſent. 12. colligitur: *Amor, odiumque, ne vera eueniant iudicia, prohibent; augent ſiquidem minima, & maxima minuunt.* Verumtamen ego hunc ipſum errorem etiamſi grauiſſimum non magis damno, quàm excuſo, in quem ſcio Viros in Arte admodum præſtantes aliquando incurriſſe, eò quod non errare, eſt ſupra hominis captum, atque naturam. Quo etiam facere crediderim, quod apud eundem Ptolemæum legi, quoſdam Medicorum iniuria interire. Id ipſum enim quotieſcunque noſtra contingit culpa, nulli dubium, quin, aut a medicamento purgatorio perperam, ac temere exhibito, aut à ſanguinis miſſione per venam ſectam malè, & contra leges celebrata, occaſio præcipua oriatur. Sic namque etiam ſcribebat Hipp. 5. Epid. *Scamandro cuidam propinatum* C *forte pharmacum fuiſſe, à quo miſer ille interijt*, & propterea ſubiungit, *Videbatur autem multo tempore morbum ferre potuiſſe, niſi ex pharmaci vi periiſſet.* idemque notat, *Vxori Antimachi datum fuiſſe catapotium deorſum purgans fortius, quam conueniebat; Ideo dolor fortis tenebat infernum ventrem, exulceratus enim erat à medicamento, & prodibat ipſi ſtatim poſt ſtercus ſubcruentum ramentoſum.* At vnde hic error, quæret aliquis, manat in medicamentis purgantis exhibitione? Præſens caſus rem hanc totam propalabit, ideoque breuiter ad id reſpondens, dico, quia non vno, & eodem modo cum omnibus ſemper eſt procedendum, nec eadem omnibus conueniunt auxilia, vt nec vno calopodio ſinguli calceandi ſunt; ma- D gnum etenim eſt hac in re diſcrimen, nemoque veſtrum ignorat, quod Galenus ipſe de doſi, & quantitate medicamẽti memoriæ mandauit in lib. de cur. rat. per ſanguinis miſſionem, *nihil perinde arduum, ac fallax in tota Arte medica eſſe, atque iuſta medicamentorum doſis*, quoniam videlicet res hæc multis inuoluta eſt circumſtantijs, nec quantitas medicamenti definiri poteſt, niſi indicatione ſumpta à rebus naturalibus, non naturalibus, ac præter naturam. Quam rem optimè conſiderans Actuarius lib. 3. metho. cap. 7. *Operæpretium*, inquit, *vtique fuit, nouiſſe quomodo, & quando, ac quibus purgare oporteat, ne dum inconſideratius medicamenta propinamus, periculum pro medela creemus.* Qui ſcriptor paulo ante refert, purgãtia medicamenta, quæ a Græcis καθαρτικὰ nominãtur niſi me-

A diocria ſint,& in cōuenienti ſumātur quantitate,non aliter, ac δηλητήρια ipſa,& noſtri venenoſa, ac mortifera appellata corpora corrumpere, ac interimere. Sapienter ergo Herophilus, *Morborum remedia, ſi ab indoctis Medicis vſurpentur, venena, ſi verò à doctis, & exercitatis, Deorum auxiliares manus*, vocabat. Quamobrem opinio mea eſt, quam tamen ſaniori iudicio ſubiectam ſemper eſſe volo,medicamentum ex vnica vna Diaphęniconis cum aqua cinnamomi ſtillatitia in bolis redactum, nullo. vnquam pacto ex arte, & à rei, quam vocant, natura præſcriptum fuiſſe, in ea præſertim doſi, quæ & inſolens, & iuſto maior omnino fuit. Cur? Quoniam neque morbi,neque Aegri,neque tandem temporis naturæ conueniens erat. Sed, vt cuique vel in Arte tyroni huiuſce rei veritas magis eluceſcat, Diaphœniconis compoſitionem, prout legitur in Romano
B Antidotario,& ab Aromatarijs Almæ Vrbis vulgo conficitur,huc prius afferre, & hoc in loco ponere conſtitui,quæ ita ſe habet.

℞. Dactylorum. infuſ. tribus diebus,ac noct. in aceto drach. centum.
Penidiorum. drach. quinquaginta.
Turpeth;opt. drach. trigintaquinque.
Amygd. mundat. drach. triginta.
Scammonij drach. duodecim.
Zingiberis.
Piperis longi.
Fol. rutæ ſicc.
Cinnamomi.
Macis. } an. drach. duas cum dimid.
Ligni Aloes.
Aniſorum.
Fœnicul.
Dauci.
Galangæ.

Hoc illud eſt medicamentum, quod à quibuſdam de Palmulis, ſiue Dactylis vocatur, & varijs Auctoribus acceptum refertur apud Meſuem, modo ſcilicet Filio Zezar, modò Ioānitio, videturque ad exemplum Aetij Serm. 3. & Pauli libro ſeptimo, fuiſſe compoſitum. Apud Auicen. ſimiliter 5. Can. tres habentur deſcriptiones Diaphœniconis multum à præſenti differentes, ne dicam,
D quod Serapio quoque electuarij de Dactylis meminit, quod longè diſcrepans eſt. At his omiſſis, quod magis ad rem noſtram facit, eſt conſideratio de ſcammonio, & virtute, ac facultate medicamenti. De ſcammonio quidem, quia multum ſanè refert Medicum non ignorare, antequam hoc præſcribat medicamentum, an eius compoſitionem ſcammoneum ipſum ingrediatur, an diacrydium, alia ſiquidem eſt ſcammonij ratio, quando per viam ſignificatam præparationem in diagrydium eſt conuerſum, aliud quando ſolo eo vtimur, & quando in compoſitionibus; dum enim alijs miſcetur, vis eius quoquo pacto infringitur, atque remittitur. Inſuper ignorari

rari non debet quæ ſcammonij quantitas adhibeatur, ita vt ex maiori, aut A minori copia, maius, vel minus, fortiuſque, aut imbecillus Diaphœnicon vocetur, & ſit; vnde etiam medicamenti doſis varianda eſt; quæ tamen conſideratio noſtro in caſu parum valet, quia ex iam paulò antè relata compoſitione patet illud Romæ Diaphœnicon parari, quod minorem ſcammonij partem recipit; Licèt autem non me lateat, Romanos Medicos haud ſine ratione, & auctoritatibus ſcammonio crudo in Diaphœnicone vti, quoniam maximè, vt Manardus, & Syluius referunt in ſuis ad Meſuem Annotationibus, per Dactylos, & aromata ſatis caſtigatur. & ex eo etiam quod Meſue ipſe dum vult ſcammonium præparatum, vt in pillulis aggregatiuis, & de lapide Armeno, non ſimpliciter ſcammonij, ſed ſcammonij coċti in pomo meminit, attamen negari nullatenus poteſt, per coctionem longè magis miteſcere ſcammonium, ſicque tutius, & mi- B nori cum moleſtia ex eo purgationem ſuccedere. Atqui Rondeleſius in offic. pharmacop ponens Diaphœniconis compoſitionem, prout rotuli, vbi ad ſcammonij drachmas duodecim ventum eſt, addit. *Scammonium decoctum in malo cytoneo obijci debet, & caro cytoniorum retineri.* Fernelius pariter in Diaphœnicone diacrydium adhibet, non ſcammonium, vt videre eſt lib. meth. med. 7. Medicamenti verò virtutem, ac dotes explicat Meſue, addens quoque doſim: *Febribus compoſitis, & diuturnis auxiliatur. Bilem enim flauam, & pituitam ducit; Colicis cruciatibus mirificè confert, item doloribus ventriculi, & id genus alijs vitijs ex crudis humoribus ortis. Datur ab aureis tribus ad ſeptem.* Hic clypeus, hoc aſyllum; ſed ò quàm verè, & ſapienter Empedocles: *Neruos ſapientiæ eſſe, non temerè credere.* & magis ad rem noſtram Damaſcenus 2. & 3. Aphor. *Operari ſecundum libros abſ-* C *que perfecta ratione, & ſolerti ingenio, moleſtum eſt.* Sed agè aggrediamur probare, quod in animo eſt. Non conueniebat medicamentum tam validum, & forte, ratione morbi, quia cum morbi ipſius cauſa, & ſedes citra iecur omnino foret, videlicet in inteſtinorum, & primarum viarum regione, quo iudicio pharmacū exhibetur catharticum, ea doſi, & quantitate, qua cuncta vltra iecur commoueret, ac conturbaret, & humores a remotioribus quibuſque particulis ad affectum locum violenter traheret? Non enim in molienda purgatione ſpectare tantummodo decet, ecquis ſit, qui offendit, humor, ſed etiam quam corporis partem obfirmatus occupet; quam rem totam nō minus doctè, quam eleganter expreſſit Fernelius lib. 3. de purg. rat. cap. 4. illis in verbis; *In vnoquoque porrò medicamenti genere, tum in eo, quod bilem, tum in eo, quod pituitam, vel alium quemuis ex-* D *purgat humorem, quàm validum, aut imbecille deligi oporteat, noxij humoris ſitus oſtendit. Vt enim non qualibet ſecta vena, ita nec quodlibet medicamentum à quouis corporis loco humorem detrahit, ſed alia alijs corporis ſedibus expurgandis accommodatiora ſunt. Mitiora quippe è prima corporis regione, mediocria è vaſis maioribus, valentiora è corporis habitu, ſingulíſque particulis vocant;* Idem in Metho. gen. curand. febr. capitulo quarto, vbi docet præcordia impura aliquanto validius, & ſæpius purganda eſſe, quàm ſit ventriculus, ſubiungit. *Sed nulla tamen ſcammonij, vel colocynthidis, vel turpeti facultate, quod è diſtantioribus ea ſedibus tenues*

proli-

A *proliciant humores, iꝭs plerumque prætermiſſis craſſiuſculis, qui præcordiorum obſtructiones parere ſolent.* Illud quidem facilè conceſſerim, doloribus ventris, ſiue colicis, ſiue non colicis, à flatibus, & crudis humoribus genitis, medicamentum Diaphœnicon ex Meſue, & alijs accommodatiſſimum eſſe, nec non etiam in caſu noſtro dolores ab huiuſmodi cauſis fuiſſe ſubortos; propterea quod P. N. ventriculum frigida, & humida intemperie cum materia male affectum habebat, & victus regimine male vtebatur, dum fructus varios, copioſos, & niue frigefactos quotidie ſumeret, potumque & aquæ, & vini prægelidum ſubinde ingereret; Veruntamen ex altera parte, an non alia aderant infinita medicamenta omninò tutiora, vti ſunt hypelata Græcis nuncupata & vulgo benedicta colluuiei ventriculi, & inteſtinorum expiandæ per quàm idonea, quæ in magna
B etiam doſi præſcripta fœliciter corpora expiant, Diaprunum ſimplex cum puluere ſem. citri, Lenitiuum cum hiera s. Diacatholicon; mel. roſ. ſolut. & huius cenſus alia? Quæ ſi non contuliſſent, nec ita craſſa, vitreaque pituita ex ventriculi, & inteſtinorum tunicis cedere viſa eſſet, tunc, aliqua per incidentia, & attenuantia antemiſſa præparatione, vel ipſum Diaphœnicon exhiberi potuiſſet, ſed mixtum cum aliquo ex iam enumeratis, quod tamen duas, vel ad ſummũ tres non exceſſiſſet drachmas. Meſue ſiquidem ipſe eos ſummopere laudat, qui cum purgatorijs medicamentis lenientia commiſcent, eo quod, inquit, *hæc illorum operationem beatificant.* Neque credendum iꝭs, qui dunt per dactylos vetari, ne a longinquo humores Diaphœnicon proliciat, quia id Manardus conſtanter negat, & falſum eſſe experientia ipſa demonſtrat. Credo tamen per penidia,
C & dactylos, qui & in hoc, & in alijs purgantibus miſcentur, fieri aliquo pacto poſſe, vt præ eorũ lentore aliqua ratione retineantur purgantia ipſa, nec in longinquas partes tam promptè ferantur, quemadmodum Syluius, & alij quoque adnotarunt. Cruda inſuper, & rebellis omnino erat morbi materia, quæ in ventriculi, & inteſtinorum locis ſtabulabatur; eiuſmodi autem difficilius trahi, & maiorem ægrotanti moleſtiam inferre ſolet. Vnde Medicus debet quantum poteſt imitari naturam rectè operantem, quæ, vt ſcribit Gal. tum alibi tum 4. Aph. 22. prius concoquit, deinde ſegregat, ac tandem expellit; Accedit quod clyſteres a principio dolorum iniecti, non modò fęcalia excrementa non eduxerant, ſed vix intromiſſi reiecti fuerunt. Quamobrem viæ illæ anguſtæ admodum, & obſtructæ erant, ac nullo modo peruiæ medicamento. Dicebat autem Hipp. 2.
D aph. 10. *Corpora cum quis purgare voluerit, fluida prius faciat oportet.* Qua in re legatur attentè Fernelius lib. 3. meth. cap. 13. cuius titulus eſt. *Quæ præparatio purgationi præmittenda;* vbi inter alia digna prorſus, quæ huc afferantur, ſunt hæc. *Nec inteſtina coarctata, obſtructaue noxiorum humorum curſum impediant; etenim contracte ſi ſubſiſtant, aut ventris torſiones, aut faſtidia, aut vertigines, aut animi defectiones mouent, corpuſque iactatione multa fatigant.* Nec tamen putet aliquis me neſcire adeſſe morbos, in quibus non ſolum licet, ſed etiam omnino conuenit curanti Medico purgantia vſurpare, nulla expectata humorum concoctione, ſeu præparatione, qua de re ſunt apud Hipp. & Gal. loca manifeſtiſſima, quæ a me nunc

præter-

prætermittuntur, ne in volumen diſquiſitio noſtra excreſcat; ſed an præſens A caſus eius eſſet conditionis, atque naturæ, alijs cenſendum relinquo. Quod tamẽ interim minimè relinquendum iudico, eſt quod ratio curationis ab idea ipſius affectus præcipue deſumenda erat, & proinde cum morbus a craſſa, lentaque pituitoſa materia tunicis ventriculi, & inteſtinorum inhærente potiſſimum originem duceret, aperte indicabat materiam illam attenuandam, incidendamque atque in ſumma concoquendam eſſe, eo quod cruda vndique foret. Nec valet dicere, dolor potiſſimum cruciabat, & ſubitam ſui indicabat ſedationem, quia hæc primo imitatione Hip. in pleuritide peragi a nobis ſolet anodynis illis, ſeu paregoricis, quæ familiaritatem, ac ſymbolum quoddam habent cum calido noſtro innato, cuilibet dolori emulcendo maxime accommodata, qualia in primis ſunt oleaginoſa quæque, & pinguia, vt patet ex Hipp. & Gal. propè finem lib. 6. B Epid. Vnde paſſim Medici ad varias deſcendunt inunctiones, ad veſicas olei ſemiplenas, ad omenta verueců, & conſimilia, lippis, ac tonſoribus nota. Quæ.n. impropriè anodyna vocantur, & narcotica ſunt, ſeu ſtupefacientia minimè cõuenire videntur in cauſa frigidiori, iuxta Galeni mentem. At cum purgatorium præſcribimus medicamentum, ad anodyna illa reſpicimus, quæ cauſam de medio tollũt, & auuer ũcant; quod ſanè magna cum ratione fit, quotieſcunq; alia mitiora in caſſum tentata fuerint. Vnde ſi in caſu noſtro ipſa cauſa remouenda nulla alia erat, quam cruda, craſſa, viſcidaque materia, a qua perpetuo flatus illi eleuabantur, cur non prius per iam dictam alteratiõẽ ad promptiorem vacuationem diſponebatur? Interea enim ſi aliqua neceſſaria videbatur minoratio, medicamentis iam notatis, & non vehementioribus fieri poterat. Quinimò ap= C parata materia expurganda erat eo modo, vel etiam placidiori, ratione temporis, quem docet Mercur. cap. de dolore colico per hæc verba. *Solet mirificè prodeſſe in his caſibus vſus diaphœnicons. Modus vtendi eſt hic. ℞. Diaphœn. ℥ij. Diacath. ℥vij. ſpec. hieræ ʒ. j. m.* Præterea nullo pacto a principio talium malorum, vt ſcilicet abigerentur, Diaphœnicon, præſertim ſolum, dandum erat, quoniã de mente, & præcepto Gal. lib. meth. 12. ab ijs maxime temperandum eſt, quæ calefaciẽdo colliquant, & in flatus peccãtem materiam conuertere poſſunt, a quibus idcirco dolor longe magis augetur, & irritatur, quã mitigetur, aut leniatur. Quare ſi Galenus ibidem a clyſteribus calidioribus, & acrioribus cauendum eſſe præcipit, quia præterquam quod maiorem humorum copiam ad inteſtina trahunt, lentos, craſſos, & frigidos humores liquant, rarefaciunt, & inflatulentã ſubſtan- D tiam facile commutant, a qua poſtmodum dolores exaſperantur, quanto magis abſtinendum a tam valido, forti, & acri medicamento, quale Diaphœnicon eſt, in magna præcipuè doſi propinatum? Scammonium enim, Zingiber, piper longum, cinnamomum, macis, lignum aloes, aniſi, fœniculi, daucus, galanga, & cinnamomi aqua ſtillatitia addita, an non calidiſſima ſunt, & aptiſſima ſimul craſſam, vitreamque pituitam colliquare, & in craſſos vertere vapores? Tandem poſt hęc omnia ſilentio inuoluendum non eſt, imò accurate memoriæ mandandum, quod apud eundem Gal. legitur de vi ſcammonij in generãdis, & augendis co-

A dis colicis doloribus, vt in curatione horum dolorum ſemper omnibus debeat eſſe illius vſus admodũ ſuſpectus, & vbi alia ſecuriora adſunt auxilia, ab eo penitus eſſe abſtinendum, nec vllo modo periclitandum in re minime neceſſaria. Refert ſiquidem præaddućto loco Galenus, quod iuuenis quidam colicis doloribus aliquãdo corripi ſolitus, ſcammonij ſuccum hauſit, quo quidem licet perbelle, & largiter fuerit purgatus, in poſterum tamen perſtatas veluti periodos, & certos circuitus ab iiſdem doloribus cruciari cœpit, quod infortunium Gal. ipſe ſcammonio antea ſumpto acceptum refert, eo quod poſt eius vſum magna deinde humorum copia ad inteſtina iam reddita imbecilla procubuerit, & quædã quaſi fluxionis a toto corpore ad interanea origo ob hanc cauſam ſuborta fuerit. Ioannes VueKerus in Antidot. ſpeciali lib. de liquoribus con
B cretis purgantibus bilem, ita de ſcammonio ad mentem, & ſententiam veterum, & recentiorum medicorum loquitur, vt euidentiſſima iam dicta omnia, & dicenda confirmet, in hunc planè modum; *Quinque de cauſis corporibus læſiones inferre poteſt. Prima eſt, quod flatus quoſdam mordaces gignit vſque ad ventriculum laceſſantes, vt ſumentibus nauſeam commoueat. Inflammat deinde acredinis exuberantia corporis ſpiritus, quo fit, vt facilè febres excitet, in ijs præcipuè, qui ob ſtructionibus viſcerum, & humoribus putreſcentibus obnoxij ſunt. Ad hæc quod magna tum attrahendi, tum aperiendi facultate ſit præditum, immoderatas alui fluxiones facit; vaſorum enim oſcula pluſquam par ſit aperit. Abradit præterea acri ſucco, quo ſcatet, inteſtina, proinde & tormina, & dyſenteriam, & teneſmum excitat. Obeſt poſtremò ſcammo-*
C *nium cordi, iecori, ac ventriculo ſubſtantiæ ſuæ totius proprietate.* Relata mala omnia ſcammonium infert, quemadmodum VueKerus ex Dioſcoride, Meſue, Dodonæo, Mattæoloque affirmat; Et quamuis hæc de ſcammonio & ſolo, & crudo potiſſimum intelligantur, de coćto verò, & cum alijs commiſto non adeò malè cenſendum ſit, nihilo tamen cum mala omnia, & ſingula, quæ ſcriptor ille recitat, adamuſſim fuerint noſtro in Aegrotante obſeruata, ſtatim ferè a deglutito pharmaco, ac toto deinde morbi progreſſu, neſcio quomodo pro certo habendum non ſit, vi eorum omnium, quæ Diaphœnicon ingrediuntur, ſed præcipuè ſcammonij, tot ſæua inſurrexiſſe ſymptomata. Vnde & Maſſaria de medicam. purgant. cap. 25. De ſcammonio, *Sciendum eſt*, inquit, *huiuſmodi medicamentum*
D *eſſe vehementiſſimum, & violentiſſimum, ac multis modis naturæ hominis aduerſari, adeò vt fuerint nonnulli, qui dixerunt ſatius fuiſſe ſcammonium nunquam ad manus hominum perueniſſe, cum fortè plus incommodi, & periculi, quàm vtilitatis afferat: Paulus, Actuarius, & alij teſtantur illud plus quam cætera omnia purgantia medicamenta ventriculo aduerſari.* De quibus quidem noxijs omnibus timendum magis erat in hoc Diaphœnicone, quia paucos ante dies compoſitum fuerat, recenſque omnino erat, nec adhuc maligna, ac deleteria vis ſcammonij a ſimul commiſtis caſtigari, aut corrigi potuerat. Hæc etenim conditio quanti referat, quantumque diſcriminis ponat in medicamentis compoſitis, patet quam facilè omnibus non modò ex theriaca, cuius vires ante fermentationem contrariæ prorſus ſunt ijs, quas poſtea noſtra in corpora exerit, verum etiam ex conſimilibus

purgatorijs

purgatorijs medicamentis, vt propterea in diaphœnicone de recenti confecto A
integras ferè adhuc uires ſuas ſcammonium retineret, cum facta nondum foret
per omnia miſcibilium vnio. Omitto nunc turpethum, quod licet ſuapte natu-
ra tarde, ac imbecilliter purget, quotieſcunque tamen permiſcetur illis, quæ va
lent eius facultatem intendere, qualia plurima ſunt eorum, ex quibus concinna
tur diaphœnicon, potenter & ipſum vacuat; neque ita ab alijs corrigitur, & ca-
ſtigatur, vt ventriculum, totumque corpus non magnopere turbet. Quod deni-
que ratione morbi, neque hoc, neque aliud conſimile medicamentum præſcri-
bendum foret, præter allatas rationes patet etiam clariſſime per Trallianũ lib.
10.cap. 1. vbi de huiuſmodi doloribus curandis peragit; ſic enim ait; *At per ini-
tia purgandi ipſi non ſunt, verum vbi humores prius extenuatos, diſſolutoſque ſenſe-
ris, & nullam amplius inflammationem inteſtina vrgere. Ita enim illis vſus non erra-
ueris, neque metues vllum periculum futurum, materia iam concocta, & ad euacuatio- B
nem idonea. QVI. ENIM. AVSI. SVNT. humores dum crudi ſunt, aut inflamma-
tio colon exercet, purgare, vel efficacibus vti, hi ignorant, ſe ægrotantibus auctores fieri,
& periculorum, & mortis.* Ab Aleſſandro non differt Auicenna, dum præſertim
3. Can. fen. 16. trat. 4. cap. 1. ſic loquitur. *Ex eis, in quibus nõ eſt conuenientia, eſt, vt
feſtinatio ſit in dando in potu ſolutiuum deſuper, quoniam eſt fortaſſe oppilatio fortis, &
humores, & ſcybala ſunt plurima, & cũ peruenit ad ipſam humor deſuper, fortaſſe non
inuenit penetrationem, & perducit regimen ad timorem maximum;* & paulo poſt ſu-
biungit: *cumque bibitur medicina deſuper, euacuat non ab vno quoque duorum, ſcili-
cet ventriculo, & inteſtinis, imò ex alijs locis a quibus vacuatio omnino neceſſaria non
eſt, & illud facit acquirere debilitatem proculdubio;* Et rurſus addit. *Et quandoq; ac- C
cidit, vt medicinæ attrahentes, ex corpore attrahant ad inteſtina alios humores malos,
& quandoque attrahant humores excoriantes, quare aggregatur excoriatio, & colica
ſimul.* Mehercle ſi Auicen. huius Principis curationi interfuiſſet, neſcio, an cla-
rius diaphœniconis vſum improbare potuiſſet, quãdo ſtatim ac illud fuit aſſum
ptum, cuncta, quæ Auicenn. recenſet, lumine clariora apparuerunt. Quæ do-
ctrina poſſet etiam multorum magni nominis Medicorum recentiorum teſti-
monijs comprobari, ſed inſtar omnium ſint, quæ apud Gualtherum Bruele in
Appendice ſuæ Praxis pro curatione colici doloris ita leguntur: *A fortiter quo-
que purgantibus medicamentis omnino abſtinebimus in principio potiſſimum mali; peri-
culum enim eſt, ne materiæ aſtantes ad inteſtina ſic præcipitentur, vnde malum ingemi- D
nari poterit.* Rodericus a Fonſeca in ſuis Conſult. de ſe ipſo colicis doloribus labo
rante ſic loquitur. *Hoc tempore nullum purgans medicamentum per os aſſumpſi, quia
in acceſſione abſtinendum eſt, & quia periculum erat, ne ad partem læſam traherentur
humores, & quia video Galenum vbi curat, hunc dolorem 12. Metho ſolum vti leni-
tiuis, propterea multi a magnis medicamentis abſtinent in hoc dolore, & ego id expertus
ſum in me ipſo.* Et paulo poſt deueniens ad vſum diaphœn. ſic ait; *Bene verũ eſt,
quod vbi aluus non cedit lenientibus, nec clyſteribus, nec quidquam excernitur, tunc
velimus, nolimus ad valida purgantia veniendum eſt per os exhibita, quale præ ca-
teris eſt diaphœnicon cum hiera ipſa in hanc formam. ℞. diaphœn. vnc. ſem. vel drach.*

ſex ſi

A *ſex ſi æger robuſtus fuerit.ſpec.bieræ drach.tres.Philonij Rom.vnius anni drach.ſemis.
m.& cum ſaccharo f.bol.*

Non Aegri naturę diaphœnicon conueniebat,ideoque ad alia mens dirigé-
da erat. Veriſſima etenim eſt aurea illa Gal.ſententia 4.meth.*Naturæ ſemper fa-
miliaria exhibenda ſunt,quæ cum prodeſſe plurimum poſſint nocere certè neutiquã va-
lent*. Cur? quia veriſſimum quoq; eſt quod 2.de rat.vict. in acutis 12. idem Gal.
ſcripſit,nempe purgantium omnium facultatem,corporum,quæ expurgantur,
naturis contrariam eſſe. At proprius ad rem accedamus. Perſpirabile admodum
corpus inerat.P.N. imò ipſe adeo propenſus ad exhalandos, ac digerendos om-
nes corporis ſuccos erat, adeoque raræ texturæ, vt æſtiuis temporibus , & locis
calidioribus ex nimia ſpirituum, ac virium diſſolutione languidiſſimus eſſet, &
B cum omnibus non modo cum Medicis de maxima imbecillitate,& quadam ani-
mi exſolutione cõquereretur,& in ſumma de cenſu erat illorum,quorum natura
æſtate male , hyeme vero bene ſe habet. Os ventriculi ſupremum ſenſile ſupra
modum habebat,vt perpetuo per totam æſtatem de parte illa eſſent quærimo-
niæ. Accedit,quod iuuentutis annis dira adeò lue laborauit,vt corpus vndequa-
que vlceratum, & doloribus afflictum diu per id ætatis fuerit, ad quod mali ge-
nus expurgandum non modo ſæpe ligni guaiaci,ac ſalſæ decocto vſus eſt , verũ
quoque hydrargyri inunctionem experiri voluit , a qua ſicuti labe ipſa quantũ
detrimenti viſceribus omnibus acceſſerit,notius, quam vt nunc longius expli-
cari debeat. Aluus inſuper vel lubrica illi erat, vel ſtyptica ; hoc eſt , vel a quo-
uis blãdo,ac leni medicamento fœliciter purgabatur,vel difficulter, & niſi a va-
C lide purgante medicamento eidem venter concitabatur. Conditio etenim hæc
magnifacienda & præponderanda a Medico eſt,an quis prompte,aut ægre pur
getur. Cuius rei cauſam prudenter aſſignabat Actuarius 3. meth. cap.8. dicens.
*Atque in omnibus eorum in purgando facilitatem ante expendere oportet,ne temere, ac
inconſiderate ijs,qui prompte purgantur, valida,ijs vero, qui difficulter, debilia præbe-
mus,illa namque ijs,quibus exhibita fuerint , ſuper purgationes minitantur, atque hæc
agitantia,ac commouentia tantum eos,qui antea quieſcebant, humores interdum ad par
tes principales tranſmittunt,atque deteriorum affectionum anſam præbent* . Vnde in
corporibus natura mollibus,& in delicijs degentibus quantum conueniant va-
lida,& fortia medicamenta,præſertim ſcammoniata æſtiment illi,qui tam vete-
rum,& recentiorum monumenta aſsidue reuoluunt , quam medicam arté quo-
D tidie exercent , & experimento certo generalia præcepta metiuntur , ac ponde-
rant. Hoc equidem didici cum ſummorum virorum teſtimonio, tum longo me-
dendi vſu,quæcunque purgatoria medicamenta inſigniter calida,& ſicca ſunt
& acria,quale diaphœnicon eſt,magnopere ſemper obeſſe, humorum calidorũ
acrimoniam tum calida , & ſicca ſua temperatura , tum motu etiam exacuendo,
quotieſcunque præbentur æſtuoſis temporibus , & locis, cum quibus naturalis
temperies corporis calidior conſentit,vt nos etiã docent Hipp.& Gal.4 aph.5.
Quod ſi dura illi aluus erat, ne fœliciter purgabatur , ſciendum vtique nunquã
purgationes in duro ventre pericul. ſ. acare. Quocirca Hieremias Triuerus in
Comm.

Comm ad lib.1. Cornelij Celſi cap.3. in hunc modum loquitur. *Nimis pernicioſus* A
error hactenus fuit Medicorum putantium eadem medicamenta eſſe ſtercoraria, atque
purgantia; qui his, qui difficile deſederant medicamentum purgans ſtatim exhibebant;
atque ob id ferè tantum: nam & Auicen. (ſi rectè memini) dixit quam perieuloſa ali-
quando illis accidentia ſuperueniunt, qui conſtipato aliquot diebus ventre purgationem
experiuntur; & quæ ſequuntur. De qua re etiam paulo ſupra ex Fernelio. Vel ita-
que purgandi corporis natura cognita, vel non cognita erat; vndique anguſtię.
Dicebat enim primo Gal. 2. de rat. vic. in acutis ij. *Prudentis Medici, qui purgandi*
corporis perſpectam naturam habet, multum negocij non eſſe accommodatum pondus me-
dicamento præſcribere; Secundo autem eodem in loco addebat, *illis, qui nobis noti*
non fuerint, tantum medicamenti dandum eſſe, quantum pluribus datum ſolet medio-
criter purgare. In re verò dubia diſcedendum non erat ab Auic. qui 4. fen. pri- B
mi Can. tradit. *Melius eſſe in purgantibus infra ſubſiſtere, quam exquiſitiſſime eua-*
cuare. Id quod didicerat ab Hipp. & Gal. 1. Aphor. 3. vbi præcipiunt vacutiones
immodicas eſſe fugiendas, vt potè quæ periculoſæ admodum ſunt. Pręterea hoc
ipſum medicamentum non conueniebat ratione temporis, quia tunc ſirij fure-
bant ęſtus, de quibus clariſsima eſt Hipp. ſententia 4. aphor. 5. *Sub Cane, & ante*
Canem difficulter ferunt corpora medicationes. Ante verò, & poſt caniculares dies,
dicit, more ſapientum, qui, vt Oribaſius, ſi Oribaſij ſunt, in Commen notat, ſub
duobus extremis media ſubintelligunt. Idem Hip. librum de purgan. medicam.
hiſce verbis concludit; *Iuxta eandem rationem etiam tempore æſtatis a canis ortu per*
dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum, ſed infuſis per clyſterē
vti, idem enim periculum imminet. Quod verò medicamentum diaphœnicon in C
tam magna doſi vſurpatum, poſsit comparari ijs, quibus vtebatur Hip. & a qui-
bus per caniculares dies abſtinendū eſſe præcipit, non dubito quin omnès vna-
nimiter aſſeueraturi ſint. De quo propterea nunc illud efferri poſſe crediderim,
quod eodem in opuſculo paulò ante ab Hipp. ſcribitur. *Turpis eſt calamitas pur-*
gante medicamento dato hominem occidere. Neminem profectò Medicorū ego vn-
quam vidi, qui diebus canicularibus, vbi opus purgatione ſit, blanda, & hype-
lata medicamenta tranſgrediatur, imò vix eccoprotica; quod ſi etiam cathartica
neceſſario indicentur, ea, & in pauca admodum doſi offerat, & vna cū alijs vim
illorum contemperantibus, non commiſceat. At cur obſecro dicit Hipp. purga-
tiones, quæ fiūt ſub Cane, & ante Canem ἐργώδεας, ideſt difficiles, & moleſtas
eſſe? An & hoc ex diuinis, & cęleſtibus illis eſt, quæ ipſe in Prognoſticis monet D
obſeruanda eſſe, licet alij temporum tantum mutationes ab Hipp. deſignari cō-
tendant? Nam certe idem Hipp. in lib. de aere, aquis, & locis, Aſtrorum ortus,
& occaſus non ſolum commendat, ſed omnino obſeruandos eſſe tradit. Cū quo
pariter videtur facere, quod tunc Sol altiſsimus non eſt, neque dies longiſsimi,
& tamen æſtus maximi ſunt. An ob ſiccitatem præcedentem? Neq; hoc, vt vult
Scaliger, ſed vi ſideris, quia etiam piſces ſub aqua ſiderantur. Sane Seruius deci-
mo Aeneidos ſic inquit: *Sirius ſtella eſt in ore canis, quæ quantum in ipſa eſt, peſti-*
fera eſt, ſed pro qualitate adiacentium, aut vincitur, aut maioribus vtitur viribus.

Quicquid

A Quicquid vero de latente,nec ita ſenſibus peruia facultate ſit, nos cum medicis
dicamus,damnari tunc temporis purgationes ab Hipp. quia quo tempore Ca-
nis oritur,aut Procyon, qui anticanis eſt, vt habetur in Arati Phęnomenis, etſi
dicat Plinius 18.cap. 28. *Procyoni non eſſe Romanum nomen*, ſiue antequam Ca-
nis ipſe oriatur,vel propè Canẽ,vehementer æſtuãt humana corpora, eo quod
ſtella illa in Cęli centro cum ſole coniuncta æſtum eius duplicat,mortaliumq;
corpora nimio calore languida reddit; medicamenta vero purgantia calida ad-
modum ſunt,& calorem corporis adaugent. Præterea ambientis nos aeris calor
corpora noſtra inflammat, & in ambitum corporis ducit humores, contra medi
camenti purgantis opus,quod ad centrum eoſdem ducit. Deniq; quæ purgan-
tur corpora vndequaq; eneruata,ac diſſoluta languent,geminato calore aeris,&
B medicamenti; Vnde iure ait Gal.in comm. *Plures purgati hoc tempore in febres in-
cidũt.* Ceſſet hinc ergo quiuis mirari in P.N. poſt tã forte medicamentũ,tã ſęua,
ac dira ſymptomata exorta fuiſſe, iiſdemque tandẽ hypercatharſin ſuperueniſ-
ſe,& medicamentum ipſum factũ quaſi hęmagogum. Poſtremo remanet, vt ad
doſim,& quantitem medicamenti deſcendamus,quæ ſane tã magna, tamq; an-
dax fuit,vt cum neq; morbi,neq; Aegri naturę,neq; etiam tẽpori vllo pactò cõ
ſentiens eſſet,exiſtimauerim aliquando exhibitum catharticum inter Pharmaca
illa eſſe connumerandũ,quę ad venenorũ accedunt naturam,iuxta Gal.doct.6.
Epid.comm.6.prope finem,& Actuarium 3.met.c.7.ab initio.Quam rem ſimi
liter poſſem non difficulter comprobare multorum recentiorũ teſtimonijs, ſed
in præſenti inſtar omniũ erit Hieron. Capiuaccei auctoritas in Tract.de Vene-
C nis lib. 7.ſuæ Praxis,vbi de rẽcõdita venenorum qualitate,quam in alteratoriã,
& purgatoriam partitur,verba faciens, poſtquam dixit purgatoriam, ſeu attra-
hentem qualitatem conſtituere medicamenta purgãtia,ſubiungit.*Purgantia at-
trahũt ſanguinẽ,uel alios ſuccos. Quæ ſanguinẽ trahunt,admodũ ſunt uenefica, nec ulli
hominũ cognitas Quidã.n.qui hoc uſus erat ueneno,ligatis oculis ad ſuppliciũ ducebatur
ne hoc peſtiferũ alijs pateſaceret,ut Gal.prodidit memoriæ. Purgãtia reliquos ſuccos du
pliciter reddũtur uenefica primò,ſi nimis ĩtẽſa,et uiolẽta eſt eorũ actio,ut in ueratro albo,
qđ interficere p̃t,licet nõ euacuet humores,ſcd̃o dũ immodicã ſuccorrũ quãtitatẽ alliciũt
in ſuperpurgatione unde poſtremo ẽt ſanguis uacuatur,& hõ perit.* Idẽ nõ valdè poſt.
*Purgãtia,*inquit,*medicamenta,*ſm̃.*Gal.c.24.& 25.l.3.ſimp.alias habẽt p̃miſtas por
tiones alimentales,nullas ueneficas,ut ſyr.roſ.ſol. caſſia,& forte ẽt rhab. q̃ ſi nõ purgãt,
D *ſed a corpore uincuntur,mutãtur in humorẽ familiarẽ,& in alimẽtũ,ut rhab.in ſangui-
nẽ biliosũ;alia permiſtas habẽt portiones ueneficas , ut ſcam.turbit. colocynthis, utrũqꝫ
ueratrũ.*Nec cõtra nos facit q́ ſubnectitur.*Et hæc ſi nõ purgãt,corrũpuntur in corpo
pore,& generatur materia uenefica ; nec.n.portio alimẽtalis propter portionẽ ueneficam
uinci põt.*Quãdoquidẽ lęſio a taliũ medicamẽtorũ vſu ſępe ẽt cõtingit ab immo
dica ſuccorũ quãtitate,quã alliciunt, vſq; ad ſuperpurgationẽ,vt euenit in caſu
noſtro.Sed clarius infra quęrẽs,nũ oĩa purgãtia ſint uenefica,ut Gal.aſſerere ui
detur com.12.l.2.de vict. rat.reſpõdet.*Vt hoc diſſolui queat,notandũ,purgãtia alia
eſſe uehemẽtiora alia debilia.Vehemẽtia ſunt,quæ cũ impetu attrahũt,et a partibus re-*

motis, & tollunt impedimentum, quæ purgationem tardare poſſunt. Si enim impedi- A
mentum eſt in humore craſſo, & viſcido, medicamenta ob calorem, & amaritudinem
attenuant, ac detergunt. Si in vijs eſt obſtructio a craſſis, & viſcidis humoribus, me-
dicamenta hos detergunt; Si expultrix ſopita ſit, excitatur medicamenti mordacitate,
& malignitate. Et hæc vehementia purgantia ſunt venefica, de quibus etiam Hipp.
& Gal. loco citato loquuntur; vt de peplo, de veratro, &c. Debilia purgantia ſunt, quæ
attrahunt a proximis, nec impedimenta remouere poſſunt; & hæc non ſunt venefica.
An vero inter prima, an inter ſecunda reponi debeat Diaphœnicon vnius præ-
ſertim vnciæ pondere exhibitum calidiori corpori, & in anni tempore æſtuoſiſ-
ſimo, iudicent omnes, quicunque norint crudi ſcammonij, ac turbith quantita-
tem, quæ in vncia medicamenti reperitur, ac cetera quoque impensè calida, &
acerrima, quæ compoſitionem illam conſtituunt, præter aquam cinnamomi ſtil B
latitiam. In ſumma neminem eſſe arbitror, qui ignoret cathartica omnia valen-
tiora qualitate quadam prædita eſſe, qua cum deleterijs mirum in modum con-
ueniunt, & licet deleteria pharmaca Gal. 6. epid. com. 6. videantur a Medicis eſ-
ſe appellata nunquam iuuantia, neque ſanos, neq; ægros homines, cathartica ve-
rò, quorũ neceſſariũ auxiliũ aliquando opportunè fit, nihilo tñ, ſi vera ſunt, quæ
de puella referuntur, eam ſcilicet ab initio vſam eſſe napello in exigua copia, &
ſenſim eius vſui ſine vlla noxa aſſueuiſſe, & de vetula Athenienſi, quæ ex parco
vſu cicutæ nõ modo nõ lædebatur, ſed ẽt nutriebatur, affirmare certè poſſumus,
nõ ſemper venena in minima quauis portione perdere, ac interimere, & ex alte-
ra parte purgantia valida nos facilè corrũpere, ſi pluſquã moderatè exhibeãtur,
Quod ideo dico, vt ex hoc eliciatur, quãti referat in præſcribendis medicamini- C
bus, attẽtè cõſiderare doſim ipſorũ, quãdo hæc ea ſit, quæ incõſideratè notata, &
in maiori, quã cõueniat, copia, in cauſa eſſe põt, vt purgãtia medicamenta verè
deleteria euadãt; quẽadmodũ. n. venena ipſa, vt corruptricem vim ſuã exercere
valeãt, certa quadam, ac determinata quãtitate indigent, veluti cœteræ quæque
res naturales, quũ minima ignis ſcintilla nõ cõburit, ẽtſi ignis cõburẽdi facultatẽ
habeat, ſic medicamẽta purgatoria, ſeu cathartica in certa, ac definita quãtitate,
quantã nimirũ natura ferre, & pro virib. regere poſſit, vt ſunt medicamenta eidẽ
opportunè, & prudẽter oblata, plurimũ prodeſſe, nec minimũ iuuare ſolẽt. Na-
tura ſiquidẽ ijs vtitur pro inſtrumẽtis ad expurgandũ corpus ab illa excremen-
torũ colluuie, a qua moleſtiã perſentit, atſi, nõ prout decet, & in cõuenienti doſi
offerãtur, perinde ac ipſamet venena nos perdere, ac interimere poſſunt. Cuius D
euidentiſſimũ illud ponũt argumentũ, quod Theriaca, q̃ venenorũ omniũ per-
niciosã facultatem abolendi virtutẽ poſſidet, ſi offeratur homini qui catharti-
cũ ebiberit, ẽt ſi purgatio inceperit, aluũ ſiſtit, ac ſupprimit, vi nimirũ medica-
menti retuſa, ac debellata, veluti alia venena ſimiliter ab ea ſuperantur, vt habe-
tur apud Gal. de Theriaca ad Piſ. c 14. quamquam noſtri temporis Theriaca, vel
ratione ſimplicium, quibus caremus, vel ratione præparationis, aut alijs fortè
de cauſis, Theriaca veterum longè inferior ſit, & ab antiqua illa perfectione
plurimum deficiat, vt neque adhuc experimento compererim, aut ab alijs
com-

A compertum, vel cognitum adinuenerim, theriacam noſtram purgantis medicamenti vim ſiſtere, quod Gal. minime fallax fuit indicium quo optimam dignoſceret, & veram ab adulterina diſcerneret; ſed hæc ad eos, qui de Theriaca ſcribunt; mihi ſatis eſt hæc adduxiſſe, vt inde omnes facile intelligant, quemadmodum proprie vocata venena, ſi in exigua admodum offerantur doſi, nullo modo interficiunt, licet a natura non adeo vincantur, vt in aliquod corporis commodum tranſeant, allata enim exempla rara admodum ſunt, & admiranda; ſic purgantia, & cathartica vocata medicamenta, ſi in maiori, quam par ſit, & conueniat, quantitate exhibeantur, veneni vim adipiſci, & non ſecus, ac venenum ipſum corpora corrumpere, ac interficere; ſed ſi excernuntur, nec intra corpus detinetur, quomodo interficiunt? Quoniam non caſtigata, nec in debita, ſed
B maiori doſi exhibita ὑπερκατάρσειν inducunt, ac ſanguinem euacuant, ad cuius vacuationem mors ſequitur, ob diſſipationem caloris vitalis. Quamobrem vero fiat ipſamet ſuper purgatio, docuit Gal. lib. 3. ſimplic. capit. 27. & vltim. Vbi eam maximè fieri docet propter lęſam retentionem, & expulſionem, nec non etiam patet è fine lib. 2. de Elemen. vbi traditur, & in nutritione, & in purgatione fieri attractionem, non modo conuenientis, ſed etiam noxij. Quæ cauſæ hic euidentiſſimè vna fuerunt, ſi ſymptomata omnia, interaneorum læſio, & denique ſcammoniati medicamenti in maxima doſi exhibitis vis attractrix inſignis recto iudicio contemplentur. Quod verò vncia vna Diaphœniconis ſumma ſit illius medicamenti doſis; & quam nullus medicorum niſi extremo in morbo, omnibus alijs prius tentatis, in valida, ac robuſta natura, annique tempore prorſus
C alio quam æſtiuo præſcribere audeat, non erit difficilè demonſtrare, ſi tamen antea dixero, ex hac re optime cognoſci, quam vera ſit Ariſtotelis ſententia 10. Ethic. *Medici è libris minimè fiunt.* Vtinam hic locum habuiſſet quod a Gal. 1. aphor. comment. 1. dictum eſt; *Subiecti nobilitas timidum in operando Medicum facit.* Et in lib. de Pręſag. ad Poſth. cap. 11. *Regibus, atque Principibus Viris non niſi tutiſſima remedia eſſe offerenda.* In ſumma *operari ſecundum libros abſque perfecta ratione, & ſolerti ingenio moleſtum eſſe,* dicebatur ſupra ex Damaſceno, quoniam ſcilicet *ingenium ſolers, ac perſpicax iuuat Artem, hebes, vero, ac torpidum contrarium omnino efficit*; quod ideo ex Damaſcenò retuli, quia aliquando interponendum eſt iudicium, nec ſola contenti eſſe debemus lectione, eique omnem fidem habere, vbi præſertim de doſi, & quantitate medicamentorum nobis ſeſe
D offert occaſio, eo quod nulla res eſt, quæ Medicinam magis incertam, & coniecturalem efficiat, quam definita, & congrua faciendi remedij quantitas, maximè vero purgantis medicamenti, in cuius exhibitione duo quandoque committuntur extremi errores, ambo a medico quantum poteſt declinandi. Primus error eſt, quando iuſto imbecillius præſcribitur medicamentum, vt nihil euacuet, & plus quam oporteat, calefaciendo noceat, morbumque adaugeat, aut ſi vacuet, longe minus ſit quod vacuat, quam quod mouerit. Vnde poſtea vitioſi humores commoti, & non expurgati maiorem moleſtiam afferant, vt ſentit Galenus ſecundo de Cauſ. ſympth. 5. Ita recordor Venetijs olim

Clariſſimo D. Ioan. Iacobo de Mocenicis iuueni robuſto, & calidi admodum A
iecinoris a Medico Flangino exhibitas pilulas de tribus cum rhabar. quæ cum
nihil humorum eduxerint, ſed eos vndequaq; agitauerint, febrem vehementiſſi
mam excitauerunt, & flauam icteritiam, a quibus difficulter euaſit. Alter commit
titur error, quando plus æquo validum præſcribitur medicamentum, a quo im-
moderata vacuatio prouenit, & ſuperpurgatio, quæ corporis ægri vires proſter
nit. E quibus tamẽ duobus erroribus, leuior vtiq; primus, quia facilius eſt repe-
tita vacuatione per alterum medicamentũ addere id, quod in priori defuerit,
vel etiã clyſteribus medicamẽtũ adiuuare, & integrè detrahere qnod commotũ
non tamen eductum fuit, quam immodicam reprimere vacuationem, corpuſq;
poſt vires ex nimia inanitione exſolutas refocillare, Deniq; tutius ſemper eſt ha
bitum in molienda purgatione paulo citra modum ſubſiſtere, quam vltra proce B
dere. Quod doſis autem, qua datum fuit Diaphœnicon, maxima, & ferè extrema
ſit, nulli dubiũ eſſe poteſt, quando medici omnes, quos videre, aut legere mihi
hucuſq; contigit, paucis admodum exceptis obſcurioris notæ, ſex drachmas mi-
nime excedunt; imo Ioannes VueKerus, qui hac in materia fuit exactiſſimus. in
Antidot ſpec. lib. 2. de Elect. pituitam purgantibus, Diaphœniconis mẽtionem
faciẽs, tradit ex ipſomet. Meſue dari a drachmis duabus vſq; ad quinq; An pu-
tandum a nobis eſt Virũ illum oſcitanter Meſuem legiſſe? Mendũ, & errorẽ, aut
in Auct. aut in alijs, qui eius cõmentaria diuulgarunt, agnouit. In qua ſententia
eo magis confirmor, quo Syluius eodẽ in loco ita ſcribit. *Datur a drachmis qua-
tuor per ſe; frequenter cum caſſia, & manna.* Ioan. Fern. qui in ſuo Diaphen. diacry
dium, non ſcammoniũ adhibet, attamen inquit. *Doſis a drachmis tribus ad vnciã* C
mediam lib. 7. met. Alex. Maſſaria lib. 9. ſuæ Prac. c. 14. vbi fatetur ſe familiariter,
ac libẽter vti ſolere hoc medicamẽto pro pituita purgãda, ità ſcribit. *Doſis apud
Meſuem eſt vſq; ad drachmas decẽ. Ego vero illo utor frequentiſſime a drachmis qua-
tuor, vſq; ad ſex, neq; ad ſummũ vllo modo auderem octo drachmas excedere.* Ex quo
loquendi modo nõ obſcure cognoſcitur, nec Maſſariæ probari extremam illam
doſim Meſues, & niſi maxima in neceſſitate, ac vndiq; coactum ad vnciam de-
ſcẽdere voluiſſe, quippe qui etiam lib. 1. c. de Paralyſi huiuſmodi Elect. inter ve
hementiora medicamenta, quæque ab intimis ac remotis partibus attrahunt,
commemorat. Si hæc verò doſis apud Meſuem timetur in Diaphœnicone mi-
nore, in quod ſcilicet drachmæ tantũ duodecim ingrediuntur ſcammonij, quan
to magis deteſtanda in maiore, in quo ſcammonij doſis ingeminatur; Et nihi- D
lominus Paſchaſius in metho. cur. morb. vult Diaphœniconis maioris exhiberi
etiam poſſe drachmas decem cum dimidia, qui non multo poſt eos errare tradit,
qui cũ Rhaſe cap. de reſolut. dant drachmas duas cum dimidia pillularum fœti-
darum, addens earũ doſim eſſe a drachma vna vſq; ad ſcrup quatuor; quem er-
rorem miror a Pereda diſſimulatum, qui in Scriptore illo alios valdè leuiores
non prætermiſit. Sane quantum ad fœtidarum pilularum exhibitionem ſpe-
ctit Maſſaria libr. 9. iam cit. neque in doſi, neque in tempore Rhaſim haud
imitandum eſſe admonet; & in doſi quidem, quia nimia eſt; cum drachma
vna,

A vna,aut ad ſummũ drachma vna cum dimidia ſit ſatis,ſuperq; idem Meſue, vbi
de cura capitis ex frigido,ac pituitoſo humore agit,præſcribens pondus pilula-
rum cochiarum, dicit doſim earum eſſe drachmas duas cum dimidia. Attamen
Trincauellius lib. i.de comp.medicam.c.17.de hac doſi ſic ait. *Quæ copia,conſide-
rato robore harum pilularum in purgando maior fortaßè iuſto eſt, vnde facile credo eßè
mendum in numeris,& exiſtimo legendum eßè,drachma vna cum dimidia,ea ratione
adductus,quod ſi hę pilulæ recte ſint confectæ,quotidie videmus, quod plurimi vnica
drachma accepta,facile purgantur, & ſatis etiam liberaliter, accepta verò ſeſquidra-
chma liberaliſſime.* Idem infra,vbi de pilulis indis, quæ vtiles admodum ſunt pur
gando humori melancholico uerba facit, quæ pilulæ licet ſcammonij expertes
ſint,quędam tamen alia nihilo inferiora continent,veratrum nigrum,colocyn-
B thidem,lapidem cyaneum,& ſal copioſum;vt omittam epithymum,polipodiũ,
agaricum,& alia,ſic de illarum doſi loquitur. *Harum doſis commẽdatur a drachma
vſque ad ſeſquidrachmam, aut paulo plus,quamuis ad tres vſque drachmas acceßerit
Meſue.* Quod ſi idemmet Trincauellus cap. antecedenti de ipſo diaphœnicone
tradit, *ſi ſolo uſuri ſumus,poßè nos accedere ad doſim a quatuor vſque ad ſex drachmas,
& ultra etiã quandoq; eo quod unica uncia huius medicamenti accipit ſcãmonij circiter
ſemiſcrupulum, turbith vero ſemi drachmam,* nihilominus quaſi tantã doſim per-
timeſcens,ſubiungit; *Vt tamen ratio ſit habenda natura corporis purgandi,quatenus
ad facilitatem, & difficultatem purgationis pertinet,item ad ætatem,vires,& alia hu
iuſmodi,* manifeſte innuens,quod & ego probare volo,ad ſummam illam,& vl-
timam doſim nullo pacto eſſe deſcẽdendum,niſi vt ſupra ego quoq; ſignificaui.
C Verum,vt materia hæc de medicamentorum doſi apud Auctores varios atten-
tius cõſideretur,nec properando quantam eorũ aliqui proponunt noſtris ęgris
temere,& ſine iudicio offeramus,cupio rem vlterius proſequi, aliiſq; exemplis
illuſtrare.Scimus omnes in iſchuria,vbi alia non contulerint auxilia, ad cantha-
rides vtiliter deueniri,quę prout docent Dioſcorides,atque Galenus,& optimę
ſint,& rite præparatę,ſed dum quantitatem, ac doſim præſcribendam proponit
Hippocrat. ſeu quiſquis fuerit Auctor.lib.4.de rat.vict. in acut.ad tres vſq; can
tharides accedit, quæ quidem, facto periculo, abiectis capitibus, pedibus, &
alis, excedunt doſim granorum ſex, cum tamen melioris notæ Medici ad duo
grana circiter ex emulſione ſeminum communium frigidorum, vel ex lacte
muliebri ad vncias ſex huiuſmodi præſidio vti ſoliti ſint. Auenzoar libr. 1.tract.
D 16. capit. 6. docens modum, quo parari debet aqua hordei, in quantitate
aquæ aſſignanda duas ſolum aquæ partes accipit; At Auerroes, qui fuit
Auenzoaris ſectator, viginti; paruum,vt dicitur, diſcrimen; & neuter cynoſ-
ſuram attingit,quia in priore defectus, in poſteriore exceſſus eſt quam manife-
ſtus.Vna ſiquidem pars hordei eſſe debet, & decem aquæ. Vnde in libris illis
mendum ſubeſſe crediderim potius,quam in Auctoribus errorem. Auicen. ſen.
4.primi capit. 35.dum inuehitur in Rhaſim,qui in 10. ad Almanſorem cap de
tertiana nec non 17. cont. capit. 5. in principio concedebat valida purgantia
medicamenta, cum ipſe vice verſa probet tantummodo blanda, & lenientia,

qualia ſunt caſſia,thamarindi,& ſimilia,dat quadraginta drachmas thamarindo- A
rum,quæ doſis quantum a iuſto recedat,facilè ab omnibus cognoſcitur.Quare
vel deprauatus locus eſt,vel,vt quidam ex interpretibus autumant, Auicenna
medicamentum proponit pluribus,non vnica vice exhibendum. Loquens Me-
ſue de ſucco iridis a drachmis duabus vſque ad ſex dari iubet. Paulus vero ſcri-
bit,iridem habere facultatem purgandi ſimilem agarico,& quantitate 8.obolo-
rum,hoc eſt 4.ſcrupulorum eſſe offerendam. Dioſcorides de ſcammonio verba
faciens ad drachmam vſque tuto dari poſſe cenſuit, etſi aliquando dixit ſatis
poſſe interdum eſſe ſemidrachmã,vt liberalis,& copioſa fiat purgatio; duos ve-
rò obolos,hoc eſt,ſcrupulum poſſe commode aluum ciere, vt ſenſus eius in doſi
ſcammonij ſit,eam poſſe præſcribi a ſcrupulo ad drachmam, ſed Paulus lib.7.
ait, dandos eſſe obolos quatuor, qui pendent ſcrupulos duos, cui Aetius, & B
Actuarius aſſentuntur. Solus Meſue hic metam attigiſſe videtur,qui cum ratio-
ne conſulit non eſſe excedenda grana duodecim, imo fatetur etiam grana qua-
tuor ſufficere ad ventrem non obſcure ſoluendum; cuiuſmodi exempla quam-
plura hoc in loco poſſent ex varijs ſcriptoribus recenſeri,ſed iam allata pro tem
pore ſatis ſint,vnde colligi poteſt,quam verè dictum ſit a Galeno in lib. de com
poſ. medicam. ſecundum gen.& loc.*immenſam eſſe congeriem errorum, qui ad pon
dera,& menſuras medicamentorum tam ſimplicium, quam compoſitorum pertinet*, &
lib. 1.de Antid. 5.*Quoniam vero* inquit, *quædam formulæ compoſitionis artem conti-
nentes mendoſe conſcriptæ ſunt, dum alij illarum deſcriptiones peſsibus exhibendo de-
dita opera mẽtiuntur; alij exemplaria,quæ a maioribus integra acceperunt,peruerſa mi-
noribus tradunt (nam libri qui in Bibliothecis repoſiti ſunt, cum numeros notis deſigna- C
tos contineant,facile deprauantur,ſi quidem ι modo in θ modo in o tranſit, & ι quoque
& ν reciprocant, vna enim linea addita ι in ν mutatur;& ex duabus altera detracta ι,
remanet*) Et quæ ſequuntur. Vnde eodem in libro cap. 2. neſcio cuiuſdam im-
probat temeritatem, quod ex ſola librorum lectione theriacam conficere auſus
eſſet, quamuis ibi non de doſi, ſed de componendi arte ſermo potius habeatur.
Iuxta quam rationem,& non aliam dixerim poſſe defendi Galenum ipſum,qui
2.catat.in curatione cephaleę ex ventriculi conſenſu, in cuius nimirum tunicis
imbibiti ſint humores, quos illinc educere,ac deturbare oporteat,affirmat ſum-
mam hierę doſim drachmã eſſe,minimã vero ſemidrachmam; quod quidẽ quis
non apertè videt repugnare penitus experientię? Nã quotidie nos oẽs ad tres,
quatuor,quinq; & plures quoq; drachmas fęliciſſime deſcendimus. Addo Gal. D
alibi exactius hierę doſim traditã nobis reliquiſſe,nẽpe & 8.cat. & 2. met.11.vbi
longe maiorem doſim conſtituit, quam in præadducto loco fecerit, ad ſex vſq;
drachmas deueniendo. Ideo neq; hic tãdem ſubticere volo,quod annis pręter-
lapſis,cum eram Venetijs,proprijs oculis videre mihi cõtigit; e nundinis Frã-
cofurti illuc primo perueniſſe Praxim medicam Viri vbiq; locorum celeberri-
mi Hieronymi Mercur.a neſcio quodam quaſi auctore emortuo typis traditam.
in qua & a Fabio Paulino,& a me infinita fuerunt animaduerſa errata; ſed præ-
cipua, & quæ omnino emendatione indigebant,illa erant,quæ ad medicamen-

torum

A torum doſim nimiam, & excedentem pertinebant; Cuius rei ab vtroque noſtrum Auctor admonitus, poſt diligentem, & exactam caſtigationem a Iuntis rurſus excudi mandauit. Quibus tamen non obſtantibus cap. *de dolore colico*, in curatione eiuſdem ab humoribus acrioribus, & bilioſis ſequẽs præſcribitur medicamentum. ℞. rhabar. ſubtiliſs. pulu. ℥ j. ss. pulpæ thamar ℥ j. ss. m. Errorem in doſi rhabarbari, vitio, & culpæ Typographi in caput illud illapſum quis non clare videt? Quamobrem niſi omnia & ſingula, quæ hic, & illic ſcripta reperiuntur, maturo iudicio æſtimentur, vnuſquiſque facile è libris in conſimiles errores incurrere poterit. Pro concluſione ergo, atque coronide ſimul hoc ſit, facillimè illos labi medicos, qui ſola ſcriptorum lectione contenti, nullo facto examine, nulloque interpoſito iudicio, quicquid obuiam fit ſuis ægrotantibus præſcribe-
B re non dubitant, ignorantes prudentis Medici eſſe doſim, vel augere, vel minuere, & quam Ars indefinite proponit remedij quantitatem, limitare, ac definire, ſpectatis tam externis, quàm internis circumſtantijs, dico ætate, ſexu, temperamento, regione, tempore, conſuetudine, viribus, & morbo. Medicinæ etenim leges non ad Polycleti immutabilem regulam referendæ ſunt, ſed ad Lesbiam normam, quam pro factorum, perſonarum, ac temporum conditionibus, Magiſtratus æquitas commutare ſolebat. Hæc mea eſt opinio, quam cum aliorum in Arte peritorum, tum in primis Veſtrum omnium, cenſuræ libenti animo ſubijcio. Dat. Romæ die 8. Aprilis 1616.

C QVAESITVM PRIMARIVM IN INFANTVLO, QVI EX præcipiti catarrho ad pectus obijt.

I.

An mortis cauſa referri poſſit in eclegma, ſeu arteriarum medicamentum, eo quod acetum reciperet, vt æmuli improperant.

Quæſita Secundaria octo.

I.

Cur inuidi comparentur ophthalmicis.

II.

D *Quale nam oxymel, & qualis ſyrupus acidus pueris, mulieribus, & in neruoſarum partium morbis imperari debeat.*

III.

Cur medicè adſtringentia in arteriacis, ſeu lambitiuis vulgo dictis aliquem locũ habeãt.

IV.

Cur Auic. poſt Hipp. vinum granatorum dulcium in pleuritide, ac peripneumonia concederet.

V.

Cur liquor chalcanthinus in quibuſdam pectoris morbis perperam damnetur.

Cur

VI.

Cur Gal. aceto adſtringentem qualitatem aliquando deneget, & aliquando attribuat. A

VII.

Cur quæ valdè refrigerant, & adſtringunt pectori admouenda non ſint.

VIII.

Quando Medici obtemperare debeant mulieribus, & quando non.

Ad Paulum Mancinum Accumulenſem meum olim Diſcipulum.

Valdè gauiſus ſum tuis literis, Paule dilectiſſime, non ſolum, quia de te, tuiſque rebus, quæ mihi ſemper non minori curæ erunt, quàm propriæ certiorem me fecerunt, ſed etiam quia te Artis noſtræ operibus magnopere deditum eſſe, ac frequenter in illis exerceri ſignificarunt. In quibus quidem veritus nunquam ſum, quin magnos aliquando facturus eſſes progreſſus. Noui etenim Romæ, dum me, vel publicè docentem, vel in priuatis ædibus conſulentem audires, ingenij tui acumen, perennemque laborem in omnibus Medicinæ ſcriptoribus conquirendis, euoluendiſque vt alteri quaſi Menoni, de quo fit mentio a Gal. de Nat. hum. comm. 1. tex. 1. comparari poſſe videaris. Perſiſte in inceptis, nec tuæ naſcenti gloriæ ab inuidis, & æmulis quicquam timeas; Adoritur enim inuidia bonos quoſque, & ad virtutem proficiſcentes, atque gloriam. Audi Pindarum: B

Ciuium animos occultè grauat inuidia, C
cum alienas virtutes audiunt;
Verumtamen melior miſeratione inuidia eſt,
ne prætermitte res præclaras;

Inuidetur, inquit Plutarchus, *illis potiſſimum, quorum virtus creſcere videtur;* Sed hoc vnde? Quoniam apud pleroſque comparatum eſt, vt alienis radijs putent ſuam lucem præſtringi. Vnde inuidi meritò comparantur ophthalmicis; nam quemadmodum ophthalmia laborantes à radiorum ſplendore magnopere læduntur, quia tunc oculi valdè ſunt imbecilles, & ipſorum ſpiritus infirmi ab excellenti ſenſibili corrumpuntur; Vnde a Gal. 1. de ſympt. cauſ. 2. nigrarum rerũ aſpectus, in quo viſorij ſpiritus congregantur, ac ſimul recreantur, ſummopere extollitur, ita inuidus alterius gloriam atq; ſplendorem ſufferre minimè poteſt. Attentè, obſecro, inuidi tecum loquentis oculos intuere; vacillant; huc, & illuc mouentur ab aſpectus tui fulgore eorum luce veluti diſiecta. Ideo rectè Tacitus lib. 2. Hiſtor. *Inſita mortalibus natura recentem aliorum fœlicitatem ægris oculis introſpicere;* Attamen ſcito per Platonem 9. de Legibus, *inuidiam eſſe contubernalem grauem, ac moleſtam maximè ei, qui inuideat;* quia ſicut ærugo ferrum, ita inuidia animum hominis, vbi inſita eſt, conſumit. Vnde Salomon in Prouer. cap. 15. *inuidiam* vocat *oſſium putredinem.* Vt ex his facilè intelligere poſſis, abunde pœnas luiſſe, qui tibi inuident. Ab hoc hominum genere, velint, nolint, illud emolumenti D

lumenti

A lumenti conſequeris, quod erunt tibi calcar ad maiora, vt aliquando gloria inuidiam victurus ſis, & cum Vate Lyrico dicturus:

Iam dente minus mordeor inuido.

Legas quæſo pomeridianis horis aureum illud Plutarchi opuſculum De vtilitate ab inimicis capienda; nec obliuiſcaris exemplum a præceptore ſumere, in quem, vt noſti, tot, tantaque euomuere maleuoli. Ad rem venio, de qua ſcribis, & meum expoſtulas iudicium, in qua tamen vereor, ne mantiſſa vincat obſoniũ, & πάρεργον τὸ ἔργον. Obijt itaque nuper infantulus ætatis dierum quinquaginta, cui tu medelam parabas, & mortis cauſam æmuli tui refundunt in eclegma, ſeu lambitiuum pectorale, quod ita præſcripſeras: ℞. *fol. pulmonariæ m. 1. coquatur in aceto ſecundum A. & facta expreß. adde mell. roſ. ſimp ſyr. de hyſſopo an.* ℥ *j. co-*

B *que iterum ad conſiſtentiam lambitiui, quod per vices, & modicè puello offeratur.* In quo quidem medicamine nulla ex parte video à te peccatum, ſi natura morbi, ratione cuius fuit excogitatum diligenter, & abſque liuore conſideretur. Dum ergo infans ponderoſa veſtium congerie cooperitur, ignique incautè approximatur culla, inde capite incaleſcente, & colliquatione in eo facta, de repente inſurgit catarrhus, ſeu impetuoſa fluxio humorum frigidorum, & craſſorum ad ſubiectas partes, præſertim ad ſpiritales, & thoracicas, ex qua in anhelitus difficultatem inſignem cum ſonitu incidit, vt aſthmatis naturam ſaperet, non ſimplicis dyſpnεæ. Partes omnes thoracis, vt ſcribis, mouebantur, dum ſcilicet in anguſto eſſet reſpiratio, ad quam conſeruandam omnem adhibet conatum natura, vt in epilepticis, & apoplecticis quotidie cernimus. Ideo crebra, & frequẽs

C erat, quia quod pulmo liber, expedituſq; facilè, ac vna vice præſtat, obſtructus, difficulter, & pluribus efficere cogitur. Materia deſtillans, cuius portio per os exibat, craſſa, multa, & viſcida erat, a qua tandem in pulmonem præcipiti impetu decumbente viæ ſpiritus affatim occluſæ ſunt; inde cordis tẽperies ex prohibita aeris neceſſarij inſpiratione, & fuliginum expiratione, omnino diſſoluta eſt, & cum ea innatus vigor deſilijt, fatiſcente corde. Tui ſcopi fuere fluentem materiam intercipere, & a pectore auertere, iam fluxam verò attenuare, incidere, detergere, & in ſumma ſpiritus vias obſtructas reſerare, ac liberas reddere; quæ tamen omnia ad vnguem perficere, ætas, & natura pueri vix permittebant. Propterea pollinem exiccantem, & corroborantem futuræ potiſſimum coronali, vnde facile ad internas capitis partes medicamentorum vis permeat, magna

D cum ratione inſpergi iuſſiſti, & malo inualeſcente, inuri etiam occiput, vt moris eſt; Poſt hæc ad aliam intentionem abſoluendam lambitiuum ſupra notatum propinari mandaſti, & regionẽ pectoris oleis laxantibus, ac emollientibus inungi. Et quia mulieres aſtantes clamabant, eſſe illud mali genus ad mucronatam cartilaginem attinens, quod recordor etiam apud Rauennatem, & reliquos Romandiolæ populos vulgo dici *Amma caduta*, de quo non inelegans extat opuſculum Codronchij Imolenſis, tu prudenter, ne mulierum in te odium concitares (quod ſimiliter Galenus feciſſet, qui & puerulo cuidam parentis iuſſu theriacen exhibuit, a qua diſſoluto magis, & diſſipato eius habitu, non valde poſt

interijt) regione xyphoidis neſcio quoddam extrinſecum medicamentum ex A
maſtiche, myrrha,& pauca terra lemnia cum oleo maſtichino adhiberi permit-
tis, quæ omnia morbus negligens infantem de medio tollit. Verumtamen quid
tibi,tueque naſcenti gloriæ inuident, iuxta illud Heſiodi:

Figulus figulo, architectus architecto,
Poeta poetæ inuidet,

Obitus cauſam ad præſcriptum eclegma referunt, eo quod acetum reciperet;
puerulis omnibus,& neruoſis, ac ſpiritalibus partibus infenſum;quaſi illam ne-
glexeris indicationem,quæ a natura partis ſuggeritur,& quam Galenus aduer-
ſus Attalum in methodo medendi tanti feciſſe videtur. Puto igitur eos iccirco
hoc improbare medicamentum, quòd aceto adſtringendi uis ineſſe dicatur, &
inſit,& quod frigidum ſtatuatur, ac mordax vnà cum partium tenuitate; vt ad- B
ſtringens enim videtur reclamare ſecundę intentioni, quæ erat reſerãdi,& ape-
riendi, vt frigidum, & ſimul mordax non videtur habere locum in curatione
puerli, in quo neruoſum omne genus valdè infirmum extat. Quàm verò no-
xium ſit acetum neruis, & neruoſis membris, vnde & ventriculo,& vtero in pri-
mis (ὑστεράλγὲς enim acetum eſt Hippocrati) tantopere inimicum eſſe dicitur,
oſtendit Gal. 3. de rat.vic.39. Quinimò Alexan. Aphrodiſeus lib. 2. probl. 65.
quærẽs cur acetum inſperſum vuluæ dolorẽ inuehat vehemẽtem, ſic reſpondet:
*Quoniam vulua neruoſa admodum eſt, neruis enim ſentimus, & acetum ipſum per
ſuam acritudinem mordet, ac percutit, ſicut etiam pectus aceto offendi nouimus; quo-
niam membranis, & muſculis conſtat numeroſis.* Vnde a nonnullis damnantur
Auic. qui in peripneumonia acetum commendat, quod è contra Rhaſis 4. con- C
tin. magnopere improbat. Sed facilis erit ad hæc ipſa omnia reſponſio, ſi dixeris,
te non acetum, ſed medicamentum quoddam ex aceto, & alijs ſe inuicem corri-
gentibus, & contemperantibus exhibuiſſe, vt apparet in nobiliſſima illa oxy-
melitis compoſitione. Quid enim tuum eſt medicamentum, niſi oxymel abs te
cõpoſitum? Quod quidem oxymel a Gal. lib. de cibis boni,& mali ſucci cap. 12.
omnibus ætatibus, omnibuſque naturis accommodatiſſimum prædicatur. Et
Hipp. loco nuper cit. acetum mixtum cum melle pectori ſalubre eſſe medicamẽ-
tum, tradit. Scio tamen Galenum ipſum 2. de fract. 29. ſcribere oxymel, vbi ner
uoſæ partes vitiatæ ſunt, minimè conuenire, eo quod aceto illæ tentantur; Sed
hoc fortaſſe Gal. intelligit de oxymelite illo; in quo aceti vis aut copia reliqua
exuperet. Non vnus enim,& idem ſemper eſt oxymelitis componendi modus, D
vt alibi oſtenſum fuit. Et vndenam factum putas, vt Medicinæ practicæ ſcripto-
res imperent, ne in compoſitione ſyrupi acetoſi pluſquam oporteat adijciatur
aceti? imò, ſi eiuſdem acorem ſuſpectum habeamus, ne penetrabili ſuo frigore
molli carne corpora, qualia puerorum, & mulierum, offendat, debere nos vten-
di tempore permiſtione aquæ dulcis, aut ſtillatitiæ, aut etiam conuenientis de-
cocti, quam dilutiſſimum hunc ſyrupum reddere; quem pariter non è ſolo ace-
to & ſaccharo, quemadmodum & alios acidos, componi iubent, ſed adiungendã
eſſe aquam, quæ aceti vim,& acrimoniam contemperet. Niſi hoc ita ſit, perpe-
ram

A ràm celebriores Medici in curatione conuulſionis, & paralyſis a frigidiori ma-
teria oxymelite vterentur, velut inconſideratè etiam curantes oris torturam è
paralyſi, quam nos ſenſum potius inſequentes, quam rationē ſub nomine ſpaſ-
mi cynici complecti ſolemus inter topica remedia ad latum faciei muſculum,
& ad impactam neruis illis materiam dijciendam ipſius faciei lauacrum impera-
rent ex aqua marina, & aceto, aut ex aceto cum nonnullis ſimplicibus cephalicis
in eo præbullitis. Quid taceo Dioſcoridem, qui de aceto loquens ſcribit, illud
tuſſim veterem mitigare, & in orthopnœa calidum commodè ſorberi? Ita vide-
mus Galenum ipſum 5. meth. in curatione hæmoptoidis, antequam ad validè
adſtringentia deueniat, pro diſſolutione iam fluxi ſanguinis, & in viſcere con-
creti, poſcam tepidam offerre, minimè timentem, vel tuſſim, vel aliam in par-
B tibus ſpiritalibus læſionem. Eandem illo in caſu probat Auic. licèt magis meli-
cratum ratione tuſſis commendet, vbi & oxymel non pauci vſurpare ſolent.
Relinquo dicere, quod Auic. in pueris ad enecandos vermes acetum ſolum dor-
mituris proponit, nec ab eo vllam neruis noxam timet, licet 2. Can. & 2. tert. c. 1.
ſcribat acetum neruis potenter obeſſe. Acetum in pueris lumbricorum cauſa
laudat ſimiliter Trincauellius, & ego nonnunquam ſum expertus in quibuſdam
per quàm vtile. Modicè autem adſtringentia neceſſaria, ne dum aduerſa in mor-
bis pectoralibus eſſe alijs præſertim commiſta medicamentis patet quam clariſ-
ſimè ex compoſitione ſyrupi tam celebris de glycyrrhiza apud Meſuem, vbi
aqua ponitur roſacea. Rationem alibi aperui, quærens cauſam, ob quam Celſus
in difficultate ſpirandi vinum commendat auſterum, quod vt adſtrictorium pa-
C rum ex arte præſcriptum alicui videri poſſet. Tali enim virtute prædita ideò
conueniunt, quia thoracicarum partium ſubſtantiam denſando, roborandoque
efficiunt, vt inutiles ſuccos aliunde tranſmiſſos non adeò promptè excipiant; &
quos inuitæ ſuſceperint, contrahendo ſeſe, valentius propellant. Sic defenden-
dus Meſue, qui roſarum ſtillatitium liquorem iam dicto ſyrupo addidit; dum
rem adſtringendi facultate præditam in ea poſuit, quæ dilatando pectori adhi-
beri ſolet; Sic tueri Auicennam poſſumus, dum imitatione Hipp. 3. de mor. vi-
num granatorum dulcium in peripneumonicis, ac pleuriticis commendat; qua
in re a nonnullis reprehenditur, quaſi rem adſtrictoriam, vbi dilatare oportet,
imperarit, nam per Gal. 8. catat etiam dulcia granata aliquò pacto adſtringunt;
licèt alij velint id factum ab Auic. fuiſſe ad cōpeſcendum alui fluxum, qui pleu-
D riticis, atque peripneumonicis importunè, & exitioſè ſubinde ſuperuenit. Acce-
dit, & altera ratio, quia modica adſtrictio reliquorum penetrationem adiuuat.
Vnde Gal. 7. catat. miſcet vnà crocum, & myrrham, quia croci adſtrictio myrrhę
inſinuationi, vel penetrationi auxilio eſt. Hinc iure merito irridetur vel ab ipſis
iatrochymicis, ſeu hominibus eiuſdem ſectæ ſpagyricæ neſcio qui Raymūdus
Mindererus, qui oleum vitrioli, quod alioquin ſibi inſtar noui Prothei effingit
ad morbos omnes tum calidos, tum frigidos euincendos maximè potēs, in mor-
bis pectoris neutiquam prodeſſe, imò ijſdem obeſſe intonat, ob eius acrimoniā
locis illis infeſtam, & ob acetoſitatem ijſdem partibus inimicam, nec non ob

adſtri-

adſtrictionem eas exaſperantem. Reuera enim & ego, qui tot, tantaſq; illius olei A
vel ſpiritus dotes, ac facultates approbare nunquam potui, ad aſthmaticos a frigida, craſſaque materia ductus in pectore occludente, veluti & ad hæmoptoicos, ac purulentam vlceris pulmonum materiam abſumendam, eiuſdem liquoris guttulas quaſdam cum appropriatis, vt vocant, aquis nō inuitus conceſſerim, ob adſtrictoriam, & exiccantem quoque eius facultatem, imò & ob acidam propriè ſumptam, ſi quæ tamen illi ineſt, vt aliqui etiam dicta ſchola mordicus tueri conantur. Laudat Mindererus diuinum illum ſuum liquorem, vbi nulla eſt laudandi ratio, damnat, & vituperat, vbi manifeſtè iuuat, & paſſim quoque a viris in vera, ac ſolida rei Medicæ doctrina verſatiſſimis celebratur. Sed ne ab aceto diſcedamus, huic adſtringentem ineſſe qualitatem moderatam, & non ſummam, nemo puto inficias ibit, vt propterea Gal. aliquando negare viſus ſit acetum adſtringere, vt in lib. aduerſus Lycum, vbi ad libri medium hæc habet verba. B
Verum ſanè admiratione dignum ſit Lycum eouſque rerum ignarum eſſe, vt putet in aceto adſtringentem ineſſe qualitatem; cum tamen primo de ſimp. med. cap. 20. & alibi clariſſimè fateatur, acetum adſtrictoria facultate pollere. Vnde puto dicendum eſſe Gal. in præadducto loco non prorſus ab aceto tollere adſtrictionē, ſed velle, tantam illi haud ineſſe adſtrictionem, quantam reliqua adſtringentia medicamenta frigidiora ſortita ſunt. Quinimò dato etiam, quod acetum ſummopere adſtringat, in medicamento a te compoſito, aut præſcripto vis eius adſtrictoria non niſi retuſa, & mediocris admodum ineſſe poterat. Illud quidem, mi Paule, non prætermittam, quod æmuli quantumuis in alienis operibus oculatiſſimi minimè viderunt, nimirum locale medicamentum in mulierum gratiā C
mucronatæ cartilagini admotum, ob viciniam pectoris, & diaphragmatis, quod eſt vnum è primarijs reſpirationis inſtrumentis, hoc in caſu non vndique recto conuenire; Adſtringentia quippe valida, quæ pectori extrinſecus adhibentur, lædendo muſculos, qui ad opus illud celebre adeò, & neceſſarium peragendum liberè moueri nequeunt, non minimum incommodi, ac detrimenti afferre ſolēt, vel Galeno auctore 5. meth. 6. Præceptum enim perpetuò obſeruandum habemus traditum a melioris notæ medicis, in quouis thoracis morbo, in vſu refrigerantium, & adſtringentium medicamentorum, quæ pectori extrinſecus admouentur, cautè admodum, & magna cum præmeditatione procedendum eſſe, quia periculum impendet, ne pectoris ipſius muſculi refrigerati, & tanquam torpidi redditi nequeant poſtmodum eorum, quæ in thorace continentur, ex- D
purgationem adiuuare, a qua quidem re non niſi grauiſſima oriri poſſunt ſymptomata; De qua ſanè mirum exemplum recitat Leonardus Iacchinus ſuis in 9. Rhaſis comm. cuius hæc ſunt verba: *Anno elapſo a vi maxima adſtringentium iuuenem præfocatum vidi, iam agebat animam, cum eum inſpexi. Huic Medicus quidam circumforaneus emplaſtrum ex gypſo, bolo, acacia, ſanguine draconis effecerat toti pectori, adeò vt immobiles muſculi fierent, nec pectus expurgari poſſet. Erat autem ex cantu ruptio*. Quamobrem, vbi fœminis morem gerendi occaſio tibi naſcitur, conſidera prius, an petitio ad coſmeticen alias ab Archigene, à Critone, &

Galeno

A Galeno pro Regijs Mulieribus deſcriptam, & per quam Medici aliqui inter-
dum non paruam apud mulieres omnes gratiam inuenire ſolent; potius perti-
neat, quàm ad pathologiam, therapiamue; Tunc enim fœminis obedire non
adeò magni refert, & hac in re Gal. 1. catat Archigenem ipſum quem honeſtiſ-
ſimum vocat virum, minime damnat; ſed cum de ſalute agitur, ſcias velim medi-
cum debere eſſe per Gal. atque Ficinum tanquam Imperatorem. Cuius rei gra-
tia pauca quædam, licet obiter, non tamen inutiliter addita, legere ne graueris.
Caue ergo etiam tibi a ſceleſtis quibuſdam cum viris, tum maxime fœminis, in
quas, medicinam exercendo, aliquando incides, aut ſoporem inducentia, aut fœ-
tus conceptionem interpellantia, aut iam conceptum deperdentia, aut denique
deleteria pharmaca flagitantibus, vtpute quibus, animo per libidinem corru-
B pto, nihil honeſtum ineſt, quibuſque cariora ſunt omnia, quam decus, & pudici-
tia, vt de Poppæa, Meſſalina, & Sempronia legitur, ſed in primis de Liuia, &
Agrippina, quæ ambæ ad ſumma ſcelera perpetranda prouiſas iam ante ſibi,
iniquorum medicorum conſcientias adhibuerunt. Audi Plinium lib. 29. cap. 1.
*Exortus deinde eſt Vectius Valens adulterio Meſſalinæ Claudij Cæſaris nobilitatus,
pariterque eloquentiæ aſſectator*; & infra: *Iam verò & adulteria etiam in Principum
domibus, vt Eudemi in Liuia Druſi Cæſaris; item Valenſis, in qua dictum eſt Reginæ.
Non ſunt Artis iſta, ſed hominum*. O quot, & quanta Seianus olim hac in Vrbe
molitus eſt, *poſtquam ſumptus in conſcientiam fuit Eudemus amicus, & Medicus
Liuiæ, ſpecie Artis, frequens ſecretis*; O quam indignus Patria Aeſculapij, & Ma-
gni noſtri Hippocratis Xenophon ille Medicus, cuius opera vtebatur Claudius,
C *dum præmijs Agrippinæ allicitus, ne incaſſum eſſet, ob ſolutam aluum, infuſum dele-
ctabili cibo boletorum venenum, ipſe tanquam niſus euomentis adiuuaret, pinnam ra-
pido veneno illitam faucibus Imperatoris demiſit, haud ignarus ſumma ſcelera incipi
cum periculo, peragi cum præmio*. Sic namque tradit Tacitus libro quarto, & 12.
Annal. Ideò, vbi hæc tibi contigerint, (neque enim cum hominibus mores vn-
dique mutati ſunt) illico ad Chriſtum Dominum confugito; eoque magis, quo
vel Ethnicus ſenex in ſuo iureiurando hæc, & alia omnino deteſtatur, iurans, ſe
nunquam vllius precibus tam impia patraturum, ſed ſanctè ſemper vitam, &
Artem conſeruaturum. Si hæc enim ab Ethnico, quanto magis a Chriſtiano?
Quæ pauca habui, quæ volanti ſtylo nunc tibi reſponderem, ſed, ſi opus fuerit,
neque hic finis erit. Diploma tuum adhuc expecto Neapoli, vt illud mittam
D vndique confirmatum, vt optas, ſin minus, mittam vt reliquiſti. Vale, & mei
memor ſis. Dat. Romæ die 24. Ianuarij 1617.

Dd QVÆ-

QVÆSITVM PRIMARIVM IN SVSPICIONE PVELLÆ Spoletinæ defloratæ.

I.

An maior ſit habenda fides obſtetricibus deflorationem accuſantibus, vel Medicis eam denegantibus.

Quæſita Secundaria Quatuor.

I.

An membrana vocata Hymen *in virginibus reuera ſit.* B

II.

Quot modis Clauſuram dictam patiantur mulieres.

III.

An, & cur mulier, membrana, quæ hymen dicitur, non effracta, concipere queat.

IV.

An in defloratione ſanguis neceſſariò exire debeat.

Ad Paulum Puccium. I.V.D.

INfandus ſane caſus, quem ad Iudices Romanos delatum fuiſſe mihi nuper aſſeuerabas, amantiſſime Paule, & ſuper quo etiam meam C nunc requiris ſententiam, de Spoletina Puella decem annos nata, quæ defloratæ virginitatis proprium accuſat genitorem, proh ſcelus, a ſeculis non auditum, & omni graui pena mulctandum, ſi verum eſt. Laudo propterea quam maxime Iudices prudentiſſimos, qui in tanti criminis veritate indaganda, ac detegenda non properant, non temere credunt, *Omnia enim non properanti clara, certaque ſunt, feſtinatio verò improuida eſt, & cæca*, vt ait Liuius lib. 22. Relinquam ego hac in re puellæ ipſius Inſtabilitatem, quæ cum a primis diebus tantum ſcelus conſtanter proderet, non multo poſt vacillans, haud minori conſtantia negauit, & confero me ad meos limites, ne falcem in meſſem alienam mittere velle videar. In re itaque controuerſa, & ancipiti conuocantur Medici Phyſici, & Chirurgi, nec non obſtetrices, quæ puellæ abdita in- D tueantur, contrectent, & iudicium ferant. Negant vndique omnes Medici illam fuiſſe deflorationem perpeſſam, at ſingulæ illæ fœminæ, quæ accerſitæ fuerunt, contrarium penitus aſtruunt, puellam defloratam mordicus tuentes. Quæritur ergo, vtri nam parti a Iudicibus magis credendum ſit, Medicis, dico, an obſtetricibus. Doleo equidem in hoc multum communi Medicorum nomine vel mulieres cum Medicis contendere audere, imò tanti fieri illarum teſtimonium, vt noſtras aſſertiones, ſi non conuellere, ſaltem in dubium reuocare queat, niſi forte medici vocati ex illis iudicentur, qui doctrina,

& me-

A & medendi ſcientia nihilo ſunt meliores ijs feminis, quas Medicas vocat Gal. 6.
de loc. aff. 5. Quandoquidem & a Iuriſperitis memoriæ traditum eſt, *quòd regu-
lariter defloratio in virgine probatur per obſtetrices, ſed ſi altior, vel vrgentior proba-
tio requiretur, tunc adhibentur viri periti, vt eſt latè videre per Pac. de probat. lib. 2.
cap. 2. num. 32. & ſeq. vbi refert caſum Ducis Parmæ, & caſum filiæ Ludouici Mar-
chionis Mantuæ Guazzi defenſ. 4. c. 7. nu. 7. tom.* 1. Mea igitur ſententia eſt, in caſu
propoſito nullam prorſus adhibendam eſſe fidem mulierculis illis, quando licet
Medici Doctiſſimi idem ſentirent, lente nihilominus, & niſi magna cum præmi-
ditatione eorum opinio amplectenda eſſet. Signa etenim, quæ ab Arte eliciun-
tur, & per quæ aliquis virginitatem, ſeu præſentem, ſeu iam ablatam dignoſcere
poſſet, adeo incerta ſunt, atque fallacia, vt qui ex illis ſolis quicquam certi aſſe-
B rere contendant, craſſæ ignorantiæ, ac temeritatis notam ſubiturus omnino ſit.
Nam princeps ſignum, in quo omnes, & præſertim mulieres, tantopere confi-
dunt, aliunde non depromitur, quã ex dilaniata membrana, quam in medio ferè
ceruicis vteri progreſſu tradunt plerique in Virginibus reperiri, in medio a ſupe
riori parte perforatam, vt fluentibus menſtruis pateat aditus. Hanc enim in om-
nibus feminis virum non expertis adeſſe volunt, quæ primo concubitu, profuſo
ſanguine, diſrumpi ſoleat; vnde ὑμένος ὑμέναιον dicitur. Sciant Iudices huiuſmodi
ſignum, quod tanti faciunt obſtetrices, vt membrana illa non inuenta, illico de
virginitate deperdita pronuncient, nullius eſſe roboris, nulliuſq; momẽti, quo-
niam huiuſmodi membrana vel nunquam, vel quam rariſſime ceruici vteri ad-
naſcitur; nec eius generatio vllum habet vſum quidquid alij dicant pro tuendo
C vtero a puluere, & cõſimilibus extrinſecis eſſe conſtructam ſed fit tantummodo
vitio conformationis ex abundantiori materia, natura veluti luxuriante, nimirũ
ex portionibus illis fibroſis, & membranoſis ad os ceruicis, vt plurimum perti-
nentibus, dum ſcilicet ita extenduntur, & elongantur, vt inuicem coaleſcentes
membranam Hymena progignant. Ideoque qui inter neotericos Anatomicos
illam dari volunt, id tamen, quã rariſſime euenire, ſubiungũt, vt videre eſt apud
Realdum Columbum lib. 12. cap. 16. *Sub nymphis*, inquit, *in nonnullis virginibus,
non omnibus, alia membrana cernitur Hymen a veteribus appellata, quæ cum adeſt, ra-
ro autem adeſt, obſtat quo minus penis in uterum immittatur: nam craſſa eſt valde
ſupra veſicam verſus foramine donatur, per quod menſes fluunt.* Idem infra lib. 15.
De ijs, quæ raro in anatome reperiuntur hæc habet verba. *Nunc de membrana Hyme-
D ne quid obſeruauerim dicam tibi; licet vulgus hominum putet nullam eſſe virginem,
quæ Hymena non habeat. Ter dumtaxat illam inueni, bis in duabus paruulis puellis, ſe-
mel in natu maiore*, Quare Aetius lib. vlt. cap. 69. verba faciens de affectu illo mu-
lierum, qui ab Auic. & alijs clauſura dicitur, vt eſt fen. 21. li. 3. tract. 4. cap. 1. ſcri-
bit, *mulieres tribus modis effici clauſas; primo ſi alæ, ſeu labia pudendi cohæreãt* φυμώσιν
Paulus, & alij vocant; *ſecundo ſi patentibus labijs, in medio ſinu muliebri membrana
quædam innaſcatur, quæ tranſitum, ac meatum impediat; tertio ſi patentibus, &
labijs, & ſinu, os vteri prorſus claudatur, quæ quidem tres clauſuræ impediunt mulie-
res, prima ad tria officia, virorum vſum, menſium purgationem, & fetus generatio-*

nem, ſecunda ad duo tantum, communicationem viri, & conceptum, tertia ad duo ſimiliter, conceptionem, & purgationem. Exemplum extat apud Antonium Beniuenium cap. 28. de abditis puellæ nubilis, quæ ſanata eſt, nec non apud Ambroſium Pareum lib. de gen. cap. 43. virginis, quæ credita eſt vtero gerere, ob tumorem, quæ ſimiliter, facta ſectione ſanitati reſtituta fuit, profluente ſanguine concreto, & nigro ad lib. 8. Sed quorſum hæc? vt intelligatur ex verbis præſertim Aetij, in mulieribus membranam illam non ſemper, & perpetuo reperiri, imò in nonnullis tantummodo, aberrante natura, & facultate generatrice luxuriante, & in ſumma, ob cauſam potius morboſam, ob aliquem naturæ finem. Addo præterea, quòd etiam ſi in aliquibus membrana hæc reperiretur, non tamen ex eo, quòd latum in illa adſit foramen, aſſerendum eſt, ex congreſſu cum viro eam eſſe diſciſſam, quia etiam ita poteſt eſſe a natura conſtituta, vt foramen ipſius, B quod menſibus exeuntibus patet, ſatis amplum in prima ſui generatione fabrefactum ſit; ex quo aliud colligitur, in quo decipi & hallucinari poſſunt tum Medici idiotæ, tum obſtetrices, non difficulter ſemen ex paruo veretro eiaculatum ad vterum per hunc aditum poſſe afferri, ſicque defloratam eſſe, quam hæc ignorantes pro virgine pronunciant. Ex qua doctrina facile intelligi poteſt, quidnam inſinuare nobis voluerit D. Thomas, quando in Quolibetis dixit, poſſe quidem mulierem concipere, membrana illa non effracta, ſed parentem non poſſe fieri. Eo enim quo ſcripſi, modo mulier concipire poteſt, membrana integra remanente, at parere, niſi illa diſcindatur, nunquam poterit. Inſuper dato, quòd hæc ipſa ibi adſit membrana, eadem ſi non ſponte diſrumpi, quia valde craſſa ex Columbo eſſe dicebatur, ſaltem digitis proprijs, vel etiam (in ijs tamen, in qui- C bus menſes exeunt) copioſo admodum, & acrium menſtruorum defluxu diſcindi poteſt. Vt ſileam infinitos eſſe, & melioris quoque notæ Anatomicos, qui ſe nunquam talem vidiſſe membranam teſtantur, etiam ſi omnis ætatis virgines ſecuerint. Cum quo facit, quod Galenus, referẽte Veſalio, nullam de ea mentionem habet. Si ergo obſtetrices mulieres ad hanc ſolam membranã vim proprij iudicij dirigunt, quam rectè id faciant, & quanta ob id iudicibus ſit illis adhibenda fides, ex hucuſque diſcuſſis vnicuique conſtat. Fernelius, Laurentius, & alij, qui Hymena minime cõcedunt, exiſtimant ceruicis latera in nondum venerem expertis dumtaxat quaſi conglutinata conniuere, quæ primus concubitus magna ex parte diuellat: probabilior certè opinio, & quæ, ni fallor, a Gal. manauit, dũ lib. de viuorũ Anat. Cap de vtero, tradit, in prima defloratione collum ma- D tricis dilatari, vnde facile deducitur, virginitatem in naturali quadam pudendorum conſtrictione, ac ſymphyſi, ſeu coaleſcentia omnino cõſiſtere; Attamen & ſignũ hinc depromptũ ambiguitate non caret: põt. n. mulier eius eſſe cõditionis, vt ẽt naturaliter os ceruicis vteri vaſtũ habeat, ac ita dilatatum, vt à virili mẽbro ſic redditum falſo videri queat; ne dicam, quòd inter mulieres non deſunt, quæ ad vterinum furorem demulcendum varijs artibus, ac inſtrumentis partes illas nõ parum dilatare conſueuerunt, quemadmodum vice verſa ad florem delibatũ contegendũ, & virginitatẽ mentiendã, earundem partiũ dilatationẽ ſtypticis, &

adſtrin-

A adſtringentibus medicamentis curare ſæpe ſolitę ſunt. Non ſilebo hic etiam, tam bella oblata occaſione, aliud argumentum, ſeu ſignum delibatæ virginitatis, cui pariter magnam fidem præſtare mulieres ſolent, aut qui in hoc a mulieribus ipſis decipiuntur, de ſanguine ex pudendo emanãte in primis amplexibus. Quod ſignum traditum eſt ſimiliter a Gal. loco citato, vbi præter adductam dilatationem, quaſdam addebat exiguas venulas os pudendi perreptantes, & ſunt riuuli quidam venarum, quæ per vteri corpus diſſeminantur, in extremam vteri ceruicem prolati, per quos menſtruum virginibus aliquantum erumpit, primo concubitu dilacerari, atque diſrumpi, ſicque ſanguinem profluere Fidem non mediocrem huic ſignõ adijciunt ſacræ paginæ, præſertim cap. 22. Deut. ex quo aperte conſtat apud Hebræos fuiſſe in more poſitum, vt mulieres deſponſatæ
B viris, ab horum congreſſu abſtinerent, vſque dum ab eis ducerentur, tuncq; ſubſtrato linteo coirent, quo virginitatis ſignum, hoc eſt virginis corruptione profluens ſanguis in illo colligeretur, linteumque ipſum puellæ parẽtibus daretur, & illi acceptum aſſeruarent, in virginitatis filiæ vſque in nuptialem diem conſeruatæ teſtimonium. Quam conſuetudinem adhuc hodie apud Neapolitanos vigere audio. Verumtamen de communi Medicorum conſenſu neq; ſignum hoc ſempiternæ veritatis eſt, quoniam contingit quam ſæpiſſime, vt venulæ iam dictæ in primo coitu non diſcindantur, ſanguinemque non emittant, vbi nimirum earum cumulus fuerit exiguus, pudendũ fęminæ amplum ſatis, & virile paruũ. Fortaſſe in quibuſdam ſanguis ille erumpit, in quibus ad illam partem cõgeries quædam venarum generatrice facultate luxariante, vt ſupra de Hymene dice-
C batur, enaſci interdum obſeruata eſt. Qua propter Medici in Arte verſatiſſimi, de quorum cenſu fuit potiſſimum noſtra ætate Hieronymus Capiuaccius lib. 4. cap. 11. de vteri affectibus, conſtanter aſſeuerant, in humano genere virginitatẽ non poſſe certis, & indubijs notis adſtrui. Quibus aſſentiuntur Hieron. Mercurialis in Conſult. & Claudinus in Reſpon. medicin. Ex quibus omnibus arbitror ego permotos eſſe Medicos, qui obſtetricum ſpreto iudicio nihil certi ex obſeruatis circa Puellæ abdita de corrupta virginitate aſſeri poſſe affirmarunt. In eadem ſententia ſum & ego, à qua non ante diſcedam, quam probabiliorem ab alijs in mediũ prolatam videro. Ideo, mi Paule, ad hoc vt vobis Iudicaturis clare conſtet de corpore delicti, ad alia inditia, minus dubia, & minus incerta confugere neceſſe eſt Vale. Datum Romæ die 16. menſis Nouembris 1617.

D

QVAESITVM PRIMARIVM OCCASIONE CONTROuerſiæ vergentis inter Populum, & Piſtores Arimini.

I.

Vtrum panis in furno coctus cum igne non ex lignis ſiccis confecto, ſed ex nucleis oliuarum contuſis, nocuus ſit, nec ne.

Quæſita Secundaria Tria.

I.

Cur panis cu[illegible]inis roborare dicatur.

II.

Cur coquinaria Medicinæ inſeruiat, & auxilietur.

III.

Cur pani adijciantur ſal, & fermentum.

Ad Tiberium Seuerinum. I.V.D.

Vix credas, mi, Seuerine, quàm opportune redditæ mihi fuerint literę B illæ, quas tibi Ariminenſis Medicus Excellentiſſimus miſit, in quibus Quæſitum a me dilucidandum proponit, vtrum ſcilicet panis cum igne non ex lignis ſiccis confecto, ſed ex nucleis oliuarum contuſis, patrio ſermone dictis *il nocchio*, ſit optimus panis, & facilis coctionis, atque hominum ſanitati conferre poſſit, an non. Menſæ ſi quidem accumbebã, & panis præ manibus erat; erant & è Piceno nuper dono miſſæ Colybades oleæ, ſtomacho haud ingratæ, quia dies dicata ieiunio, &, quod magis mireris, quoniam menti tunc temporis obuerſabatur, an re vera dicterium illud; *Omnis repletio mala, panis vero peſſima*, ab Auicenna manarit, vt ei Rhodiginus imponit, & an vulgo cum ratione efferatur, cum infinita ſint ſuapte, ac propria natura admodum praua, ac fere deleteria, quorum repletio deteſtanda magis eſſe videtur; illud ſolum tam bellæ opportunitati non nihil reluctari viſum eſt, quòd C incidit in dies, in quibus, vt noſti, publico docendi onere premor. Attamen, & tibi, & vtriuſque amico doctiſſimo morem gerere decreui, cum præſertim hoc non ingenij oſtentandi cauſa exaratum ſit, ſed ad communem Ariminenſis populi vtilitatem. Si quæ igitur ſunt, de quibus pro ſanitate corporum conſeruanda, maximam habere curam Medici debent, illa ſunt profecto, quæ ex eo, quod frequentiori, indeſinentique vſu corpora noſtra ingrediuntur, quàm facillime nos immutandi, & a naturali ſtatu auertendi facultatem obtinent, cuiuſmodi poſt aerem, nemo dubitat, eſculenta eſſe, ac potulenta quæuis, in quibus ſi exacta vndique ratio in quali, quanto, ac vtendi modo appellata ab vnoquoque ſeruaretur, dubio procul, aut nunquam, aut quam rariſſime ægrotaremus; D Vnde Auerr. 2. colliget cap. 1. poſtquam dixit noſtra corpora à vitijs tantum poſſe vindicari, quę nobis ex accidenti contingunt, idque potiſſimum ab excrementorum immoderata copia, quæ ab alimentis prouenit, ita ſubdit. *Quippe ſi ratio victus moderata omnibus vſurparetur, a nullo vſquam ſanitas abeſſet.* Ad hoc ipſum manifeſte pertinet Quæſitum iam præmiſſum, quod, cum circa panem verſetur, magni admodũ fieri debet, quia hoc edulij genus frequentiſſime vſurpatur, vt pote quod nobis nullum vnquam, velut cætera alia, quantumlibet guſtui, & palato amica, faſtidium pariat, cum naturæ noſtræ familiariſſimum ſit,

auctore

A auctore Ariſt.21.probl.& Gal.7.de uſu parc.8.Panis enim & per hunc antonomaſtice, & proprie vocatum panem intelligimus, qui vbique paratur ex farina triticea ſubacta cum aqua, nam alij panes cum adiecto vocantur, moderatum quiddam eſt,& mediocritatem tenet omnium,& tenuium,& craſſorum,& facultatum medicamentoſarum maxime expers,vt ſit mere alimentum. Ita videmus Gal.6.De tuenda valet.7.panem tanquam ſimpliciſſimum nutrimentū maximopere laudare,ſic Alex.Aphrodis.2.probl.52.ſcribit,panem omnium ciborum maxime nutrire,vnde Pſalmographus de pane dixit,quod hominis cor cōfirmat & de eodem legitur 1.Reg.cap.28. *Et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota illa die.* nimirum quia ad robur nobis conciliandum mirifice confert; hinc denique pro ſymbolo ponitur omnis eſcę,ac totius nutritionis. Ideo nam-
B que Helię fame pereunti panem quidem ſolum, eūq; quotidie mittebat Deus per coruum,& apud Homerum eſitaturis ante cætera panis ſemper apponitur; Quamobrem ſumma cum ratione de pane recte conficiendo ſolliciti eſſe debemus,a quo laudatiſſimum ſuccū prouenire,& in nobis generari, memoriæ proditum relinquit Gal.3.de aliment.facul.26.dummodo tamen eas habeat conditiones,quæ ad id requiruntur, & omni cura, & induſtria ſit optime confectus, coctus,ac præparatus. Male namque præparata ventrem non poſſe bene cōcoquere,teſtatur ipſe Gal.4.De tuenda valet. Proinde adulationes ſubeunt artes, vt in Gorgia Plato perhibet;nempe Medicinam coquinaria ſubit, eique ſeruit. Per hanc enim quæ elaborata, concoctaque ſunt, magis quam inelaborata, & cruda mutantur,non in ore ſolum,ſed in ventriculo, iecinore, uenis, ſingulisq;
C partibus;hinc ex tritico,quod etiam elixum,& manſum ægerrime conficitur,vt in ſe ipſo,& ſocijs expertus eſt Gal. cum fermento,& ſale, ideſt præparatione, fiunt panes coctiui,quibus nihil in vita vtilius.*Commendatiores ſunt panes*,inquit Actuar.lib 2.c 5.de ſpirit.animal.*ſi præparatio ſpectetur,quibus ſal,& fermentum additur,ſi coctura,furnacei, ac teſtacei. Cum enim minime cinere vitientur, & huiuſmodi ſorditie, multo magis probantur. ſal vero, & fermentum conducere in primis ſolent, eo quod quicquid ineſt non recrementitij abſumat, ſimulque concoctionem quandam addant,quaſique confectionem elegantiorem ſubactis farinis.* Et denique ſubiungit,quod quæ farinæ nullo,vel ſale, vel fermento parantur, vires requirunt, vt concoquantur,valentiores,corpuſque vnum,quod exercitationi deditū ſit. Verum tamen haud vnus,ſed plures ſunt modi, quibus diuerſitatem ſuſcipere ſo-
D let panis omittoque frugum,ex quibus efficitur,diuerſitatem, & multiplicem conficiendi modum,ad id ſolum mentis aciem dirigens, quod. ſ. panis ex optima quantum vis fruge paratus, atque confectus,ex vario coctionis modo varias etiam ſuſcipit condictiones;fitque in primis aut ſiccior,aut humidior,facilioris, aut difficilioris concoctionis,plus,minuſue nutriens,ac tandem laudabilius, aut minus laudabile nutrimentum corpori communicat. Quæ quidem omnia quā vera ſint,clariſſime per Gal. patet 1. de alim. fac. capite de tritico, illis verbis. *Concoctu autem inter panes ſunt facillimi,qui plurimum ſunt fermentati,& pulcherrime ſubacti,quique in clibano igne moderato fuerunt aſſati, nam ignis ardentior primo*

ſtatim

ſtatim occurſu ſuperficiem externam circumurens in teſtæ modum indurat, acciditq; duplici nomine prauum panem fieri, priori quidem, quod partem internam habeat crudam, atque illaboratam, poſteriori vero, quod externam habeat ſiccam, ac preaſſatam, & teſtaceam. Porro ignis moderato remiſſior panem minus belle elaborat, ſed ipſum cru diorem relinquit, & maxime partem omnem eius internam. Qui autem in igne moderato longiori ſpatio per totos ſe ipſos æquabiliter aſſati fuerint, hi tũ belliſſimè in ventriculo concoquentur, tum ad cæteras actiones, quæ coctionem conſequuntur, erunt accommodatiſſimi. Hæc Gal. quæ licet non vndequaque cum Diocle faciant, referente Oribaſio 4 collect. cap. 5 multi tamen æſtimanda ſunt. Mos autem coquendi panem in clibano iam penitus exoleuit, etiam ſi talis panis longe melior alijs foret, & remanſit modus alter omnium vulgatiſſimus, & frequentiſſimus, dico cũ in furno coquendi, quem Gal. non ita commẽdat, quod ignis calor in furno nõ æque omnes panis partes ſubeat, quod quidem eo magis euenire certũ eſt, quò ignis in furno accenſus non eſt è lignis aridis, ſed aut viridioribus, aut è materia alia craſſa ac denſa, e qua propterea non niſi craſſa, vt ita vocem, ac turbulenta flamma eleuetur, ex hoc enim panis non vndique concoctus euadit, ſed crudior potius, & inflatus. Hoc ideo dico, quia in controuerſia, quæ viget de accenſione ignis in furno ad panem exacte coquendum, & optimum efficiendum, ego ſemper libentius eorum opinioni adhærebo, qui ex idoneis lignis aridis, non ex nucleis oliuarum contuſis ignem potius conficiendum exiſtimant. Talem etenim ignem, hoc eſt ex nucleis illis paratum, vt pote in craſſa, pingui, ac male olente materia accenſum, putauerim ipſe non niſi ægre ſe poſſe in minimas, & quaſcũque panis partes inſinuare, ſicque coctionem in pane æque ex omni parte minime poſſe præſtare; quare deforis, & in ſuperficie tantum a tali igne cõburetur, ac preaſſabitur, intus vero medulla crudior, ac ponderoſa valde remanebit, ad quam ſcilicet ignis facultas difficulter penetrat. Duo tamen hic ſilentio prætereunda non ſunt, quorum primum eſt, panẽ illum ab huiuſmodi detrimento liberum fore, qui vltimo loco fuerit in furno coctus, quia tunc miniſtri panifici non ita ardente igne vtuntur, & longiori tempore in furno panem detinent, eo ſolo calore contenti, quem iam furnus contraxit, eſtq; inſtar empyreumatis, olearum nucleis iam in cinerem redactis. Alterum vbi alia lignorum genera non reperirentur, & ex huiuſmodi nucleis accendendus eſſet ignis, non inde propterea pernicioſum panem euaſurum, quando & in Appulia, & in Inſula Melitẽſi coquitur ad ignem, qui ex illo fimi genere paratur, quod vulgo *ſtabbio* dicitur nec tamen inde Inſulani illi euidentem noxam percipiunt, quamuis comparatione facta nucleorum cum lignis idoneis ſiccioribus, ſemper ego pro valetudine magis eſſe crediderim panem coctum ad ignem ex lignis aridis, vt vbiq; ferè moris eſt, quam ex olearum nucleis confectum; hæc mea eſt in propoſito Quæſito opinio, quæ, qualiſcunque ſit, præſentium Medicorum iudicio ſubijciatur. Datum Romæ die 14. Decembris 1617.

QVAE-

A

QVÆSITVM PRIMARIVM IN PATRITIO GENVENSE varijs ad veſicam, & pudenda ſymptomatibus diuexato, vna cum curatione.

I.

An ſuſpicio de lithiaſi, ſeu veſicæ calculo, rationabilior ſit, quam opinio aſſerentium ſymptomata quæ patitur a ſalſa tantum fluxione pendere.

Quæſita Secundaria ſex.

B I.

Cur de morbis abditis, vt de quibuſcunque rebus arduis ineunda ſit conſultatio.

II.

An Galenus recte explicauerit Aphoriſmum quartæ ſectionis 79.

III.

An calculi in veſica generatio a calore ſolum tepido, contra vero in renibus ab exurente ſemper contingat.

IV.

An Fernelij opinio, quæ tamen prius fuit Ariſt. quod calculus in veſica genitus a renum lapillo inchoetur, perpetuo vera ſit.

V.

C *An ad veſicæ calculum recte imperentur ſaxifragæ.*

VI.

Ad paracenteſis in ſenioribus conueniat, & an eam omnino damnet Hipp.

Ad Iulium Guaſtauinum in Piſana Academia Medicinæ practicæ vocata profeſſorem celeberrimum.

Qvoniam de morbis non apparentibus, & difficillimis magis δόξῃ quam τέχνῃ iudicat, vt probe noſti, Guaſtauine clariſſime, & legitur apud Hipp. lib. de flat. ideo cum in alijs omnibus, tum præſertim in internis, & abditis inueſtigandis, atque curandis libuit
D mihi ſemper ſeruare eiuſdem Hipp. præceptum lib. de Præcept. *Nec vero indecore ille ſe geret Medicus, qui in rei præſentis anguſtia circa ægrum aliquem, & imperitia tenebras offundente, alios quoque accerſere iuſſerit, quo ex communi conſideratione res circa ægrũ inquirantur ac cognoſcãtur, & illi cooperatores fiant ad auxilij ferẽdi facultatem.* Quãobrem cũ huiuſmodi ſit affectio præter naturam, de qua ſuſpicio habetur in perilluſtri viro Patritio Genuẽſe, ad medica auxilia antequã deſcendere voluerim, non ignorans quæ ab Ariſt. prodita ſunt 3. moral. ad Nichom. *Vnuſquiſque de ijs, quæ per ſe ipſum agi poſſunt conſultet, quando quæ per nos fiunt, neque ſemper eodem modo eueniunt, eo adeo conſultamus, & de ijs, quæ ad*

medicam artem ſpectant; alios medicos conuocari mandaui, & illos in primis, qui A
ante ei medicinam facere ſolebant, vt primum cõſentiremus, quid nã hoc eſſet,
quo de conſultandum, iuxta mentem quoque Platonis in Theage ab initio, ne
longe diſſentientes, ego quidem aliud illud exiſtimarem, & alij aliud: verum ta-
men, quia poſt conſultationem res adhuc per nonnullos dubia, & anceps rema-
net, propterea decreui nomine etiam ipſius Patientis tibi neceſſitudine, ac affi-
nitate coniuncti meam ad te ſententiam exarare, ſperans maxime fore, vt hic lo
cum habeat (garriat in medicos quicquid velit Plinius) quod proditum eſt a Sa
lomone Prouerb. cap. 4. *Erit ſalux vbi multa conſilia fuerint.* Veriſſimũ eſt enim
quod tradit eodem in loco Plato ἱερὸν ἀληθῶς ἐςὶ ἡ συμβουλία. *Quoddam ſacrum
eſt conſultatio*: non in rebus medicis tantum, ſed & in alijs omnibus, dum conſi-
lio ſtant regna, vrbes, domus. Addatur id prompte, & hilariter a me fieri, quia B
non ſolum magis eſt pro ſalute ægrotantis, ſed pro mea etiam dignitate. Nam,
vt Publius canit. *Animus vereri qui ſcit, ſcit tuto aggredi*, & non raro in medicina
facienda contingit *multa conſulta bene, quæ fieri expediebat, diſſolui, propter alia præ-
ſtantiora initia: Omnino enim non omne fit, quod futurum erat, neque idem quod erit,
& quod futurum eſt*, vt ſcribit Philoſophus de Diuini. per ſomnium capit. 2. vbi
ergo meam legeris ſententiam, eam obſecro ad penſum deducito, addens quæ
deficere, delens quæ ſuperabundare prudentiæ tuæ videbuntur, quo nihil mihi
gratius, nihilque iucundius a te nunc euenire poteſt.

Poſtquam igitur in ipſo mei ſermonis exordio ſignificaui morbum inter la-
tentes, & cognitu difficiles reponendum omnino eſſe, huiuſque difficilioris
diagnoſis binas cauſas attuli, quarum vna erat ſimilitudo accidentium, quæ in C
alijs quibuſdam morbis eiuſdem met partes frequenter a nobis obſeruari ſolet,
eo quod *ſimilitudines* per Hipp. 6. Epid. *vel doctiſſimis in arte viris ſæpiſſime im-
ponunt.* altera verò quia accidentia ferè omnia P. N. aliquando in eo per plures
dies ita deliteſcunt, vt quaſi ex toto ſublata, & abolita eſſe credãtur, iuxta phyſi-
cum axioma; *perſeuerante cauſa perſeuerare, & effectum*; ea propter addidi non
eſſe ad præſidiorum materias deſcendendum, antequam de curandi indicationi-
bus, & conſequenter de natura prius, & eſſentia morbi dubij nobiſcum per arti-
ficioſam ſaltem coniecturam conueniret. Vnde quia vniuſcuiuſque morbi na-
tura per Gal. 3. de criſi. Medico ex proprijs ſymptomatibus innoteſcit, ideo ſin-
gula, & quæuis multis ab hinc mẽſibus a me animaduerſa aperire incepi, ex qui-
bus tandem omnia cum methodo elicerentur. Hæc autem hunc in modum ſe- D
habent, Guaſtauine doctiſſime.

In Patiente noſtro, ſæpe, ac ſæpius, dum mingit, mictio ita crebreſcit, vt non
mingere ſolum, ſed etiam micturire cogatur, & lotium ad libitum vix cohibe-
re, ſeu retinere queat. Dolor fere perpetuus alias vniuerſum penis ductũ, alias
denique extremum, nempe glandem ipſam tantummodo affligit, qui tunc acer
rimus ab eo perſentitur, quando eſt mingendi finem facturus, aut ſub emictio-
nis exitum, adeo vt penem arcte manu conſtringere ei neceſſe ſit, alioquin in ly-
pothimiam, & quandam animi exſolutionem incurrit. Dum rheda vehitur, aut

per

A per inæqualia,& ſalebroſa loca, aut etiam per ęqualia, & plana,ſed concitatiori motu de maximo illarum partium dolore conqueritur, quinimo deſcendere cogitur,& leniori paſſu pedeſter obambulare. Interdum ad extremum perinęi anũ verſus titillationem quandam, & acriorem quandoque punctionem, quaſi ab acuto ſpiculo factam ſe moleſte ſentire fatetur. Non multo ante aliquoties hoc pariter annotauit, eodem illo tempore, quo mingendi, etiam egerendi deſiderio ſe teneri. Accedit, quod vno ab hinc anno per interualla quędam modo longiora, modo breuiora ſubcruentas emingit vrinas, quæ non valde poſt ſubſidenr, cum materia quadam craſſa,& lenta, quæ ita fundo matulæ adhæret, vt inde vix detergi poſſit; quæ vrinæ,& ſi frequentius appatent naturalibus quam ſimiles, non raro tamen etiam modo tenuiores, modo craſſiores quam par ſit, excer-
B nuntur, non abſque arenulis; quibus tandem addatur, quod anno præterito inſigni iſchuria cum vehementiſſimo ad veſicam dolore correptus eſt.

Hæc omnia quid nobis indicant? Profectò, ni fallor, lithiaſin, ſeu veſicam laborare calculo. Qui etenim lithiaſin de renum quoque calculo intelligunt, non ita ad veterum medicinæ ſcriptorum mentem mihi loqui videntur; quandoquidem neque apud Gal. in medicis definitionibus, neque apud alium quemquam probatum medicum vetuſtiorem adhuc inueniri potui lithiaſin cum nephritide confundi niſi apud Auctorem libr. de Renum aff. cognit. & curat. ab initio, cui etiam inter neotericos adhærere maxime videtur Altimarus in ſua Praxi c. 94. licet apud Galenum nephritis non ſolum de calculo, ſed de inflammatione etiã renum dicatur. Sed his omiſſis, ad probãdum quod mox dicebamus, deſcendere
C oportet. Clariſſime ergo huiuſce rei veritas patebit, ſi prędicta omnia ſymptomata in calculum tamquã in primariam cauſam,& originẽ referãtur. Primi itaque ſymptomatis cauſa euadit calculus, quia dum titillat, & mordicat interiorẽ veſicæ tunicam facultas inſurgit expultrix ad rei noxiæ,& moleſtæ expulſionẽ; ſed quia lapidem extrudere nequit, præſtat id quod poteſt, cogendo Patientem adeo frequenter lotium emittere, vt illud pro voluntate retinere interdum minime valeat. Secũdi, quia ſcimus nos ſępe in corpore noſtro vna in parte latitare cauſam doloris, ſenſum verò dolorificũ in altera percipi, ita enim videmus male affectis pulmonibus dolorem potius in muſculis, & membranis pectoris obuiciniam, & colligantiam perſentiri, quia nimirum pulmones vel nullo, vel admodum obtuſo ſenſu præditi ſunt, aliæ vero iam dictæ partes exquiſitiſſime ſen-
D tiunt. Sic pariter,& in veſica, cuius ſenſus licet obtuſus minime ſit, in calculoſis tamen a materia frigida craſſa, & lenta ibi ſtabulante retunditur, calculo delitescente triſtis ſenſatio non in ea, ſed in vrinario ductu,& circa glandem in primis, vbi exquiſitiſſimus viget ſenſus, percipitur, quia ſcilicet eiuſdem meatus tunica coit vna cum tunica veſicę. Qui quidem dolor ideo ſub mingendi exitum moleſtior exiſtit, quia vrinæ curſu concitatus calculus, quaſi proditurus ſphincterem muſculum violentius comprimit. Tertij, quia valde agitatus calculus, huc,& illuc mouetur,& veſicam vndique diuexat. Quarti, quia cum lapides æquales, & plani ſemper non ſint, ſed inæquales potius, angulares, & aſperi

aſperi veſicam mordendo ac afficiendo, ad eam præcipuè partem, quæ recto incumbit inteſtino, punctorium illum efficit dolorem, de quo conqueritur ad extremum perinæi anum verſus, a qua etiam cauſa prouenit commune tam mingendi, quam egerendi deſiderium, quo eodem ſimul tempore aliquando detinetur. Ab eiuſdem calculi aſpredine, ac inæqualitate dilaniatis venulis quibuſdã exilioribus veſicæ, inde fortaſſis per vocatam diæreſim cruenta emanat mictio; quod ſignum ab Hipp. lib. 4. de morbis ponitur inter ea quæ calculum ſignificant, & confirmatur ab eodem lib. de internis affectionibus, vbi tradit calculoſorum vrinam ſimilem omnino eſſe cruori carnis bubulæ aſſæ. Quoniam tamen audio ſanguinem interdum fuiſſe copioſiorem, quam qui ſoleat è veſica excerni, & quia etiam in tam longo tempore veriſimile ſit ex frequentiori excoriatione veſicæ vlcus aliquod fuiſſe excitatum, quod nondum tamen per ſaniem propalari nobis potuit, ea propter non citra rationem ſuſpicari aliquis poſſet, ſanguinem illum è renibus, non è veſica demandari. Scimus enim vel teſtimonio Fernelij non raro latitare in renum ſubſtantia calculum, abſque vllis effatu dignis ſymptomatibus, qui quidem ſuo pondere, & attritu renem contundens, ac plerumque etiam ſine ſenſu dilacerans, exulceranſque in cauſa eſt, vt ſanguis cum vrina profundatur, præſertim poſt laborem, & concitatiorem corporis motum. Inſuper non obſcurè indicant in veſica calculum, non dicam arenulæ ſolum, quia hoc eſſet ſignum infirmiſſimum, ſed, quod magis æſtimo, materia illa craſſa lenta, & velut argilloſa, quæ dum ſubſident vrinæ, matulæ fundo adhæreſcit, hoc enim exiſtimo illud eſſe, quod nos docere voluit Hippocrat. 4. Aphor. 79. dicens: *Quibus in vrinis* ψαμμώδεα *ſubſident, ijs veſica calculo laborat*; vbi per ψαμμώδεα putauerim ego cum nonnullis è neotericis primæ notæ, non arenoſa, & ſabuloſa ſimpliciter intellexiſſe Hippocrat. qui lib. de Inter. aff. arenulas pro ſigno ponit calculi renum, & non veſicæ, quo ex loco fortaſſe Galenus Aphoriſmo addi mandauit, *aut renes*; ſed ſabuloſa, craſſa, pinguia, & cęnoſa, cuiuſmodi ab ijs, qui lithiaſi laborant, quotidie excerni videmus, cum ex alia parte infiniti ſint, qui arenulas vna cum lotio mingunt, in quibus ne vlla quidem vnquam aut in renibus, aut in veſica de calculo haberi potuit ſuſpicio; vt hinc fortaſſe affirmare poſſimus Galenum ipſum in illius Aphoriſmi explicatione dormitaſſe. Ex quibus omnibus colligere vnuſquiſque poteſt, noſtri P. affectum præter naturam nullum alium eſſe, quam veſicæ calculum. Verumtamen quia nonnulli ſunt morbi eiuſdem partis, qui ſymptomatum ſimilitudine nos facile decipere poſſent, dico, quod, his non obſtantibus de lithiaſi potius, quam de alio quolibet morbo merito, & cum ratione ſuſpicatur. Quandoquidem morbi, qui vrinæ ductus, & veſicam ipſum infeſtare maxime ſolent, ſunt gonorrhęa, ad nata caruncula, inflammatio, vlcus, & acrium, ſalſorumque humorum affluxus, quæ ſingula videtur ſymptomata gignere iam dictis quam ſimillima; Attamen hic nulla gonorrhęa, vt ſenſui patet, nulla adnata caruncula, quia largo ſemper, & amplo canale emittit vrinam, nulla inflammatio, quia febres, & alia grauiora mala vna adeſſent; nullum vlcus, quia vrina purulenta

ſemper,

A ſemper, & ſanioſa foret,cum hactenus nulla vnquam ſanies in ea viſa ſit. Solum ergo remanet ſuſpicio de ſalſa fluxione, quæ inde augetur, quoniam qui in ſenili ætate,vt P.N.conſtituti ſunt,vrinæ ardorem, & alia ex præmiſſis a tali cauſa pati frequẽter,ſolent. Accedit quod P. ipſe eſt tẽperaturæ calidioris,præſertim quoad iecur,& omne venoſum genus; quod alias paſſus eſt inſignẽ pruritum in brachio dextro, & manu dextra, cum puſtulis a ſalſa, & ichoroſa fluxione ſubortis; quod diebus ieiunio dicatis, dum paulo deteriori victu vtitur, ſtatim deterius quoque ſe habet, & omnia exacerbantur,& quod denique non perpetuo ab omnibus iam dictis affligatur, ſed interpolate, & quaſi periodice, quod proprium eſſe videtur morborum a fluxione pendentium. Quod vna hic adeſſe, & reperiri poſſit acrium,& ſalſorum maxime humorum affluxus, & ab

B hoc pariter ſingula augeri, & exaſperari propter allatas rationes, non ſolũ minime negauerim, ſed libentiſſime conceſſerim. Verum non niſi difficulter adduci potero,vt credam,cuncta,& ſingula enarrata a ſola humorum ſimplici fluxione ſalſa oriunda eſſe, vt ex ſuperius allatis conſtanter aſſerere mihi poſſe videor. Ad id autem quod obijci poſſet,non cuncta hic adeſſe ſymptomata calculoſos concomitari ſolita, præſertim vero grauitatem, & pondus illarum partiũ, quodque perſeuerante in veſica calculo, continua non interpolata eſſe deberẽt accidentia,dico primum haud eſſe neceſſarium ad conſtituendam cuiuſcunque morbi eſſentiam, omnia, & ſingula reperiri debere ſymptomata, ſat eſt plura, & ea quidẽ potiora adeſſe,quod ſi pondus,& grauitas non perſentitur,crediderim hoc inde prouenire, quia ſignũ hoc non tã calculum, quam eius magnitu-

C dinem arguit;atque demonſtrat;at præſens adhuc forſitan tantæ magnitudinis non eſt, qui huiuſmodi ſymptoma inuehere poſſit; deinde reſpondetur pro varia forma magnitudine, & ſubſtantia, proque vario ſitu calculorum in veſica,ita quoque variari ſymptomata in calculoſis, & per ſitum intelligo vna cum eo calculi ipſius motum, aut quietem, quia nimirum ſitu variat, prout modo mouetur, & modo quieſcit. Vnde nonnunquam etiam videmus, vt notat Fernelius lib.6.cap.13. de part. morb.& ſymptom. ſummæ veſicæ adhæreſcentem calculum, & quaſi ex illa propendentem, vix vllum ex his ſignis manifeſte exhibere, ita vt viſi ſint, qui nullo dolore diu illum geſtauerint. Quo in loco ſimiliter idem ſcriptor ſubiungit: *Omnibus tamen hæc ſigna modo mitia ſunt,& obſcura, modo ſæuiora.* Quare etiamſi continuus, & perſeuerans ſit lapis in veſi-

D ca noſtri P. nihilo tamen, dum quietus manet, nec violentius mouetur, mitiora circa eum ſunt omnia, & per longiora etiam interualla affligitur; & ideo mea hæc eſt opinio, vt rationi magis congrua ſit opinio de lithiaſi, quam de ſola fluxione ſalſa. Sed videor hoc te audire obijcientem, cur in dubio morbo ad ſigna ferè techmiria non confugis, quæ rem certam ex incerta efficere poſſunt, nempe, quemadmodum Celſus, & Paulus docent, ad digiti medij. pube compreſſo in anum intromiſsionem, aut potius ad catheterem, quo in adulti (vt priore magis in pueris) paſsim mira cum dexteritate vti ſolent lithotomi? Quia P. neutrum admittere hucuſque voluit. Accedo ad cauſas,& quo-

ad materialem, hoc in caſu euidentiſsima eſt; nam patiens alias frequenter vo- A
mere conſueuerat magna in copia materiam pituitoſam viſcidam, ac lentam,
quæ aliquot ab hinc annis omnino cohibita ad veſicam maiori ex parte deman-
data eſt, cuius primaria generatio partim a capite eſt, partim a ventriculo, &
culpa ipſius, & ob errata varia in victu commiſſa. Pro efficiente verò ſtatuit ca-
lorem eiuſdem veſicæ non tamen vehementem, ac exurentem, vt de pueris
proditum habemus ab Hippocrat. 2. de nat. hom. 4. de morb. & alibi, ſed potius
mitem, & blandum, qui paulatim, & ſenſim in lentam illam, & craſſam mate-
riam agendo, partes abſumit tenuiores, relictis terreſtrioribus, & ſiccioribus,
quæ ad formam durioris lapidis reducuntur. Imo ego ſemper fui huius ſenten-
tiæ, quod calculi in veſica a calore omnino tepido gignantur, in renibus vero
ab intenciori, ſumpto argumento a natura partis, quia veſica ex propria natu- B
ra membranea, exanguis, frigidaque exiſtit, renes è contra carnoſi, & calidi
cum ex ſe tum quia hepati vicini ſunt, & cum eo colligati, ideoque lapillos in
renibus genitos lateritijs lapidibus, qui in fornace ab igne ardente fiunt, veſi-
cæ autem calculos lapidibus, & ſaxis, quæ in magno mundo a calore ſolis mi-
tiori generantur, æquiparare ſolitus ſum; & quando Hippocrat. ait, ab exuren-
te fieri calore, fortaſſe reſpicit ad calorem vicinarum partium, non aliter, ac
quando lib. de Aere, aquis, & loci ſcribit, quod *qui aluum præcalidam, & ari-
dam habeat, ijs & veſicam talem eſſe oportet*; Et cum tradit 4. de morb. calculi
generationem fieri ad ſimilitudinem ferri, quod fit, dum lapides, ac terra com-
buruntur, materialem forte potius, quam efficientem cauſam præ oculis po-
nere nobis voluit. Quæ nihilominus cauſa etiam in veſica probabilius datur C
quam quod a frigore poſitiuo eiuſdem partis calculi gigni poſsint, vt nonnul-
lorum fuit opinio, quos abunde reijcit auctor lib. de ren. affect. cogn. & cur.
& Galeni doctrina ſatis refellit ſexto epid. in illius ſententiæ explicatione.
Infrigidatio indurat. Nam ſi per Galenum hoc in loco nunquam tanta eſſe po-
teſt in inteſtinis frigiditas, quæ valeat fęces indurare; quanto minus hæc erit
in veſica, vt ſtabulantes in ea materias in lapides congelare poſsit? citius enim
interiret animal. Verum vt non a frigiditate, ita nec ab intenſa caliditate veſi-
cæ calculi fiunt; ſiue pueros, ſiue alios reſpiciamus; quod nos etiam docere
voluit Galenus ipſe ſexto epid. comm. tertio tex. 15. Imo quod pro veriſsimo
ponitur ab Hippocrat. de frequenti adeo lapidis in veſica puerorum gene- D
ratione; noſtris in regionibus haud ita verum eſſe obſeruatur; cum plures
ſint grandioris ætatis, & pauci admodum pueri, qui veſicæ calculo labo-
rent. An in renibus calculus hic primordia habuit, deinde craſſorum
ac viſcidorum humorum adhæſu in veſica grandior redditus? Id aliquando
ſuſpicatus ſum ex eo, quia annis præteritis P. noſter iſchuriam paſſus eſt,
quod quidem ſymptoma non a grandioribus, ſed a puſillis lapillis ſeſe in
meatum vrinarium inſinuantibus progigni ſolet, vt hinc facile conijce-
re aliquis poſſet, tunc primum è renibus delapſum eſſe in veſicam, cum
præſertim non ita poſt iam dicta inſurrexerint ſymptomata. Accedit quod

Fernelius

A Fernelius loco iam citato mordicus, tuetur, omnes veſicæ calculos ſemper,
& perpetuo ortum habere a nucleo in renibus incohato, & ad veſicam
demiſſo; ſed quoniam impoſſibile iudico uel minimum lapillum a re-
num cauitate per vreteres in veſicę capacitatem demandari, quin antea le-
ues ſaltem nephriticę moleſtiæ præceſſerint, de quibus nunquam patiens
ipſe conqueſtus eſt, in quo etiam niſi paruæ, & vndique friabiles arenulæ in
lotio animaduerſæ fuerunt, exiſtimauerim præſentis lapidis generationem pe-
nitus a veſica pendere, & falſum vndequaque eſſe quod a Fernelio ſupponitur,
quia, ſi & in vtero, & in inteſtinis, & in alijs concauis partibus aliquando calculi
generantur, ad quas dubio procul nulli renales lapides tranſmittuntur, cur non
amabo etiam in veſica, in qua per vrinam materia craſſa, & fęcis inſtar cõtinuò
B ſubſidet? Vnde merito Philotheus explicans iã allatum Hip. aph ſect. 4. 79. ſcri-
bit ideo Hip. ſolius veſicę meminiſſe, quod crebrius in ea, quia effatu dignã ha-
beat capacitatem quam renibus calculi naſcantur; non tamen negauerim poſſe
etiam interdũ ab huiuſcemodi cauſa lapidem in veſica ſuboriri, qui calculus ita
genitus ſolet eſſe in medio friabilis, in ſuperficie durior, & magis compactus,
cumque nephritici dolores antecedunt. Hanc ipſam calculi in veſica generatio-
nem nos multo ante Ferneliũ docuit Ariſt. a quo non dubito quin eam hauſe-
rit Fernelius ipſe. Sic. n. ſcribit 3. de hiſtor. animal. cap. 15. *Defunctis nihil humo-
ris in veſicam tranſmittitur, ac viuis non ſolum humor, ſed etiam ſicca quædam con-
crementa deſcendunt, ex quibus calculi conficiantur. Tam nonnullis talia in veſica con
ſtiterunt, quæ nihilo defferre a conchylijs viderentur*. Poſt hæc, & alia, quæ breui-
C tatis ergo omitto, ad prognoſticum deſcendens, hoc meum fuit iudicium; mor-
bum eſſe grauiſſimum, & curatu difficillimum, & primum quidem ratione ſym
ptomatum tam præſentium, quàm impendentium, de cenſu pręſentium eſt do-
lor ille aſſiduus cũ ſciamus per Hip. 3. de fract. nihil æque infirmum corpus red-
dere, ac dolorem. Inſtant ſtranguria, iſchuria, inflammatio, & mors ipſa. Curatu
verò difficillimum, quoniam calculi veſicæ curatio aut per ea, quę illum atterũt,
& in fruſtra diuidunt, aut per inciſionem partis, ex qua elici poſſit, perfici tantũ
ſolet; quorum alterum tentatur in caſſum. Cur? Quoniam vel fit per ea, quæ
ſcribuntur a Galeno 9. ſimplic. & ab infinitis Medicinæ ſcriptoribus ad lapi-
dem frangendum proponuntur (etiam ſi ſit balſamum illud a magno Auẽzoa-
re tãtopere decantatum, & aqua neſcio quæ minorum artificio concinnata Ge-
D nuæ vſitatiſſima, & a Liceto etiam doctiſſimo celebrata) quæ omnia lapis iam
in veſica comparatus omnino negligit, vel fieri tentatur per acriora, & vehe-
mentiora medicamenta, a quibus certè veſicæ prius, & aliarum internarum
partium venæ, arteriæ, ac tunicæ dilaniarentur, quam lapis ipſe contereretur:
Alterum vero diſcriminis vndiq; plenũ in P. maxime in graui, & ſenili ętate cõ
ſtituto, quia licet veſicæ lapis a ſola manuali opera ſanetur vt ſcriptum reliquit
Galenus 6. Epid. com. 5. nihilotamen ſcimus ex eodem, atque diuino ſene. *Re-
num, & veſicæ vitia difficulter in ſenibus curari.* Veruntamen additum a me fuit,
etiam ſi lapis nec atteri, nec extrahi abſq; periculo poſſit, multo præſtari a nobis

poſſe,quæ & curandi,& multo magis præſeruandi vim habeant,ſequẽtibus con A
ſideratis intentionibus,quarũ prima ſit prouidere ne materialis in primis cauſa,
quæ eſt craſſa illa viſcida,& lẽta pituita accumuletur; ſecunda, ſi impoſſibile ſit
eius prouentũ inhibere,eam ſæpius extra corpus educere,& ad alias partes mini
me affectas auertere; tertia ardorẽ demulcere, quarta viſcerũ præcipue capitis,
& ventriculi diſcraſias humidiores,hepatis,& renum calidiores ad meliorem ſiu
gem reducere,idque varijs auxiliorum generibus, quæ è triplici fonte hauriun-
tur.Ideo quantum ad pharmaciam,hæc ante fuere propoſita,nimirum vt verno
tempore iam fere præſente purgationem totius hac ratione aggrederemur, ac-
cipiendo ſcilicet ante omnia bene medicamentum,quod ei cum fructu familiare
eſt: ℞. elect.diaſeb.ſimpl.ʒ ſ.diacat. ,ʒ.m.in ʒ. Deinde ſeptem ſyrupos, facta
decoctione bettonicæ,meliſſæ,cichorij.capil. vener. & acetoſæ in iure pulli ad- B
ditis oximelite ſimplici,ſyr. de cichor. de beton. & de hibiſco denique medica-
mentum ex infuſione agar.trochiſ. & rhabarb. electi ſing.ʒ.j.vna cum mell.roſ.
ſyr. roſat.ſol,an.℥.ij.cum decoct.flor.& fruct cord. dilutis. Abſoluta hac purga-
tione, & aliqua etiam cerebri ſpeciali, proponitur per viginti ſaltem dies deco-
ctum chinæ,& ligni, viſci quercini,cum radice eringij,& pentaphyli,additis ci-
choraceis. Inſuper æſtiuis diebus appropinquantibus, non diſpliceret vſus la-
ctis caprilli vel optimè preparati,vel ſtillatitij, cui tamen in ventriculi gratiam
vel modicum aquæ cinamomi,vel aliquot abſynthij comæ adijceretur. Illud
autem mihi præ cæteris hoc in fonte arridet,vt bis in menſe (præterquam in ca-
nicularibus diebus) ſumat modo propoſitum medicamentum in forma ſolida
modo vero terebinthi cyprij vncia media , diligenter prius in aquis hordei , & C
maluarum loti,vna cum ſaccharo,quod medicamẽti genus ſenioribus maxime
conuenit ex Gal 5.de ſanit.tuen. eoque ad roborandum vẽtriculum,& ad eiuſ-
dem abſterſionem,quemadmodum inteſtinorum,renum,& veſicæ nullũ aliud
excogitari poteſt opportunius. Aquæ thermales cum tectucianæ pro ventricu-
lo,tum villenſes,aut conſimilis mineræ pro hepate,ac renibus contemperandis
& ardore demulcendo,ex vſu etiam fortaſſe forent,cum præſertim referãt Ara
bes,& quidam è neotericis confirment aquas thermales tam in veſica, quam in
renibus factos lapides diſrumpere . Scio tamen ſuſpectum haberi poſſe vſum
talium aquarum quæ ad veſicam tendunt,quia interdum lapis in ea latitãs mu-
co veluti obductus ac circumueſtitus,ſicque minus moleſtus,magis deterſus,&
quaſi ſuo indumento priuatus veſicã ipſam magis vellicãdo afficit. Vbi aũt im- D
penſe vrget vrinæ ardor,aliquando ſeminum communium emulſionẽ,aliquan-
do cremorem hordei in ferculis imperare ſolitus ſum, nec non aquam maluarũ
vna cum conſerua florum earum,vel violarum, aut roſarum. Si res verò magis
vrgebit,ad ſyrupos varios deueniam,præſertim de Althæa Fernelij,de muccila-
ginibus Matthæi de Gradis,& alterum Mercati Con. 18. Quid ſi his non conſe-
rentibus,ad Aſininum lac deueniatur ? Ad hæc vbi aluus non ritè ſuo fungitur
munere , enematis blandioribus irritetur , quia ex illius excretione melius ſem-
per P.ſe habet,vt euenire videmus in nephriticis,teſtimonio etiã Hip.& Gal.5.
Epid.

A Epid. Tandem vomitus prouocatio , cum præſertim alijs temporibus conſue-
ta foret, mihi magnopere probatur , quia veriſſimum eſt quod de vomitu tradit
Auerr. 3. collect. c. 5. *Eximie cõfert vomitio affectibus partiũ inferrnarũ, purgatio ve-
ro ſupernus tollit ægritudines.* In chirurgia tria occurrunt vẽtilatione digna, ſangui
nis detractio, paracenteſis, & cauteriũ cruris dextri. Quãtũ ad primũ, quia ſenex
robuſtus eſt, carnoſi habitus, & plethorius, iecoriſque feruidioris, & quia vehe-
mens, ac magnus eſt morbus, puto aliquam ſanguinis miſſionẽ eſſe neceſſariã,
nedum vtilem pro purgatione melius perficienda . Quoad locum, è quo dixi
valde tutius omnino fore, ſi è venis hęmorrohidalibus educeretur, cum præci-
pue alias ſanguinem è varice manare ſolitum fuiſſe P. narret, craſſum penitus,
& melancholicum, e qua parte ſanguis eductus, ea ratione auxiliari poſſe vide-
B tur, qua nephriticis ipſis, iuxta illud Hippocrat. *Nephriticis , & melancholicis ſi
hęmorroides ſuperuenerint, fit morbi ſolutio.* Attamen, ſi alicui placeret interiores
venæ brachij dextri ſectio, in hepatis, & reuulſionis gratiam, non magnopere
contendam, dummodo hæc priori loco fiat, & ſanguis modicè extrahatur. Quã-
tum ad ſecundum, cum ętas ſit grauis, & magnitudo ſymptomatum adhuc tan-
ta non appareat, quæ nos cogat ad ferrum, & ignem deuenire, mehercle abſti-
nendum a tam magno, & periculi pleno remedio. Sed quod hoc in loco quæri-
tur eſt; An inualeſcentibus ſymptomatibus, & ſenſu ipſo lapide in veſica reper-
to, alijs omnibus fruſtra adhibitis, ad ferinam hanc operationem deſcendere de-
beamus. Ego certè neceſſitate vrgente eligerẽ in hoc quod legitur apud Cel-
ſum; *Satius eſt anceps experiri remedium; quam nullum ;* cum viderim in eadem
C ętate conſtitutos, nec adeo boni habitus , & virium non ita fortium , ad huiuſ-
modi remedium impendentis mortis neceſsitate coactos non infeliciter deue-
niſſe, qui diutius vitam protraxere. Nec prohibet in ſuo iure iurando Hippocr.
vndequaque hanc ipſam operationem, dummodo ab exercitato lithotomo cele-
bretur. Pollicetur Deo ſe nolle eam aggredi, quia ad Phyſicum vocatum Medi-
cum non ſpectat, niſi vna etiam ſit valde aſſuetus chirurgicam partẽ manu exer
cere. Quantum ad tertium, & vltimum, cum corpus hoc vndique copioſis ſca-
teat excrementis, quæ olim per varias partes expurgari ſolebant, & nunc cohi-
bita ſint, cenſeo fonticulum cruris dextri non poſſe niſi vtilem fore, quemad-
modum eſt alter, quem a multo tempore in ſiniſtro brachio ad muſculum del-
thoidem gerit. Per huiuſmodi enim patentes meatus, quaſi per adapertam cloa
D cam corporis recrementa die, nocteque educuntur , & ab affectis particulis
auertuntur. Quibus omnibus addenda eſt victus ratio accommodata, de qua
hic nullum verbum, quoniam a me in dies ei præſcribitur. Et hæc mea eſt ſen-
tentia in ſyndrome variorum ſymptomatum, quæ patitur P. nobiliſsimus tuuſ-
que affinis. Tuæ modo partes erunt, ad nos quam primum reſcribere, quid cen-
ſeas, vt ſi aliqua vel addenda, vel ferenda eſſe tibi videbuntur, id fieri tempe-
ſtiue poſsit, cum dicat Celſus lib. 3. cap. 21 *Multum intereſt ab initio quis recte cu-
ratus ſit, an perperam; quia curatio minus his prodeſt, in quibus aſſidue fruſtra ſunt.*
Vale mi Guaſtauine atque iterum vale. Datum Romæ die 10. Aprilis 1618.

Iulius Guaſtauinius Vincentio Alſario Crucio In Romana ſchola medicinæ practicæ euocatæ Profeßori. P.S.D.

EPiſtolam tuam de morbo perilluſtris & mihi amiciſſimi viri legi nõ
ſemel, mi Alſari, quæ, quò magis doctrina, & elegantia placuit, eò
ſanè magis re ipſa, & argumento diſplicuit, quippe affinem cariſ-
ſimum tam ſæuis opprimi malis, non potui ſine lachrymis legere.
Reſpondebo autem breuiter; illa enim repetere, quæ a te doctiſſime Alſari re-
ctè ſunt ſcripta, ſuperuacaneum exiſtimo; addendi autem vix locus vllus eſt. Si-
gna ſanè morbi propoſita adeò euidenter veſicæ calculum oſtendunt, vix, vt de
eo dubitari poſſe videatur. Quippe ipſis pene verbis conſcripta (adeò res ipſa B
eadem) quibus pro eius mali dignotione vtitur Fernelius lib. de partium m. &
ſimpt. Eſt tamen vbi offendam. Velim dubitari mi Alſari, nec ab vllo inueniri
ſolutiones, & amiciſſimo viro extorqueri morbum. Nam ſcribit ille ad me prio-
ribus quindecim martij menſis diebus ſe ita bene habuiſſe, vt ex toto Calculi ſu-
ſpicionem depoſuiſſet. At verò, quomodo manente morbo, tam longo tempo-
ris interuallo delituerunt ſymptomata? an non erat ille morbus? Vtinam mi
Alſari. An dicendum calculum ſolum cum mouetur cruciare, illis autem diebus
minimè fuiſſe motũ; Si verò ambulabat æger, aut rheda uehebatur ſicuti antea,
quare motu non concitabatur lapis, aut quæ eum a motu ſuſtinebat cauſa. An
potius dicendum oblinirì aliquando lapidem cœnoſa materia, & muco veluti ve-
ſte circundari, qua impediatur, ne pungat; ablata verò, aut abluta veſte redire C
cruciatus? Iterum lapis hic ſi eſt, exiguus eſt, ſi enim magnitudine eſſet effatu
digna, pondere, & grauitate ſe proderet; at ſi exiguus, quomodo in ceruicem nõ
incurrens, & meatum ipſum non ex toto opplens, & obturans, vrinam non om-
nino cohibet? Sane video anno ſuperiori adfuiſſe iſchuriam; at quomodo tam
longo interuallo ad inſignem magnitudinem non excreuit lapis, aut ſi excreuit,
grauitate, & pondere non ſe prodit? an fortaſſe non excreuit, quod ſabuloſa
materia ſubinde propulſa, quæ in vrinis ſubſidet (vt ſcribitur) incrementum la-
pidi denegauit? verè enim ſic contingere ſæpius puto, vt ante lapidis coagmen-
tationem ſabuloſæ prodeant vrinæ, tamquam eius materialis cauſa, & inde ſi-
gnum. Perfecto iam lapide crudæ, albæ, & aquoſæ materia intus detenta eſſe ſo-
lent: at verò in Perilluſtri viro proponuntur cruentæ, cum materia craſſa, & D
lenta, fundo matulæ pertinaciter adhærẽte, vt frequẽtius ſimiles naturalibus, &
cum arenulis; Sanè arenulas, renũ etiam affectionem indicare puto, & qui pro-
dit cum vrina ſanguis, an etiam a renibus? Si inſigni quantitate ſit, non difficul-
ter credi poſſit, a veſica enim exiguus profunditur; Si autem in renibus lapides
geniti ſunt, & in veſicam tranſmiſſi (quod tamen non eſſe neceſſarium ſemper
puto, licet obnitatur Fernelius) an ex hoc ſymptomata omnia referenda ſunt?
at rurſus quomodo nunquam nephritici dolores apparuere, niſi lapides, & exi-
gui admodum & non ampli, ſic vt nuſquam impegerint, aut reſtiterint. Hæc
habui

A habui de morbo, quem eſſe nolim, quæ dicerem, aut dubitarem potius, qui ta-
men ne non ſit timeo vehementer; a quo enim alio, vt tu doctiſſime Alſari Indu-
ctione oſtendis illa ſymptomata eſſent? aut cur non alia per ſingulos alios appa-
rerent? Enimuerò fluxionem ſimul adeſſe, quod & tu fateris ſane exiſtimo, eam-
que calidam, & mordacem, bilioſam, & ſalſam a qua, & ad intemperiem calidam
verſa, & maxime debilitata, & afflicta ſit veſica; vnde tam facile patiatur tam ſæ-
uos dolores, qui etiam ad lypothimiam ferme aliquando ægrum deducant, ſed
& fortaſſe ab humoris acrimonia excoriata veſica eſt, & inde ſanguis ſi exigua
quantitate, & fortaſſe aliquod vlcuſculum, a quo purulenta materia exigua ad-
modum exiens lentæ, & craſſæ materiæ cum ſanguine excretæ permixta oculos
fortaſſe lateat. Sed imprudens ego, qui abſens illa velim apponere, aut affinge-
B re, quæ præſentes oculatiſſimi non viderunt. Nimirum quod antea dicebam ab
amiciſſimo viro velim lapidem ſine dolore abſtrahi, quod tamen nõ poſſet, nec
tam ſæua ſymptomata a ſola mordace fluxione fieri poſſe putem, cum etiam
ardoris vrinæ exceſſus inſignis tamquam maximè affligens nõ proponatur, qui
ſi ſit maius adhuc eiuſdem fluxionis momentum exiſtimari debeat. Non igitur
certi de morbo certo dicam, an incerto amplius certa ad eum afferantur auxilia;
& verò poſſit; quippe ad ſimiles eadem ex arte, & ritè proponuntur; ſunt illa
verò a te omnia præſcripta ex Indicationibus; Euacuanda enim morbum faciẽs
materia; prohibendum, ne gignatur noua, reuellendum a parte affecta, ſedanda,
& lenienda ſymptomata, fluxio ſiſtenda, contemperanda humoris acrimonia:
De lapidis comminutione nihil dico, dari enim huius facultatis medicamenta
C vix credo; licet multa a multis extollantur, & Sciam Genuæ etiam extitiſſe cele-
bres medicos, qui putarunt ſe medicamenti virtute confregiſſe lapidem, cuius
etiam fruſtula mihi oſtenderent, quibus tamen vti vbi de lapide certo conſtaret
non abs re exiſtimarem. Laudo igitur in primis exquiſitam, & maximè accura-
tam viuendi rationem, de qua nulla mentio a me, nec aliud ægro præceptum te
præſente. Purgatio in primis neceſſaria; velim tamen eam ſemper leni, nõ acri
medicamento fieri, quippe propoſitum eſt eſſe demulcendum, & contemperan-
dum; vehementer igitur arridet medicamentum a te præſcriptum ex diaſebe-
ſten &c. quod velim iterari bis, ac ter; Rhabarbarum, & Agaricum timerem,
acriora enim ſunt, aut exigua admodum quantitate vſurparem, cum potiſſimũ,
& æger facilis ſolutionis ſit, & noſtrum conſilium non ſit multam materiam ad
D inferiora præcipitare; quippe affectu in inferioribus partibus exiſtente, ſed ma-
teriam, quæ in primis vijs, & proximis educere. Maxime proficuum exiſtimo
vomitum prouocare qua via memini pituitoſam materiam potiſſimũ euacuari
ſummo cum perilluſtris viri beneficio; vnde renouandum; laudo & decoctum
Chinæ, eo tamen modo, vt non vehementer exiccando inflammet; magis etiam
ſerum lactis depurati, cum abſynthij comis; hoc enim & abſtergit, & contem-
perat quod ab hoc morbo requiri maximè exiſtimo; arridet vſus terebinthij
preparati modo propoſito; aquæ etiam tectucianæ, ſed Vilenſes potiſſimum, ſi
in veſica lapis ſit, mihi quidem ſuſpectæ, quæ & illuc materiæ copiam trahere,

& lapidem

& lapidem ſpoliãdo punctionem, & dolorem augere poſſunt. Clyſteres demulcentes, & emulſionem etiam ſem. com. in ferculis vrgente dolore quis non videat neceſſaria, & alia ad eundem finem? Sanguinis detractionem puto omnino neceſſariam; detraherem autem antea a bracchio ex baſilica dextra; quippe memini ſæpius fuiſſe perilluſtri viro maximè proficuam; cum ex ea potiſſimum refrigeretur hepar, & reuellatur ab inferioribus, quæ laborant partibus materia: tum ſi deriuandũ ab eiſdem ſit, mariſcas aperirem. Fonticulus aperiatur in crure dextro, vti proponitur, hic enim non trahit ad partem affectam, ſed ſenſim perniciosam materiam longe ab affecta parte extra mittit. Quod pertinet ad inciſionem, vt lapis ui extrahatur, abhorret animus a ſola cogitatione, ne dum ab operatione; neque dum cathetere vterer, ſed propoſitis auxilijs velim antea ſuccurrere; ſi fortaſſe miteſceret morbus. Experimentum enim illud, tum multum periculoſum, tum etiam fallax ſæpius eſt, potiſſimum cum exiguus eſt lapis, & niſi peritiſſimus ſit artifex docuit experientia fallere lapidem, qui enim vacare lapide dictus erat, mortuus, & diſſectus, lapidem etiam inſigem habere viſus eſt. Interim dolor maximus, & Inſignis laceratio conſequitur Procedente tempore, ſi videatur augeri morbus, & cum alijs omnibus tentatis nihil reſpondeat, penſabuntur vires, & iam dicam, non quod neceſſitas, ſed quod volet Deus præſtandum nobis erit, quem præcor ab amiciſſimo viro tam diros cruciatus auertere; teque mi Alſari pro veteri amicitia noſtra enixè quantum poſſum, vt bene inſtitutam curationem accuratiſſimè proſequaris; eſt enim Clariſſimus vir, omni diligentia, & obſequio dignus. Vale Piſis 10. Kal. Maij 1618.

QVAESITVM PRIMARIVM OCCASIONE COLLOQVII de longitudine, aut breuitate vitæ in natura bilioſis.

I.

Quamobrem χολώδεις, ſeu πικρόχολοι, hoc eſt bilioſi longæui minime ſint, & quomodo præſeruandi.

Quæſita Secundaria decemnouem.

I.

Cur aliqui bilem, & alia aſſidue euomant.

II.

Cur de innato calore dicatur; Qui mecum oritur, mecum moritur; Qui me perimet, me viuificat.

III.

Cur victum humidum febricitantibus iniungat Hippocrates, & poſt eũ Ariſtoteles.

IV.

Cur calidum pingue ad vitam faciat longæuam.

An

A V.

An morbi omnes acuti, & febres in primis a bile ſemper.

VI.

Cur dixerit Anaxagoras fel eſſe acutorum morborum cauſam.

VII.

Cur Aethiopes in febribus magna ex parte intereant.

VIII.

An febris ex bile tantummodo ſuperaccenſa citra putredinem aliquando fiat.

IX.

Cur corpora eucrata diutiſſime viuant.

X.

B *Cur bilioſi etiam à frigidis morbis tententur.*

XI.

Cur ijdem morte ſubita perſæpe corruant.

XII.

An cor graues affectus pati poſſit.

XIII.

Cur qui ſentiendi acumine pollent, citius intereant.

XIV.

Cur vtilis ira ſit in frigidis affectibus.

XV.

Cur ſalacia animalia non diu viuant.

C XVI.

Cur ſuſpecta in ſenibus, & hydropicis cholagoga medicamenta.

XVII.

Cur non omne vinum ſit denegandum calidis, & ſiccis naturis.

XVIII.

An iiſdem conueniat aquæ potus.

XIX.

An aqua in bilem reuera demigret.

Ad Laurentium Garzonium Medicum Romanum.

D POſt ſermonem in Gymnaſio diffusè habitum de locis, in quibus fit humorum putredo, pro febrium putridarum generatione, aduerſus eorum opinionem quorum alij negant in venis poſſe putredinem celebrari, neſcio quibuſnam adducti rationibus apud Alexandrum Trallianum lib. 12. & Laurentium Ioubertum lib. 2. Paradox. quas pro viribus confutauimus alij in nulla alia parte fieri poſſe aſſeuerant, præterquàm in venis ipſis, quorum pariter argumenta tanquam futilia, nulliuſque momenti reiecimus; inſurgebat altera non contēnenda difficultas de materia putreſcente, & febrem ipſam generante, eò quod nonnulli ſunt qui ſolam pituitam putreſcere,

ſcere, & putridas febres excitare contendunt, alij quidam ſolam bilem, & alij A demum omnes humores putredinem poſſe contrahere, excepta melancholia, vt pote frigida, & ſicca, quam idcirco terræ Plato in Timæo aſſimilabat: Cuius quidem rei gratia, dixi teſtimonio Anaxagoræ apud Ariſtotelem 4.d.par.ani.2. bilem eſſe acutorum morborum cauſam, & omnium propterea animalium illa eſſe viuaciſſima, quæ bile carent, neque id ſolum veritatem habere in brutis, vt Ceruis, Camelis, & delphinis, ſed in hominibus etiam, inter quos videmus, qui magis biliosi ſunt, eos valde citius obire, nec, vt plurimum, ad vltimam peruenire ſenectam, addens nõ vndique aſpernendam eſſe illorum ſententiam, qui exiſtimant, aut bilem ſemper febres accedere, aut certe reliquos humores vix poſſe ignem concipere, quia portio admixta ſit bilis, per quam, quaſi per ſulphur, vis calorifica reliquis humoribus impertiatur. Rationes, & auctoritates afferebantur quamplures ad vniuerſam rem hanc ſtabiliendam, atque confirmandã, B attamen tu, vir amantiſſime, illi parti non vndequaque adhærere, & acquieſcere viſus es, qua biliosos homines nempe calidos, & ſiccos haud longæuos eſſe, tam conſtanter affirmabam, cum huiuſmodi præditi temperamenti incrementis careant humidioribus, quorum cauſa in primis omnes frequentiſſime a morbis tentantur, & ab illis interficiuntur. Quod quidem videtur ſatis cõfirmari aphoriſmo 2.ſect.6.vbi ita loquitur Hipp. *Quibus nares natura ſunt humidiores, ſemenque genitale humidius, ij valetudinarij degunt: quibus verò contra accidit, ſalubrius.* Qui aphoriſmus repetitur ab eodem Hipp.6.Epid.ſect.6.cap.19. Et reuera qui natura ſunt humidiores, ij minus ſalubriter degunt, valetudinarijque ſunt, quòd ex leui admodum occaſione diſtillationibus corripiantur, quòd multa, qua in C capite abundant, humiditas ſæpe eiuſdem grauitatem, morbumque vel attonitum, vel comitialem efficiat, & quod demum vniuerſi corporis humiditas eoſdẽ febribus putridis, & id genus alijs malis ex putredine natis obnoxios reddat. Quibus verò contra accidit, vt ſint corporis temperatura ſicciore præditi, ſalubrius degunt, quod nimirum cerebrum & corpus excrementis, & ſuperuacuis humiditatibus vacuum obtineant. Quamobrem ne temere a me illud pronunciatum putes, decreui nunc tibi latius, & apertius meum ſenſum aperire, cui aſſentiri ſi nolueris, neque id ægrè feram, quia, vt eſt in veteri adagio: *Suam vnuſquiſque ſponſam.* Ante omnia igitur definiendum eſt, quoſnam per biliosos intelligi velim, deinde qua de morte accipi noſter ſermo debeat, violenta, & quæ morborum occaſione accidit, an naturali, & quę euitari a nemine poteſt. Quan- D tum itaque ad primum ſpectat, per biliosos abſque dubio calidos, & ſiccos intelligo, quales medici omnes Græci ex Hipp.3.Epid.3. πικροχόλους vocant, qui ab eodem Hipp. χολώδεις dicuntur, per quos tamen etiam ἰκτερικοὺς denotare ſolet, vt in Prorrh.& coac. Prænot. lib.3.ſect.2. Aph.21. Sed hi bilioſi homines a me potiſſimum intelliguntur, qui τῇ φύσει ideſt natura tales ſunt, & in quorum ortu vicit bilis, non qui ex euentu, & aſcititio ſolum temperamento, vt qui nimijs laboribus, irarum æſtu, diuturnis vigilijs, & curis aſſiduis corpus inficiunt, aut qui acribus veſcuntur alimentis, ſalſis, & piperatis, nec non vinis antiquis, ac gene-

A generoſioribus liberalius ſeſe inuitant, licet ad hos etiam rationem noſtram extendi poſſe nemo non videat, quòd colligitur ex Gal. doctrina 10. meth. cap. 1. ab initio, velut, ad eos quoque quos Hip. de rat. vict. in acutis. *πικροχόλους ἄνω καὶ κάτω* *biliosos ſupra, aut infra* appellat. Illi etenim bilem vomunt perpetuo, quorum miſerrima eſt ſanè conditio, qualis meo tempore Veneciis erat clariſſimus de Raimundis, in quo ſurſum bilis refluebat, & ſæpius in die vomere cogebatur, hi verò deiectiones continuò bilioſas eggerũt, qui tamen pituitoſi eſſe poſſunt temperamento, & habitu tantum dicuntur eſſe bilioſi, hoc eſt conformatione vitioſa, quorum videlicet ita conformata eſt veſicula, vt in prioribus ad ventriculum, in poſterioribus ad ieiunum vſque excurrat meatus *χοληδόχας*. Quoad ſecundum, de quocumque interitu libeat accipere, vtràque ex parte verum eſſe meum ſermonem exiſtimo, vt in ſumma, qui nimium calidi, & ſicci ſunt, ac bi-
B liosis humoribus tum pallidis, tum flauis abundant, breui tendant ad interitum. Quod quàm probabile, & rationi conſonum ſit, ecce quàm facile, & perſpicue nunc tibi demonſtro. Iam ſcimus omnes naturalem mortem per refrigerationem, & deſiccationem fieri, & quoad naturale temperamentum, qui maximè ſunt humidi, eos maxime eſſe longæuos, vt ait Gal. 6. de tuenda ſanit. ; vnde videmus graciles fere omnes, & a prima genitura ſiccum ſtatum ſortitos, ocyus etiam ſeneſcere. *Nam cum omnes*, inquit idem Gal. *in remiſſione ætatis ſicceſcimus, ratio eſt, vt qui natura ſit ſiccior in ſenectutis intemperantiæ ſiccitatem citius perueniat.* Habent bilioſi humidum paucum, & ideo facile exſiccabile, quod Ariſt. in lib. de long. & breu. vitæ cap. 3. eſt breuioris vitæ cauſa. Non tè pariter latet quòm aſ-
C ſidue calor in humidum agat, humoremque ipſum calori pro pabulo inſeruire, hoc deficiente, vna etiam calorem innatum marceſcere, ac interire. Hoc enim eſt, quod teſtatur Hipp. in Epid. eum calorem, qui genuit corpora, nos in præcipiti ſenecta interficere; vnde illud ænigma: *Qui mecum oritur, mecum moritur, Qui me perimet, me viuificat*: At picrocholi calorem ſortiti ſunt alijs omnino acriorem, & intenſiorem, cuius vis ab eorum ſiccitate magis, magiſque intenditur, ſimilis fere calori febre laborantium, & ſiccitatem cum ab alijs, tum ab Auicenna cap. de complexionibus cotem, ſeu limam caloris appellari non ignoramus, vt propterea tali natura præditi, niſi humectanti in primis victu cuſtodiantur, quam celerrime contabeſcant, & præ ſiccitate intereant. Ideo alibi cum diſ-ſererē de natura, & eſſentia febris, & quæreretur ſimplexne eſſet affectio, an cō-
D poſita, hoc eſt, vtrum ſiccitas neceſſario febri adiuncta foret, quod aliqui contendunt auctoritate potiſſimum Hipp. qui victum humidum febrientibus imperat, & Ariſt. 1. prob. 59. dum ait: *Curat morbos ignis, roſ.* quaſi velint ſiccitatem magis, quàm caliditatem febri conuenire, tantum abeſt per Hipp vt ſiccitas nō ſit de febris eſſentia iudicanda, dixi a ſapientiſſimo ſene victum humidũ ſumma cum ratione iniunctum fuiſſe febricitantibus aduerſus calorem potius eorum, quàm ſiccitatem. Nec valet obiectio, quòd frigida calidis, humida ſiccis reluctentur, quandoquidem & humida calidis ex accidenti contrariantur, dum nimirum vim caloris acriorem retundunt, ac humectando infringunt, quemad-

modum

modum vice uerſa, quæ nimis arida, & ſicca ſunt, eundem calorem magnopere A
exacuunt intenſioremque reddunt. Niſi velimus & Hippocratem & Ariſtotelem ſimul reſpicere potius effectum, quam formam ipſam, aut cauſam, quia humiditas effectui caliditatis reſiſtit, quæ eſt ſiccitas, vt adnotauit Aponenſis, & Guaſtauinio placet in Comm. A calore hoc obtinent altioſi quemadmodum quæuis aliæ calidæ temperaturæ, & ſi humidæ ſimul multo citius, vt cito creſcāt, cito emittant dentes, & articulatam vocem proferant, auctore Gal. 6. de ſanit. tuenda. 3. Sed eiuſdem caloris culpa fit, vt veritatem in illis habeat, quod paſſim effertur; *Quæ cito creſcunt, cito etiam decreſcunt.* Multus enim calor humidum omne abſumit, & citius adhuc eorum reddit temperamentum, ideoque in illis præproperam accelerat ſenectam. Quorſum putas à Philoſopho dictum. *Odi pueros præcoci ingenio?* Dicebat Ariſtot. præcitato loco de long. & breuit. vitæ. B
Calidum autem ipſum in nonnullis pingue habetur, quæ res ſimul efficit, vt neque facile inareſcat, neque facile refrigeretur. Cur verò dictum hoc ſit ab Ariſt. aſſequi arduum non erit cōſideranti ſpiritum, & calorem innatum ali, ſuſtinerique a pingui, & oleo per quam ſimili humore, qui omni viuentium generi datus eſt, & in ſimilaribus quibuſque particulis ineſt, innati caloris fundamentum, atque prima ſubſtantia, quem propterea primigenium humorem vocamus. Hoc nectar viuificum in natura bilioſis minus pingue exiſtit, & ab adurente calore per quā facile conſumitur, ac diſſipatur. Conſumpta autem materia, quæ ſpiritum, atque calorem continet, ac ſeruat, qui fieri poteſt, vt ſpiritu, ſubſtantia, & calor diutius perſiſtat? Ex his ergo elicitur quàm rationi congruat, bilioſos homines in naturalem interitum citiſſime incurrere. Quæ ſequuntur ad violentam mortem ſpectare magis videntur. Verè, ac propriè acuti morbi, qui omnes cū periculo ſunt, C
a bilioſis humoribus maxime fiunt, vt ad hoc reſpiciēs Anaxagoras apud Ariſt. lib. 4. de part. animal. 2. aſſerat fel eſſe morborum cauſam acutorum, quia cum abundat, aſpergi in pulmonem, & venas, & coſtas affirmat. Putauerim enim ego Anaxagoram ad bilem direxiſſe mentem, quæ in ſanguinis reperitur maſſa, non ad eam, quæ in fellis conceptaculo ſtabulatur: quidquid cōtra cenſeat Philoſophus. Anaxagoræ opinio ex eo confirmatur: quòd febres, quæ a verè acutis morbis nunquam abſunt, a bile ipſa potiſſimum generantur. An non ſcribit Hipp. 4. de morbis *bilem febri maxime nutrimentum eſſe?* Quinimo non defuere qui putarint ſolam bilem inter humores putreſcere, ac febres quaſcunque generare, propter igneas qualitates aptam extremum concipere calorem. Vnde D
legitur apud eundem Hippoc ad finem lib. 2. de nat. hominis, & lib. de iudicat. *Omnes acutos morbos febriles præſertim à bile ſuſcitari.* Idipſum clare ſignificare viſus eſt Hipp. 7. Aph. 42. *Si febris non ex bile nata ſit aqua copioſa calida, & affuſa ſolui febrem.* Et 2. Aph. 15. cū ſcribit *Si fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, excretiones conſiderare oportet; Quippe ſi bilioſæ fuerint, corpus vna ægrotat;* Quaſi a ſola bile flaua tubercula, & reliqui morbi oriantur. Quid quòd Gal. ipſe 2. de diff. febrium 2. videtur velle febres omnes cōtinuas ex hac ſola bile oriundas eſſe? Ita enim loquitur. *Continuarum autem, quæ ex flaua bile conſiſtunt duplex*

eſt

A *eſt genus, vnum quidem earum, quæ continentes vocantur, alterum verò earum quæ eodem nomine quo genus continuæ dicta multis particularibus circuitibus continentur.* Quæ ſententia licet ſimpliciter prolata erronea ſit vt diffuſiſſime tradit ibidem Gal. cap. 1. quando & cum bile, & ſine bile quoque alios humores putreſcere, & febrem accendere, cum alia, tum alui præcipue egeſtiones, & lotia, per quæ expurgantur, propallant, & Hipp. adductis locis bilis loco exempli mentionem faciens, reliquos humores tanquam breuiloquus ſubaudiendas eſſe ſignificauit, quemadmodum Gal. & Philothæus interpretantur; Et ad Galeni contradictionem tollendam multa multi ſcripſere, quorum opinio opportuniori loco examinabitur, nihilominus, ſi ſano modo intelligatur, non omni vndique caret veriſimilitudine, quoniam febres, quamuis a bile non omnes fiant,
B neceſſariò tamen habere videntur adiunctam bilem, quæ, vt colligitur ex eodem Hipp. 2. & 3. de morbis, veluti ſulphur exiſtit, quo reliqui humores accenduntur, ita vt rariſſimum ſit in humore melancholico, & pituitoſo ignem accendi, niſi aliqua bilis portio immiſceatur, per quam, non ſecus, ac per ſulphur ignea vis alijs humoribus communicetur. Ideo etiam linioſis hominibus ardentes febres facile ſuperueniunt, & quæcunque grauiſſima ſymptomata febres concomitari ſolita, vti phrenitis, dyſenteria, cardialgia, ſitis inextinguibilis, faucium ardor, vigiliæ, anxietas. Adde quod febres in picrocholis, etiamſi a principio, aut ephemeræ ſint, aut putridæ leuiores, facillime in hecticas transmigrant, præſertim ſi in viuendi norma committatur error. Vnde Gal. 8. meth. 8. *ex omnibus intemperiebus* dicit *opportuniſſimam ad febres eſſe calidam, & ſiccam; ſic niſi quis*
C *hanc cibet, ocyſſime in ea mutari diariam febrem in acutam;* & 10. eiuſdem oper. 5. *Calidis, ac ſiccis naturis aduerſiſſima res eſt inedia, ac febrium paratiſſima cauſa.* Hoc eodem in loco Gal. notat, quod ad rem noſtram facit, *minime fieri poſſe, vt corpus abunde ſiccum, calidumque cum febricitat, viribus ſit valentibus:* quare etiam præcipit tali temperatura donatos cibare, & cum incipit acceſſio, & cum inuaſura eſt. Accidit omnino bilioſis dum febricitant, quod de Æthiopibus affirmat Alexander 1. probl. 79. Quærens enim cur Aethiopes magna ex parte cum febricitant, intereant, & cum lippiuerint, exulcerentur, reſpondet: *Quoniam calidi ſunt nimium, & ſicci: Fit enim per febrem, vt omnis elementorum deſtruatur conſtantia, quandoquidem humor, qui eſt in his exiguus, abſumptus, at-*
D *que abditus, facit, vt tota elementorum conſtructio reſoluatur. Calorem enim deleri per alimenti inopiam neceſſe eſt, qui cum defuerit, frigus oriri nulli dubium eſt. Quin etiam ſiccitas humore interempto exuperat, quapropter mortua corpora ſicca, & frigida ſunt. Vnde Homerus cum ex elementis duo, quæ tenuiſſima, & leuiſſima ſunt, abire, & euaneſcere, duo reliqua manere corporibus mortuis noſſet, deprecatus in hunc modum eſt. Sed dij vos omnes faciant vndamque, ſolumque videlicet gelidos, & ſiccos. Exulcerantur per lippitudinem oculi, quoniam ſanguis bilem ex inflammatione excipiens, oculos præ nimia acritudine exedit, & lacerat.* Non me tamen latet ex Auerroe obijci poſſe contra ea, quæ paulo ante dicebam, etſi merito ſubſtantiæ

Ff tenuio-

tenuioris, & merito caloris, aptior eſt bilis vt incendatur alijs humoribus, ob A
ſiccitatem nihilominus, quam conuinctam habet, prohiberi, ne tam prompte
putredinem conciplat, vt pituita, quæ humida eſt natura. At Auerroem ſatis re-
fellit & experientia, & ratio. Nam bilioſæ febres frequentiores ſunt pituitoſis,
& bilis actu humida eſt id quod ad putredinem concipiendam eſt ſatis. Ne di-
cam quòd idem Auer. 2. colliget. 4. vult contra Gal. ex ſola combuſtione humo-
rum ſine putredine febrem fieri, & inter Medicos ſunt. qui cum Gal. ipſo a bile
flaua ſuperexcalfacta citra putredinem poſſe etiam febrem accendi contendunt,
quali febre laboraſſe videtur iuuenis ille a Gal. propoſitus 10. meth. 1. qui 25.
ætatis ſuæ annum agebat, calidus. & ſiccus, temperamento muſculoſus vt canis,
longo itinere defatigatus, cogitabundus, cura, & ſollicito mærore confectus,
qui in tertianam febrem inciderat, de quo ſic loquitur. *Quippe æger is, quem ante* B
deſcripſimus, exemplo omnibus eſt, qui propter ſiccitatem à principio cibo indigent,
etiamſi febricitare iam incipiant, nam accenditur in ijs febris propter mordentem acri-
moniam excalfacti, attenuatique ex ſole & inedia, & laboribus ſucci maximum eius
remedium eſt humidum nutrimentum; ſicut è diuerſo, vbi ob copiam, vel obſtructio-
nem, vel phlegmonem, vel vt ſemel dicam, humoris alicuius putredinem febris eſt
orta maximo malo eſt cibus. Ex quibus verbis patet febrem illam originem ha-
buiſſe ex ſupercalfacto, & attenuato ſucco, atque omnino citra putredinem,
alioqui maximo malo foret cibus. Alia pariter eſt Gal. auctoritas ex 1. Epid.
com. 2. tom. 20. vbi febres ardentes ex ſola inflammatione bilis, & vaſorum abſ-
que putredine concedere videtur. Super qua re videre poteris Valleſium in Con
trouer. lib. 5. cap. 19. & alios, qui data opera hac de re diſputant. Ego etenim ex C
illis ſum, qui putant non dari febrem humoralem citra putredinem, quia quan-
do bilis ab externo calore tenetur, ſemper priuſquam in cinerem vertatur, ne-
ceſſarium eſt, vt diſſoluatur, quæ diſſolutio nil aliud eſſe videtur, niſi putredo; &
quantum ad Gal. locum ex 10. meth. non ita accipiendus; vt velit eam febrem
ortam ex humoribus inflammatis, ſed potius illo in iuuene ob æſtuationem aeris
acres ſuccos infeſtaſſe os ventriculi abſque putredine, ſignificans non adfuiſſe
putredinem, nec obſtructionem ad ventriculi regionem, qui tamen haud negat,
quin putredo in aliqua alia parte fuerit, a qua febris oriretur. Quantum verò
etiam ad locum Epid. quàuis expreſſe non meminerit putredinis, eam tamen ne-
ceſſario ſubintellexit, & neceſſariò dixi, quia per initia illius commentarij refert D
Galenus ſeſe de tertiana exquiſite peregiſſe in lib. de differ. febr. & lib. de Criſib.
vt quæcunque ibi de febribus affert, omnia ſint iuxta dogmata citatorum libro-
rum, in quibus nunquam febrium humoralium meminit ſine putredine, quod
ſi ſynochus ex inflammato ſanguine aliquando fit, iam conſtat apud omnes
hanc inter diarias reponi. Præterea, mi Laurenti, nemo eſt, qui ignoret haud
vnas eſſe extinguendi caloris occaſiones: aliquando enim deſiccato corpore,
ætate marceſcit, quod iam demonſtratum eſt per quam facile in natura bilio-
ſis euenire, aliquando frigidis recrementis corrumpitur, aliquando multitudine

præfo-

A præfocatur, & vt hæc omnia, & ſingula poſſunt, ſi repente ingruant, morbum facere, imo & mortem, ſi vehementer: ita cum aut perpetuo afficiunt, aut quam frequenter, poſſunt remiſſo calore maturare ſenectam. Vnde illud corpus maxime longæuum ſtatuitur, quod optime eſt temperatum, quia quo temperamentum aliquod longius abeſt a cauſis inducentibus interitum, eo diutius victurum videtur: ſed interitus neceſſitatem inde argumentatur Philoſophus præadducto loco de long. vitæ, quod corpus contrarijs conſtet, & quod continuo excrementa congerat: Sed contraria, quo magis ſunt permixta eo lentius in ſe inuicem agunt. Huiuſmodi corpus, quod *eucraton* vocant, merito ab excrementis eſt expurgatiſſimum, vel quia is, cui talis donatur temperies, natura prudens eſſe ſolet, nec plus quàm oporteat, ingerit alimenti, vel ſi B ita prudens non eſt, profecto huiuſmodi natura omnino tantum appetit, quantum concoquere valet. Quamobrem corpora hæc temperata, qualia ſunt moderate calida, & moderate humida vitam diutiſſime producunt, & fœliciſſime. At quæ excedunt, contrarium expectent. Quælibet enim intemperies actum deijcit propriæ virtutis, & non paucos quotidie videmus natura valde calidos, & ſiccos, in quibus cruda multa colliguntur, præter bilioſa excrementa, quæ in illis abundant. Illa coaceruant non tam peccatis vitæ, vt ait Hollerius, quàm vitio temperaturę, quia ſcilicet in ijs ventriculus imbecillis ineſt, aut iecoris feruidioris vicinia; aut propter bilis ad eum regurgitationem: ideo enim os frequentiſſime amareſcit, aut propter omenti, & circumſitarum partium, quæ calore ſuo ventriculum mirifice fouent, magnam extenuationem. Hinc fit, vt C bilioſi febribus etiam è cruditate opportuniſſimi ſint, mucoſis ſcateant excrementis in ventre, ſæpe etiam doloribus ad inteſtina torqueantur a flatibus, & ſi ſcribit Hippoc. 5. Aph. 72. ἰκτεροειδέες, & qui flaua bile abundant, per quos non qui auriginoſi, & ictęrici dicuntur, de quorundam ſententia intelligendi ſunt, ſed illi prorſus, de quibus ſermo in præſenti, non admodum flatuoſos eſſe. Iuxta quam doctrinam Hippoc. ipſe in Coac. Prænot. lib. 3. ſect. 3. Aph. 149. ita ſcriptum reliquit: *Bilioſis conturbata aluus, pauca frequenter reddens, & cum dolore paucis mucoſis exeuntibus, dolorem circa tenue inteſtinum gignunt; vrinaque non ſatis libere prodiens in hydropem ex ijs malum deſinit.* Quid quòd aliqui ſunt è morbis, quorum cauſa manifeſta ſunt humores omnino frigidi, præſertim verò pituitoſi in naturis pituitoſis, qui ſine bilis miſcella vix generantur? Exeant in D apertum podagrici dolores, hi ſane raro fiunt, quin bilis alios deuehat humores ad partes tam longinquas, quod ex rubore, calore, & dolore partis clariſſime patet, ſaltem ab initio, poſt quod tempus mox euaneſcunt bilis ſymptomata. Audiſtine, aut vidiſti vnquam huiuſmodi calidos, & ſiccos homines, habitu graciliſſimos repentina morte è vita eripi? ego certè & audiui ſæpe, & vidi interdum cũ admiratione ad eos viſitandos accerſitus, è quorum capite nulla exibant, aut per os, aut per nares excrementa, vt exire ſolent in ijs, qui apoplexijs enecantur. Vnde exiſtimo interitus ſuborti cauſam in illis referẽdam omnino eſſe in bilem ipſam cordi approximantẽ, & ſyncopen reuera cardiacam inducentẽ, veluti dũ

ori ſuperno ventriculi inſidet,ſyncopen gignit ſtomachicam appellatam,qua- A
lis ſæpe cernitur in æſtiuis febribus,iuuenilia corpora diuexantibus.Quod a bile circa cor conſiſtente ſyncope oriatur, elicitur ex Hipp.2. de morb. vbi de cerebri corruptione verba habet,ratioque eſt,quia bilis ſuo calore immodico natiuũ extinguit,& Theophraſtus in lib. de animi defectu, omnes lipothymiæ,& ſyncopes cauſas ad calorem, & frigus reducit, nec temerè, cum definiat ſyncopen eſſe caloris priuationem, & calor ipſe extinguatur tum frigore, tum calore immoderato. Dices eundem Hipp.4.de morb. ſcribere nullum oboriri in corde morbum,dum ait. *Cor ita ſolidum, & denſum eſt, vt ab humore non ægrotet, propterea nullus morbus in corde oboritur.* A quo forſitan deſumpſit Ariſt.3.de part.animal.4. *Cor nullum grauem pati affectum, vt reliqua viſcera, quia eſt vitæ principium*, imo tradit rem nobis contrariam, nempe *bilem cordi minime approximari.* B
Sed reſponſio fit cor propter ſuam dignitatem, ac excellentiam diu vitijs non macerari,nec vitæ ſupplicia trahere grauiora, quia læſum ſemel mortem adfert præſentaneam; & hoc ſenſu intelligendi ſunt Hipp.& Ariſtot. Si quis addiderit Beniuenium ſcribere ſe in corde abſceſſus multos vidiſſe, licet Gal. 1. de locis aff. 5. dicat *impoſſibile eſſe vt cor abſceſſum patiatur*; Et Hollerium cap.de ardore vrinæ tradere mulieri cuidam duos calculos in cordis ſinibus cum abſceſſibus multis fuiſſe obſeruatos; vnde & Riolanus in quibuſdam mortuis e palpitatione cũ animæ deliquio, ac diſſectis inuenit capſulam cordis plenam ſero putri, qui etiam in dextro ſinu cordis abſceſſum obſeruauit;& Fernelius vidit vlcus in ſuperficie cordis, quod ægrum paulatim ad tabem perduxerat. Reſpondeatur non negari, quin cor omnes affectus pati poſſit,ſed negari quod diu, & longo C
tempore,quia, vt ait Paulus, *cordis affectus immaturam mortem præcipitare ſolent*; aut dicatur quòd rara non ſunt artis, & parum id obſeruandum eſt,quod admodum raro contingit,vt notat Ariſt. lib. 3. Hiſt.animal. cap. 15. Dum verò Gal. ſcribit cor abſceſſus minime pati, quis non videt eum de abſceſſu intelligere, qui fit ex phlegmones permutatione, quia prius interit animal, quàm inflammatio ad ſuppurationem peruenerit. Abſceſſus autem in corde reperti pituitoſi erant. Quot iuuenes in media, ac florente ætate conſtitutos è medio bilis tollit? Nam ſi in caput repit, præter phrænitidem, quam frequenter excitat, diſtillationem, ex materiæ pituitoſæ in cerebro ſtabulantis colliquatione, ad varias partes concitat, & ad pectus non rarò; in quo exulcerationes progignit, D
ex eiuſdem bilis miſcella diſtillatione ipſa ferina multo ante reddita, ex quo ſputa ſanguinis, & tabes ex phthoe; præterquam quòd etiam ambo ſymptomata illis contingere aliquando obſeruantur abſque vllo capitis vitio, vllaue diſtillatione,ex ſolo ſanguine birioſo acerrimo ad pulmones tranſmiſſo,eorumque venas corrodente. Ideo namque ſcripſit Hipp. *A decimo octauo anno vſque ad 35. maxime fiunt tabes.* Præter hæc omnia,alia quædam ſunt quorum cauſa in bilioſis tam naturalis,quam violenta mors acceleratur,inter quæ numeratur ſenſus exquiſitus,ſeu natura quædam valde ſenſilis, cuius gratia a qualibet interna, & externa cauſa facillime eorum partes omnes alterantur. Nec vrgeas ex actiſ-

ſimum

A ſimum ſenſum quamcumque cauſam habeat, temperatiſſimam prodere naturã, qualis a tantopere calidis, & ſiccis longe abeſt, quia rationi conſonum eſt, illas potius dici debere partes temperatas, quæ ſicuti in medio primarũ qualitatum quodammodo conſiſtunt,ita & ab exactiſſimi,atque obtuſiſſimi ſenſus confinio diſtant,ac medium quendam locum obtinent.Quis quæſo dixerit,os ventriculi, quod ob neruoſam,qua cõſtat,ſubſtantiam,ſenſu admodum excellit,aliјs propterea partibus temperatius eſſe? Exactiſſimè verò ſentiunt bilioſi, quia valde ſicci, nec ab humido ſentiendi vim obtundente, ac quendam velut torporem progignente impediuntur, quominus rem quampiam exquiſitiſſimè ſentiant. Sentire autem non eſt quidquam operare, ſed quemadmodum Ariſtot. ſtatuit 2.de Ani.5.affici potius, ac pati aliquid. Vbi hæc quoque profert: *Senſus autem*

B *per motum quendam, atque paſſionem contingit, vt diximus; nam alteratio quædam eſſe videtur*; licet non deſint ex Ariſtotelicis,qui aſſeuerent paſſionem illam in ſentiendo collocandam eſſe in numero earum paſſionum, quæ vulgo dicuntur perfectiuæ. Quinimò Gal.7.de Plac. ita loquitur: *Non igitur alteratio eſt ſenſus, vt quidam putant,ſed alterationis dignotio;* de qua quidem re alibi; ſat eſt mihi in præſenti etiam per Galenum quamlibet partem noſtri corporis, quò ſentiendi acumine magis pollet, eo citius, & facilius laborare, ac vitiari, vt ad hoc reſpiciens Auerr.loco citato de Anima ſcripſerit; *Senſus in animalibus eſt breuioris vitæ cauſa*. Exemplo inter cæteras oculi ſint,qui cum acerrimum habeant ſenſum, vt nos Gal. docet 13.meth. cap. vlt. idcirco leuiſſima ex cauſa deprauantur, & remedia illis admouenda quàm tutiſſima eſſe debent. exquiſitis enim membri

C ſenſus læue eſſe quod iniјciendum,nihilque debere in ſe aſperum,ſabuloſumuè habere,omninò indicat. Audi eundem Galenum,qui 6.epid.com.1.ſic loquitur. *Cum autem magnitudine æqualia fuerint pathemata, partes quæ natura ſenſu magis participant ſentiunt magis;quæ verò magis ſentiunt,cauſæ doloriſicæ his moleſtæ magis.* Noui ego picrocholos,qui tempore æſtiuo inediam vel tantillum extra conſuetudinem tolerantes in animi deliquium incidere ſoliti ſunt ex bilis affluxu ad os ventriculi ſupernum,cui ſentiendi vis ineſt exactiſſima in omnibus,ſed valde magis in natura ſiccioribus, vt notùm eſt. Ideo iuuenis ille apud Cardanum 2. de ſubtil.natione Scotus, pilo rubeo, habitu bilioſus, Clem.VII.Pont.Max. vndecim diebus ſine cibo in cuſtodia detentus, & aliquando in eadem abſtinentia vſque ad vigeſimam, & vſque ad trigeſimam diem perſeuerans miraculi præ-

D mium ſumpſit; id quod aſſeri de illa fœmina non poteſt, quam ſine cibo dies etiam triginta in Germania vixiſſe tradit Albertus Magnus 7. de Anim. tract.3. capitulo tertio; Frigidæ enim erat temperiei, & copioſis frigidis humoribus, qui tempore inediæ in ſanguinem haud difficulter abeunt, corpus eius ſcatebat. Bilioſi natura cum hoc, quòd ſenſus acumine pollent, mentis quoque acie excellunt, quia, vt dicebat Heraclitus; *Spiritus ſiccus, anima ingenioſiſſima*. Ex qua re fit, vt animi curis magnopere angantur, & in illis locum habeat quod legitur 17.Prouerb. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa*. Hi procul, & longe ab Aulis, quia valde citius, quàm pro natura e vita diſcederent. In

illis enim non aliter viuitur, quàm iniurias ferendo, & gratias agendo Iracundi, A
& ad iram proni eſſe in primis conſueuerunt billioſi, vt hodie paſſim per chole-
ricos, non qui bilioſi ſunt natura, ſed qui leuiſſima de cauſa excandeſcunt, iraque
percelluntur, intelligamus, adeo proprium eſt iraſci picrocholis. At *iracundia*,
inquit Gal. 6. de tuen. ſanit. 1. *cum biliosas naturas maxime accendat, acutas febres
parit*. Vnde aliqui in affectibus frigidioribus ægros ad iram concitant, vt inde
orta febris ſit illis pro remedio, iuxta Gal. doctrinã 6. epid. ad finem in illa ſen-
tentia: *Pro quibus quinam morbi*. & alterius, quæ non valde ſupra legitur. *Animæ
eſt ambulatio, cura, & meditatio hominibus*. Vbi ſic loquitur Gal. *Sed quoniam &
affectus quidam ſunt, alij ſcilicet animæ tum rationem, tum memoriam obſtupefacien-
tes, alij caroſi, & cataphorici, his ſanè curas, & cogitationes commodas eſſe eſt exiſti-
mandum, vt alibi docuit vtiles eſſe ad euchymoſim, & naturalis habitus reuocationẽ*. B
Addo: In natura bilioſis propter frequentem iracundiam ad caput ſæpiſſime re-
trahi calidum, & humidum corporis, vt aſſerit Hipp. lib. citato. Com. 5. Ex quo
non ſolum capitis dolores peracutos pati ſolent, ſed etiam deliria cum febre.
Bilis enim ſubſtantiæ tenuitate facile transfluit, caloris vehementia ſurſum ra-
pitur, & qualitatis acrimonia partes, in quibus ineſt, ad expulſionem irritat, do-
nec partem aliquam principem tanquam arcem obſeſſerit. Gal. 12. meth. 5. *Tri-
ſtitia*, inquit, *& anxietas, & ira, & cura, eo genere ſunt noxia, quo frequentes vigi-
liæ, quoniam vires reſoluunt*. Cuncta animi pathemata quantum nos afficiant, im-
mutent, ac a naturali ſtatu auertant, luce meridiana clarius; ſed bilioſos, vtpote
ſentiendi acumine præſtantes, vix credi poteſt. Denique aſſerere poſſumus bi-
lioſos omnes ad interitum, vel naturalem, vel accidentalem peruenire, propter C
nimiam eorum ſalacitatem, & frequentiorem cõcubitum, cauſa ſeminis calidio-
ris, & acrioris potius, quàm copioſi, quod in calidis tantum, & humidis, ac natu-
ra ſanguineis reperitur, quibus ideo tantum modo innoxia venus eſt. Semen ta-
men ſæpius emiſſum adhuc amplius exiccat. Quapropter *ſalacia*, inquit Ariſt.
de longitudine & breuit. vitæ loco præadducto, *ſeneſcunt cito, & mulus eſt longio-
ris vitæ equo, & aſino, ex quibus genitus eſt, & fœmina maribus, ſi ſalaces ſint mares,
& propter hoc paſſares maſculi breuioris vitæ fœminis*. Veneris ſiquidem vſus om-
nibus, qui ſicco temperamento ſunt, inimicus eſt, licet adhuc infenſior ijs, qui
ſupra ſiccitatem frigidi quoque ſunt Auct. Gal. 6. de ſanit. tuenda. 4. Si quis au-
tem obijciat quod legitur apud Auic. cant. port. 1. tract. 1. cap. de ſenum regim.
Et ſi euacuatur nequaquam cholera educatur, ſed potius dimittatur, cum ſit in eorum D
corporibus medicina. Quod ante eum de ijs, qui hydrope laborant, præceperat
Hipp. reſpondeatur, neque a me negari vtilitates illas, quæ a bile naturali, & na-
turæ limites minime excedente in quouis animali afferri ſolitæ ſunt, præſertim
vero in ſenibus, & hydropicis, in quibus talis humor conſeruandus, non immi-
nuendus tanquam calidus, & qui frigidis illorum humoribus omnino cõtraria-
tur, ſed de bilioſis illis ſermonem hunc intelligi, qui bile tum flaua, tum pallida,
ex vitioſa temperie nimis abundant. Ecce quæ me adduxerunt, vt bilioſos ho-
mines minime longæuos ſuapte natura eſſe tam libere, tamque conſtanter affir-
marem.

A marem. Tu modo pro ingenij tui acuminæ cuncta ad trutinam deducito, dũ in-
terim ego pauca quædam adiungo ad vtilitatem eorum, quis huiuſmodi naturã
vitioſam ſi non vndequaque euitare, vt ſyntrophan, & connutritam ſaltem ali-
qua ratione corrigere, & emendare velint, cum præcipue ſcribat Gal. ca. 3. eiuſ-
dem lib. *Quidam vero eorum* (& loquitur de bilioſis) *incredibile eſt quam etiam*
obeſi redditi ſunt ex tali victus ratione. At quænam eſſe debet hæc victus ratio?
Qualem Hipp. 1. de diæta, & ibidem Gal. deſcribit. & 8. meth. 3. nec non 6. epid.
com. 4 vbi vel Hipp. vel Theſſalus eius filius ita ſcribit *In calida natura refrige-*
ratio, aquæ potio, quies. Curatio itaque tota, ſi tamen curatio dicenda eſt, analepti-
ca ſit, in qua ego nonnulla tantum velut per ſumma capita attingam. reliqua vi-
derint alij. Calidiorem, & ſicciorem aerem, cuiuſmodi æſtiuus eſſe ſolet, & in
B regionibus conſimilis temperaturæ omnino vitent, nec pigeat, eos de vno ad
alium migrare locum, vt conueniens adinueniatur. Longè arceantur vigiliæ, &
curæ, & mæſtitiæ, & iræ, & alimenti pænuria, & redundantia bilioſorum eſculen-
torum, cuiuſmodi ſunt acria quæuis, ſalſa, & piperata, quæ omnia bilioſius red-
dunt corpus, ſed humidioribus, & frigidioribus cibarijs vtantur, ex illis maximè
quæ in æſtate habentur, quo tempore potiſsimum humectante, ac refrigerante
victu ſuſtentandi ſunt. Exercitationibus præterquam tardis, & ſoli inambula-
tionibus minime vtantur, quia violentæ corpus humectant potius, & implent,
ſic acutæ, & præ uegetæ extenuant. A venere quam maxime abſtineant. Balneũ
aquarum potabilium ſæpe in anno, & æſtate præſertim ingrediãtur, dummodo
eorum iecur omni dolore, grauitate, ac tenſione careant. Somno indulgeant, ac
C quieti tam animi, quã corporis, ſi tamen id illis permittitur. *Tabbus*, inquit Hip.
1. de diæta, *actiones obire, ac tranſigere a cibo aut potu magis quam ieiunis confert.* Vbi
etiam laudat diætam ad aquam vergentem, hoc eſt ad frigidum, & humidum,
piſces potius quam carnes; potum aquoſiorem, vẽtrem rariorem, & moderatos
labores, & aquam magis, quam vinum, quod tamen, ſi concedendum ſit, molle,
album, & aquæ proximum eſſe vult. An obſecro ex 6. epid. allato omne vinum
denegandum? Non equidem mea ſententia; quæ videtur etiam fuiſſe Gal. qui
eiuſmodi naturis vinum concedebat, ſed quod tum aſpectu tum viribus a quo
ſum ſit, eo quod ad omnia vtilius quam aqua eſt vtpote quod, & cõcoctionem
iuuet, & vrinas, ac ſudores prouocet. Concedebat autem Galen. etiam dum
febribus detinebantur diarijs, & citat Hippocrat. qui non in diarijs modo fe-
D. bribus, verum etiam in acutis vinum dabat, vt patet libr. 6. meth. 3. Quan-
to magis ergo in ſanitate? Locum vero epid. ſic interpretatur, vt ſuadere
voluerit eiuſmodi naturis copioſius vtendum eſſe aqua, quam vino. Anti-
quum vinum inimicum his eſt, album verò ac tenue idoneum vt affirmat idem
Galenus de ſanit. tuen. 3. Vnus tandem in potu aquæ exhibendæ ſcrupulus
eſt, & hic quidem non contemnendus in re præſenti: An in bilioſis naturis
conueniat aquæ potio, vt præcipit Hippocrat. & laudat Gal. quibus ratio a rei
natura deſumpta fauere videtur, quoniam aqua frigida eſt, & humida, bilis verò
calida, & ſicca. Præterea videre eſt apud omnes Medicos in ſiti a bile producta
præſtan-

præſtantiſſimum remedium eſſe aquam frigidam. Attamen ex aduerſo Hipp. 3.
de vict. rat. 31. & 3. de fracturis. 26. & Gal. comm. 40. teſt. de rat. vict. affirmant
aquam in bilioſis naturis conuerti in bilem, ex quo alij quoque deducunt, ergo
in ſanguinem, & alimentum, vnde aqua alere, & nutrire poterit, quod paſſim
omnes cum Medici, tum Philoſophi denegant. Quamobrem ſi in bilem dege-
nerat aqua, in bilioſis bilem magis adaugebit; quibus propterea interdicenda
penitus erit, vt dum promptè concedenda inſtar auxilij. Clariſſimus Mercuria-
lis in ſua praxi cap. de ſiti immoderata duplex ad hoc quæſitum adfert reſpon-
ſum, nimirum vel bilem affixam eſse ventriculo, vel in ipſo natare, ſi natans ſit,
dicit conuenire aquæ frigidæ potum, ſi vero ſit infixa minimæ, quia aqua frigi-
da magis infigit, & congelat bilem in ventriculo; aut aquam frigidam in pauca
quantitate non conuenire, quoniam retinetur, in multa quantitate cōuenire B
quia euacuatur, ſecumque bilem ducit. Ad Hipp. verò reſpondet ipſum eo in
loco verba facere de aqua, non vt de medicamento, ſed vt de potu quotidiano,
quoniam aqua vt medicamentum ſumitur in magna copia, & tūc facit id, quod
dixit, aqua verò in potu quotidiano, cum capiatur exigua quātitatè nocet. Per-
belle ſatis, & ingenioſe reſpondet Mercurialis prout ſcilicet ad rem ſuā ſpectat,
dico ad ſitim à bilioſis humoribus in ventriculo ſubortam, ſed quia nos de aquę
potu loquimur quotidiano, & in cibis, & in ijs, qui bilioſi vndique natura ſunt,
Mercurialis reſponſiones, & extrema præſertim, dubitationem noſtram augere
potius, quam dirimere videtur, quia ſi per quotidianum aquæ potum bilioſorū
humorum prouentus accumulatur, fruſtra, ac temere aquam laudant in natura
bilioſis Hipp. atq; Gal. Dicerē ergo ipſe aquā etiam in modica quantitate ſum- C
ptā magnopere conuenire, & prodeſſe bilioſis corporibus, dū viſcera in p̄timis;
ad quæ pertinet bilioſorum humorum generatio, quæ quidem in illis ſupra mo
dum calfacta, & exiccata ſunt, refrigerat, & humectat quam ſtrenue, præſertim
ſi actu etiam frigida potetur temporibus ſaltem calidioribus: qui enim iuſto ca
lidiores ſunt ijs victus rationis ſummam reduci ad refrigerationē cōfert, ideoq;
frigidiores temperamento cibos dare ipſis oportet, pręcipiendumque vt bibant
aquoſum, vel ipſam aquam. Sic enim expreſſe iubet Gal. 6. epid. com. 4. Quan-
tum vero ſpectat ad loca illa, in quibus affirmare videntur aquam in bilem ver-
ti, ſano modo intelligi debent, quia nimirum Hipp. ſcribit aquam bilioſis ama-
reſcere, ac bilioſam fieri, hoc eſt, aquam bilis amarore, & alijs qualitatibus infi-
ci, in ijs præcipue, quibus circa ventrem bilis ſtabulatur. Id autem aquæ, velut D
rebus omnibus inſipidis facillime contingit, vt quoſcunque admittat ſapores,
cum nullus ei ſapor in ſit, quo extraneus ablegetur; aut etiam dicatur ideo aquā
videri bileſcere, quia bilem, cui immiſcetur diffundit, in cauſaque eſt, vt multis
communicetur partibus, vnde aucta bilis apparet, quæ acceſſu aquæ diffuſa tan
tummodo eſt. Nonne ſi quis aquæ crocum, aut fel adijciat, mox illa ſingulorū
induens qualitates crocea, & fellea dicetur, etiamſi in croci, aut fellis ſubſtantiā
vere mutata non ſit? Ex accidenti etiam aliquando non negauerim aquam bi-
lioſi humoris prouentus cauſam eſſe poſſe, partium meatibus obſtructis, adſtri-

A ctiſque, & perſpiratu coercita, vnde calor magis accenſus ſanguinem adurens copioſiorem bilem progignit. Hæc habui quę pro mea parte dicerem, mi Laurenti, neſcio an ad tuum palatum. Sed non latent cauſæ variæ, quæ me ab omni ſcribendi, ac differendi genere auertendi vim habent, licet qualemcunq; aduerſæ fortunæ impetum natura mea, quæ tot eius ictibus iam occaluit, & Deo confidit, fortiter ſuſtinere, & nihili facere didicerit. Vbi tamen mens magis libera, & tranquilla erit, cum tibi, tum alijs magis accepta excogitabit. Vale. Dat. Romæ die 12. Aprilis 1018.

QVAESITA PRIMARIA TRIA IN FEBRE TERTIANA exquiſita.

B

I.

An in febribus bilioſis exquiſitis humorum preparatio ante purgationem molienda ſit.

II.

An mellita, & ſaccharata in tali prepatione conueniant.

III.

An in tertiana exquiſita intermittente competat vena ſectio.

Secundaria nouem.

I.

C *Cur preparatio ante purgationem ſit neceſſaria.*

II.

An ſymptomatica excretiones ſemper malæ.

III.

Cur bilioſorum humorum ad contrarias qualitates alteratio, concoctio dici poſſit.

IV.

An Auicennæ opinio de tenuium humorum, antequam purgentur, incraſſatione ſit reprobanda.

V.

An aquæ cichoraceæ ſtillatitiæ in febribus conueniant.

D VI.

Cur ſanguis in febrium putridarum curatione mittatur.

VII.

An aquæ per tubos plumbeos ducta ſint pernicioſæ.

VIII.

Cur ex miſſione ſanguinis timenda aliquando ſit cholericorum ebullitio.

IX.

Cur Galenus ſubiiceat miſſionem ſanguinis in tertiana exquiſita intermittente, & in quotidiana, cum proponat in tertiana notha, & quartana, & cur omittat in eryſipelate, cum ab alijs Græcis, & ab Auicenna etiam celebretur.

Ad

 A

Ad Io. Iacobum B. Medicum Romanum.

QVod ad me audiendum, cũ publice doceo, frequenter accedas, Iaco
be dilectiſſime gratias habeo, ſed multo magis, quod paſſim de
me, & cunctis rebus meis tam honorifice cum omnibus, & pręſer
tim cum Viro Principe loquaris a quo valde tuũ ęſtimari iudiciũ
ſcio, quod & ego magni ſemper feci; Vnde cum neſcio quibus de
cauſis præpeditus lectionibus poſtremis, quibus de natura, & curatione febriũ
bilioſarum ſermo habebatur, intereſſe minime potueris, nõnulla, de quibus me
aliquando interrogaſti, pro virium mearum tenuitate enucleata, nunc tibi per
epiſtolam mittere decreui. Qua in re non parum lucri mihi feciſſe videbor, ſi B
Quæſita pulchra quidem, ac ſcitu perutilia ſed a me rudiori Minerua perſoluta
tibi aliqua ex parte placuerint; Iam ergo conuenit inter omnes rei medicæ pro-
feſſores, humorum purgationem, quam in febribus præſertim putridis abigen-
dis tam ſæpe molimur, dico per medicamenta peccantem materiam per aluum
educentia, relictis nunc ijs, quibus per alia etiam loca vitiatos humores pro va-
ria eorum propenſione, iuxta Gal. doctrinam 11. meth. cap. 8. expurgare ſole-
mus, neque cum ægrotantis euphoria, ſeu tollerantia, neque cum vrilitate ſuc-
cedere, niſi præuia trahendorum humorum pręparatione, iuxta nimirum natu-
ræ corpus noſtrum gubernantis ordinem, de quo loquens Gal. cum alibi, tum
4. Aphor. 22. dicebat, *naturam primo concoquere, deinde ſegregare, & tandem expel
lere.* Quo dubio procul pertinet diuini ſenis Aphoriſmus ille 22. ſect. 1. *Concocta* C
medicari, & cruda non mouere; & alter nempe 10. ſect. 2. *Corpora cum quis purga-
re voluerit fluida prius faciat, oportet.* Narura enim, quidquid coquitur, ſibi ſimile
reddere ſtudet, quod ſi propter materiæ commutandæ ineptitudinem conſequi
non valet, & humor ipſe eam, quam potuit meliorem, concoctionem conſequu-
tus eſt, tunc denique natura, veluti deſiſtens a commutatione, ad expulſionem
conuertitur. Et hæc eſt cauſa, proprer quam ante humoris concoctionem, nun-
quam medicus habet naturam euacuantibus adminiculantem, quoniã, ſcilicet,
eo tempore alio intenta eſt, vr explicat Gal. in comment. præcitati Aphoriſmi.
Addatur quod purgatio cum ſit quidam motus, tria ſane veluti motus requirit,
hoc eſt, vt mouens ſit efficax, vt mobile ſit diſpoſitum, & viæ latę ſint, ac paratę.
Primum enim in purgatione molienda, vt recte procedat; neceſſariũ eſt, vt prę- D
parati, ac bene diſpoſiti ſint humores; poſtea vt vię anguſtę, & obſtructæ, per
quas tranſire illi debent, reſeratæ ſint, & apertæ: demum vt efficax, & accom-
modatum medicamentum præſcribatur. Hinc ergo factum, vt nunquam medi-
ci ad purgationem materiæ noxiæ, quæ præcipue in penitioribus corporis lati-
bulis reſidet, deueniant, niſi præmiſſa eiuſdem materiæ per alterantia vocata
præparatione, quæ aut humores ipſos reſpicit, aut alia coniuncta, quæ impedi-
mento ſunt, quo minus facile humorum expurgatio contingat. Propterea dũ
examinaretur a me curatio febris tertianæ exquiſitæ interpolatæ, vbi poſt leni-

A tentia, quæ a principio ſemper conuenire multis de cauſis probaui, præter quã ſi aluus ſponte,& ex ſe fluida foret, aut patiens diebus anteactis inedia, vel victu tenuiſſimo vſus eſſet,alterantia cum ratione imperari demonſtratum eſt; in exa men quoque deductum fuit,an pro bilioſorum humorum purgatione præmittenda ſint a medico alterantia ipſa, & concoquentia; nec eſt cur aliquis miretur rem hanc in dubium vocari in curatione febris bilioſę intermittentis maxime, quoniam ſi ex vna parte multæ ſunt rationes,& auctoritates,quibus oſtenditur, prępationis neceſſitas,nedum vtilitas;non deſunt ex alia argumenta ac teſtimonia per quę talium humorum prępparationem ſupernacaneam . & inanem eſſe probari poſſe videtur. Vnde quicunque neque vtile,neque neceſſarium eſſe contendunt tenues prępa:are humores, nituntur hac potiſſimum ratione,quia tales humores ſuapte natura diſpoſiti ſunt, & parati ad exitum, ita vt ſępiſſime B videamus eos abſque medicamentis ſponte exire, cui rationi accedit Gal. teſtimonium lib. Quos,& quãdo a principio, 1. de humoribus tex.2.& 3.Prognoſt. 23.quibus in locis clariſſime tradit tenues, ac ſeroſos humores ſuapte natura paratiſſimos eſſe ad expulſionem, innuens manifeſte eos, ad hoc vt expellãtur, nullà aliunde ope indigere. Ea propter & Oribãſius *cap. quos,& quãndo purgare oportet*,citat hanc Gal.ſententiam *Tenues,& ſeroſos humores a principio vacua, in craſſis vero concoctionem expecta.* Idem & Rhaſim memorię prodidiſſe conſtat. Et Auer. 3.collec. 17. *Verum enim vero*, inquit, *facilius ſucci tenues expurgantur craſſis; vnde non nullis ſcriptum eſt Medicis ſe nuſquam medicamentum purgans exhibuiſſe,quin flaua bilis prius euacuaretur.* Contrarium tamen qui tuentur, oſtendere nituntur, quod quemadmodum craſſi humores lẽti, & viſcidi prius quam C vacuentur,prępparatione opus habent,qua attenuentur,incidantur,ac detergantur,ita contra tenues,& ſubtilis præparandos eſſe,vt incraſſeſcant, proferuntq; in primis hanc rationem,humores non poſſe vacuari niſi ſint concocti, ſed coctio incraſſat, ergo. Quod vero coctio incraſſet tam notum quam notiſſimum; Si quidem omnia,quę a calido patiuntur,euaporante nimirum humido,aliqualiter craſſeſcunt,ex Ariſt.4.metheor.2. Et ex Galen.4. de rat. vict.4.illis verbis. *Deiectiones liquidas vocat Hipp. nullo modo concoctas: Coctio enim omnia cogit,& incraſſat.* Pręterea dicunt hi,quod coctio nihil aliud eſt, niſi adæquatio quędam, ſeu deductio ad mediocritatem,vt affirmat Gal.6.epidem.Quare ſi humores ſũt concoquendi ergo oportet, vt nimis tenues ad mediocrem quandam naturam D reducãtur;quod fieri nulla ratione poteſt,niſi aliqua ex parte incraſſentur.Quidam è Neotericis primę notę videntur tanti facere priorem ſententiam,vt velint humores tenues adeo promptos ex ſui natura ad exitum eſſe, vt nullam faciant medicamento reſiſtentiam,ſed quam facillime cedant, aliqua tamen indigere prępparatione interdum, eo quod non tam facile medicamento ipſi obediãt duas ob cauſas,aut quia venę,& vię clauſę ſunt, & obſtructę, aut quia ſunt coniuncti rebus impedientibus, & ſanguini, ideoq; afferunt,ſi aliquando prępparandi ſunt, huiuſcemodi prępparationem intelligendam eſſe in gratiam potius aliorum, nimirum, vel vt aperiantur vię,vel vt illi ſeparentur ab alijs humoribus,

quibus cum ſint coniuncti ab attrahente medicamento non adeo prompte educi poſſunt. Mea tamen ſententia eſt, tenues, ac bilioſos humores, antequam cholagogo purgari tententur, præparatione indigere, & ea quidem non ſolum propter allata impedimenta, ſed etiam ex propria ipſorum natura, vt iam iam conſtabit. Verum tamen, ſi ita facile mouentur, vt ad id reſpicientes Hipp. & Gal. 4. Aphor. 10. ſcripſerint, *in valde acutis morbis, ſi materia turget, medicamento purgante eadem die vtendum*, quorſum mora hæc in talium humorum præparatione? Cur obſecro in tertiana ſaltem continua exquiſita nō illico, & ab initio, nulla expectata concoctione, medicamentum exhibetur? Quoniam licet humores hi valde facilius trahenti medicamento obediant, ac cedant, quam qui pre craſſitie, & lentore vijs hærent, vt pituitoſi, ac melancholici; vnde etiam a principio tanquam paratiores ad exitum a propinato medicamento non ita cūctanter extrahi poſſunt, & ex quo viſum eſt non nullis, vt Valleriolæ lib. 2. obſeruationum medicinalium obſeruat. 2. ex varijs Gal. locis, ad bilis euacuationem nullis præparantibus ſyrupis opus eſſe, cum ipſa abunde iam ad excretionem tenuitate ſua prona ſit, attamen, vt humores nimis tum tenues, tum feruidi huc, atq; illuc concitantur, & errando mouentur, & ideo medicamenti vim ſubterfugiunt. At hic dicet aliquis male ergo imperant. Hipp. & Gal. a morbi principio bilioſorū purgationem, quia tum maxime turgent, ac feruent: neque enim eos adeo vehementer concitatos, & inquietos medicamentum educet. Præterea inſtabit alterum nos videri concedere bilioſos humores, perpetuo in morbis a bile ſurgere, Attamen reſpondeatur, quod hi humores quantumuis inquieti, ac turgētes aliqua ex parte minorantur, & a conueniente medicamento attrahuntur, quod ſat eſt, vt præſeruentur ægri a grauioribus, quæ imminent, ſymptomatis ex tam acrium, ac fouentium humorum in principem aliquam partem affluxu, atq; decubitu, & hoc eſt, quod volunt Hipp. & Gal. Ex qua euacuatione ante debitum tempus ob neceſſitatem facta illud emolumenti enaſci videtur, quod ex ſymptomaticis vacuationibus ab irritata natura tentatis a morbi principio, ante coctionis ſigna, quæ quidem non ſemper inutiles, imo ſæpiſsime ſalutares eſſe obſeruantur, quatenus earum ope, ſi non ex toto peccans materia euacuatur, ſaltem eius quam pauciſsimum ſupereſt. Vnde non obſcure natura leuata aduerſus reſiduum fęliciſsime pugnat. Neque enim verum, quod aliqui putaſſe videtur, ſymptomaticas excretiones ſemper, & perpetuo noxias eſſe, vt ex varijs epidemiorum hiſtorijs colligi poteſt, præter bubones, carbunculos, parotidas, & exanthemata febrium peſtilentum, & malignarum, ſed multo magis alui concitatas excretiones, per quas vel a primis diebus vniuerſo humore peccante educto patientes liberari non raro videmus, vt etiam notat Ludouicus Mercat. conſult. 16. quod ſi videatur alicui Gal. contrarium ſtatuiſſe 1. Aph. 20. vbi ſymptomaticas excretiones non ſolum damnat, ſed impediendas eſſe præcipit, ſciendum eſt, verum Gal. ſenſum hac in re eſſe, vt tunc huiuſmodi vacuationes tanquam malæ cohibeantur, cum valde obſunt virtuti; ideoq; idemmet Gal. 2. in 6. epid. com. 9. tradit *eas ſupprimendas eſſe euacuationes quæ immodicæ ſunt*. Quæ

Gal.

A Gal. determinatio abſque dubio ad ſymptomaticas quoque excretiones referri poteſt vt facile ex eo patet, quod lib. de præcognit. ad Poſthumum cap. 13. ſymptomaticam ſanguinis è naribus excretionem tunc ſolum malam eſſe, & ideo exhibendam iudicauit, cum in quantitate eam nimis excedere obſeruauit. Sed vt, vnde diuerterat, ſermo redeat, ſi morbus bilioſus daret inducias, nec ex concitatiori bilis motu peiora impenderent, quibus medicus quo quomodo poteſt ad illius vacuationem deuenire cogitur, nulli dubium, quin poſt retuſionem, ac præparationem, eiuſdem purgatio commodius, ac fœlicius fieret. Dum vero dicimus bilioſos humores propter ſuam efferueſcentiam, & tenuitatem huc facile, & illuc labi, atque transferri, vt idcirco a medicamento vix queant expurgari; non inde deducendum, nos velle eos perpe-
B tuo intra corpus turgere turgentia vere dicta, cuius gratia Medici vel nulla præmiſſa alteratione illos, vt melius poſſunt, euacuant, ſed propria mobilitate, quam & a feruore, & ab ipſa tenuitate obtinent, inobedientes reddi cholagogo medicamento, a quo vt melius trahantur, alteratione indigent, qua minori cum renitentia illius facultati ſeſe ſubijciant. Quamobrem niſi eorum feruor demulceatur, & impetus infringatur, impoſſibile eſt eos poſſe medicamento omnino vacuare: Et idipſum videor mihi poſſe perbelle demonſtrare re cunctis quam manifeſta, nempe, quemadmodum patet ſuccinum, ſiue ambram vento agitatam paleam non trahere, nec magnetem ferrum, niſi quietum, ita credibile eſt per ſe naturaque ſua mobilem, & inquietam bilem a cholagogo neutiquam trahi poſſe, niſi a ſuo contrario retuſam,
C niſi alteratam; propterea humectantia, & refrigerantia magnopere conueniant, qualia in vſu hodie ſunt ex decocto hordei mundi alterato oxalide, vtroque intybo, borragine, & aliquando etiam lactuca, & nymphæa, ſero lactis optime depurato, cremore hordei, emulſione ſeminum communium frigidorum, aquis cichoraceis ſtillatitijs, vna cum ſyrupis de ſucco oxalidis, granatorum, limonum, citriorum, & conſimilium, quæ omnia faciliime præparant, & diſponunt humores iam dictos ad fœlicem purgationem. Quando autem Hippocrat. præcipit non eſſe purganda niſi quæ concocta ſunt, quis non videt illam in iam dictis humoribus alterationem, quandam eſſe concoctionem? Iam enim conſtat humores, dum ad mediocre temperamentum reducuntur, ad concoctionem duci generaliori concoctionis acce-
D ptione dici poſſe. Dicebat ſiquidem Galen lib. de conſtitut. art. med. capit. 29. *Quod in naturalem ſtatum redire poteſt, contrarijs alterare oportet, craſſum quidem, & lentum attenuando, tenue vero incraſſando, communiter autem vtraque concoquendo.* Et 1. epid. ait Gal. ipſe, *Morbi maturatio eſt quædam concoctio eorum, quæ præter naturam ſunt*, ac non valde poſt addidit. *Atqui meminiſtis omnem morborum concoctionem fieri in alteratione, vel tranſmutatione humorum.* Ex quibus Gal. locis quemadmodum ex 5. commen. in 6. Epid. & 3. de rat. vict. in acut. 44. elicitur concoctionem in humoribus apud Medicos latius accipi, quam proprie dictam concoctionem apud Ariſtotel. 4. meteor. 2. vbi eam

vocat perfectionem humidi a calore natiuo factam. Et apud Gal. de ſympt. A
diff. & lib. 2. de naturalibus facult. vbi concoctionem deffinit ciborum, ſeu
alimentorum in propriam, ac conuenientem eius, quod nutritur qualita-
tem alterationem, quæ proprie Græcis πέψις nominatur, veluti quæ in
hac concoctione exactam elaborationem ſunt adepta Hippocrati, & Gale-
nu ὠμὰ, hoc eſt cruda dicuntur. Quandoquidem, & coctio illa a medicis
vocatur, qua humores ad expulſionem apti, ac idonei redduntur, de qua intel-
ligi, voluit Hippocrat. dictas; *Concocta medicari, & cruda non mouere oportet.*
Id totum valde roborat Auer. 7. colliget. 8. vbi tradit bilem non propterea di-
ci crudam, quia craſſa ſit, ſed quia nimium feruida, & nimium acris eſt. Quod
tamen ante eum dixerat Galen. 2. de vict. acut. comment. 44. vbi primum
ait *concoctionem eſſe, cum natura cauſis fortior fuerit permutaueritque eas ſuo robo-* B
re, & illa cocta eſſe, quæ a natura ipſa ſint deuicta, cruda contra quæ minime. Ad
quem modum, & bilem crudam, vel coctam eſſe, dici poteſt, quia ibidem
ſcribit, *crudam bilem flauam admodum eſſe, & acrem, & male olentem, coctam
vero, & pallidiorem, & minime male olentem.* Et 1. epid. ſect. 2. tex. 3. *Quem-
admodum*, inquit, *natura morbificas cauſas ſuperante concoctiones fiunt, ita non
ſuperante contraria. Quare cocta dicuntur quæcunque a natura euicta ſunt, cruda
vero quæ non ſunt euicta.* Quapropter frigida propoſita potius concoquere
bilem dici poſſunt, quam ſecus, vt idem Auer. de frigidæ aquæ potione eo-
dem in loco aſtruit. Dum autem ſic alterantur hi humores, nulli dubium eos
quoquo pacto incraſſeſcere; & hoc eſt quod volebat Auicenna, de quo ita
Auer. 3. collect. 17. *Auicenna iubet in ægritudinibus a tenuibus ſuccis genitis, cu-* C
*iuſmodi erit tertiana exquiſita, quæ ſeptem in totum circuitibus iudicatur, concoctio-
nem præcedere, quam hoc pacto definitam tradidit. Concoctio tenuium eſt eorum in-
craſſatio, craſſorum vero extenuatio.* Non tamen arbitrandum eſt a nobis Aui-
cennam, quemadmodum credere viſus eſt Fuchſius præcipere vt bilis, ante-
quam educatur, ad craſſitiem redigatur, quaſi velit tenuitatem vacuationi
obſiſtere, atque ex vſu eſſe craſſitiem, cum eodem in loco dicat craſſa non
poſſe euacuari, niſi attenuentur; ſed vt per contrarias qualitates ad cõtrariam
naturam quoquo pacto tranſmutetur, a quibus clare conſtat craſſiorem quan-
dam qualitatem bili communicari a qua veluti coercitu, & orgaſmo priuata
attrahenti medicamento promptius obedit. Hac in re profecto notandus eſſet
Auicenna, ſi, vt alij quidam, & ipſe exiſtimaſſet tenues, ac ſeroſos humores D
reuera eſſe incraſſandos, quia medicus ſit naturæ æmulus, & omnia, quæ ab
ea coquuntur, ex tenuioribus reddantur craſſiora; ſicque velut natura craſſi-
tudinem efficit, dum coquit, ita & medicum facere debere. Nam licet Me-
dicus ſit naturæ imitator, in hoc tamen diuerſi ſunt vtriuſque fines, quia me-
dicus præparat, quo euacuet: natura, quo retineat, & ſibi commodum nutri-
mentum pariat. Fernelius quoque improbat Auicen. conſilium 3. ſuæ meth.
cap. 12. dicens, *tenues humores, vt aquoſos, & bilioſos, ante purgationem, craſſiores
reddendos non eſſe. Non enim*, ſubiungit, *quod ille exiſtimat vt ſputorum,*

A *quæ mediocri ſunt ſubſtantia , facilior eſt excreatio , ita & humorum mediocrium*
facilior eſt purgatio . Nam licet pulmonibus contenta materia ſupra modum te-
nuis vi pellentis ſpiritus in tuſſiendo non facilem arteriam ſuſtolli , excrearique poſſit,
ſed tenuitate ſuâ facile relabatur in pulmones; in corpore tamen cõuenienter præparato,
quo tenuior, & liquidior ſit humor, eo fluidior exiſtet, & promptius trahenti medica-
mento cedet, eiuſque impetum ſequetur. Attamen, quidquid ſit de Auic. idem Fer.
meam ibidem ſententiam clariſſime confirmat, dum ſubnectit. *Feruentior tamẽ,*
& acrior is ſi fuerit , eius ante purgationem obtundenda eſt, & frænanda acrimonia.
Huiuſce enim qualitatis particeps eſſe humores bilioſos , a quibus exquiſitæ
gignuntur febres, quis adeo peruicax erit, qui denegare audeat ? Vnde pariter
elici poteſt, perperam ſentire eos, qui vt aquoſi humoris in hydropicis, ita bilio-
B ſos in tertianis nulla præuia alteratione , facile , & prompte a congruo medica-
mento extrahi putant. Licet enim in tenuitate ambo valde conueniant , ſi præ-
ſertim de pallida, & flaua bile ſit ſermo, in alijs tamen, & primarijs qualitatibus
diſcrepant. Dicunt aliqui falſum eſſe, quod bilis præparatio, ſit eiuſdem acrimo-
niæ retuſio, quia humor bilioſus poſt coctionem debet purgari, iuxta Hippocr.
ſententiam, & cum in concoctione bilis victa a natura mitior reddatur, vt docte
Gal. 2. vict. acut. 44 ſuperfluus ergo erit labor eorum, qui temperare conantur
bilem, vt eam expulſioni præparent; At hi dum alios hac de re increpant, ipſi
valde maiori increpatione digni mihi videntur . Quorſum enim per ſyrupos,
apozemata , & alia refrigerantia , & humectantia bilem pręparare , hoc eſt,
ad contrarium alterare ſtudemus , niſi vt ſuppetias naturæ feramus , & vt hu-
C iuſmodi medicamenta bilis feruorem , & acrimoniam retundendo , vna cum
natura bilem ipſam facilius concoquant , & ſuperent ? Sic etenim habere dein-
de ſolemus naturam vacuationi adminiculantem. Quippe ipſa quoque poſt
concoctiones, humores diſcernit, & poſtea euacuat. Vnde prudenter admo-
dum 4. vict. acut. 19. ita ſcripſit Hippocrat. *Quicumque ſtatim inter morbi ini-*
tia phlegmone obſeſſas partes medicamento ſoluere conantur , ij a parte tumenſa inflam-
mataque nihil auferunt. Affectus enim, quod crudus ſit, non cedit . Quæ verò morbo
reſiſtere poſſunt, & ſana ſunt , abſumunt . Concludamus ergo bilem , vt commo-
de vacuetur , concoctionem exigere , & illam concoctionem , per quam bilis
ipſa nimis feruida , & nimis acris ad ſymmetran quandam naturam dedu-
citur . Ita enim , & naturæ , & medicamento facilius parit , ac cedit.
D Quando quidem cum ea, quæ a natura non ſunt euicta, medicamentis purgan-
tibus minime vacuanda ſint , & bilis non rarò , præſertim in his febribus ter-
tianis exquiſitis, ſit eiuſmodi, conſequitur & hanc ipſam indigere omnino con-
coctione expoſita; non enim euicta eſt a natura, quando excandeſcit, acris eſt, &
hominem exurit, ideoque tunc expectanda eſt eius concoctio , & danda quæ-
cumque eius calorem , ac feruorem reſtinguant, & concoquant , hoc eſt , al-
terent . Hac ſi quidem ratione ſubacta ac edomita , naturæque obſequens
reddita bilis , abſque moleſtia, minorique negotio a purgante medicamen-
to trahetur . An denique inter biles quoque ſunt vitellina , æruginoſa ,

ſatodes, quæ vt pallida, ac flaua craſsiores leui, & ipſæ inciſione, ac attenuatio- A
ne indigent per ea, quæ id præſtant citra calorem? Qui enim calidis, & attenuan
tibus medicamentis illos concoqui volunt, de quorũ fortaſſe numero fuit Mer-
catus loco ante citato, per me audiendi minime ſunt, quibus errãdi anſam dedit
quod legitur lib. 1. Aphor. 24. vbi Gal. docet concoctionem in morbis acutis ſi
neceſſaria ſit, faciendã eſſe mellicrato, decocto origani, tragorigaſi, pulegij, & cõ
ſimilium, quæ omnia vehementem extenuandi facultatem habent; vnde Gale-
nus vel ad alia reſpicit, quæ impedimento ſunt biliosis humoribus ne prompte
vacuentur, vel non propter obſtructionem talibus vtitur medicamẽtis, vt illam
ad purgandum aperiant, quoniam hoc etiam ſeruandum eſt in humoribus non
turgentibus, ſed quia aliquando, turgente humore in principio, purgare non
poteſt, quia deeſt medicamentum, tuncq; arrepta occaſione, aperiẽtia exhibet, B
vt obſtructione aliquantulum aperta ceſſet putredo, & cum ipſa turgentia. Ex
quibus omnibus abunde liquet, neceſſariã, nedum vtilẽ, eſſe præparationem in
biliosis humoribus, pro facili, & integra purgatione eorum in curatione febriũ
bilioſarum, cenſeant hac de re alij quidquid lubet. Sed quomodo, & per quæ fa
cienda ſit hæc alteratio, non vndiq; plana res eſt. Quidam n. ſolis vtuntur apo-
ſematis more Græcorum quidam ſyrupis Arabum; quidam puris aquis diſtil-
latis. Illa parantur ex decoctione foliorũ, herbarum, florum, fructuum, & radi-
cum facta vel in aqua, vel in iure, additio modico ſaccharo, antequam ſumãtur.
Syrupi proprie dicuntur, qui ex prædictorũ ſuccis cum ſaccharo, aut melle, pari
fere portione conficiuntur, & clarificati in officinis diuturno tempore ſeruãtur
ad vſum. Aquæ vero ſunt, ſi vel hordeaceam, vel lactis dictam, nempe ſerũ exci- C
pias depuratum, quæ per alembicum extrahuntur, quibus tamen aliqui in bi-
lioſorum humorum præparatione cum timore vtuntur, etiamſi frigefactoria
facultate polleant, quæ cichoraceæ paſſim dicuntur, eo quod ab igne calidita-
tem quandam contrahant, quorum ſuperſtitio negligenda, quoniam caliditas,
quæ ex igne impertitur, non ita poſt euaneſcit ab illis. Rectius timent alij huiu-
ſcemodi aquas eo quod prauam ex ære, aut plumbo qualitatem adipiſci viden-
tur, etiamſi neque æs neque plumbum tunc eliquentur. Ita creditur in multis
aquam per canales plumbeos ductam, iuxta Galeni opinionem, ob ceruſam
quę in ipſis generatur, dyſænteriam inducere, licet reuera huic doctrinæ non
vndique reſpondeat experientia, quia ſi id verum eſſet, Romæ profecto, vbi
paſſim eiuſmodi aqua ebibitur, talis morbus frequentiſſimus foret. Rondele- D
tius quoque tradit Monſpeſſuli frequentes eſſe ciſternas, in quas per plum-
beos tubos aqua influit, illo in loco minus ſolere graſſari dyſenterias, quam
alibi totius Galliæ Narbonenſis etiam vbi nullæ ſunt cyſternæ, addens
ceruſam niſi acetum adſit, haud poſſe generari. Attamen quæ in Balneo
dicto Mariæ duplici vaſe vitreo educuntur, omnium conſenſu tutiores iu-
dicantur. Nunc autem, quod in praxi exercenda ſcitu neceſſarium iudico,
ſaltem pro tyronibus, eſt an apoſſematis, ſyrupis, & aquis admiſcen-
da ſint ex melle, & ſaccharo confecta, dico ſyrupi illi, qui à

phar-

A phatmacophæis parãtur eo modo,quo diximus,an magis expediat,his omiſſis,
prædicta ſolùm imperare. Res etenim eſt in controuerſia poſita, quoniam
è practicis ſunt,qui expreſſe vetant,nulla alia de cauſa,niſi quia dulcia in bilem
vertuntur, & a Gal. 1. ad Glauc. cap. de tertiana exquiſita dulcia manifeſte
damnantur. Vnde etiam nonnulli in morbis calidioribus a manna vel penitus
abſtinent, vel non exhibent, niſi in decocto, quo diluitur, thamarindi, vel ſimi-
lia accidiuſcula præbullierint. Accedit quod focus, & minera bilioſarum fe-
brium ſaltem intermittentium, aut etiam continuarum, ſed quæ proportiona-
tæ vocantur, vel in iecinore, vel in venis admodum propinquis reſidere ſolet,
cũcta vero dulcia,& hepati & lieni valde noxia eſſe creduntur,quia ex illis vtra-
que viſcera intumeſcunt. Alij è contra exiſtimant vix recte humorum fieri con
B coctionem poſſe, niſi decoctis, & aquis vna addantur ex ſuccis cum melle, aut
ſaccharo parati ſyrupi,quia ſcilicet illis quaſi pro vehiculo inſeruiunt, atque in
cauſa ſunt,vt reliquorum medicamentorum facultas a natura, quam dulcia mi-
rifice recreant,próptius attrahat. Ego quidem ex illis ſum,qui libenter ſaccha-
rata, & mellita adijcio, & propterea laudo, vt in præparatione bilioſorum hu-
morum iam dictis addantur ea, quæ præcipue cum ſaccharo fiunt, quod valde
minus melle in bilem conuerti probabile eſt, cum ſit omnino temperatius, &
detergendo nòn parum conducat,pro tollendis obſtructionibus,& occluſis lo-
cis aperiendis. In qua ſententia eo magis confirmor,quo video Gal.in curatio-
ne iam dictæ febris vel ipſo vti mellicrato,præterquam quod huiuſmodi ſyrupi
copioſis vel aquis,vel decoctis dilui ſolent,ita vt pro ſingula vncia oxyſacchari,
C aut ſyrupi de acetoſitate citri, tres, vel quatuor decocti, vel aquæ refrigerantis
propinentur. Quod ſi Gal. dulcia improbat,ſciendum,hoc de alimentis, & ci-
bariis intelligi oportere, quæ ſane vt craſſiora, & frequenter aſſumpta bilem
ingeminare,vt viſcera magis obſtruere poſsunt. Huic quæſito imponendus fi-
nis allata prius tamen formula apoſtematis ad bilis feruorem. ℞. rad. gram. &
acet.an.ℨ.ij.cichorei,totius ſcariolæ,endiuiæ,lactucæ an manip.s.quatuor ſem.
frigid.maior.an.ℨ.ij. florũ viol. & nymphęæ an. pug. 1. Fiat decoctio, & in cola
turæ ℥.iiij.diſsolue vel ſyr. de cichoreo ſimp.vel alterius conſimilis ℨ.j s. Tertio
loco propoſitum quæſitum verſatur circa ſanguinis miſsionem,quam in tertia-
na exquiſita intermittente minime conuenire aliqui contendunt,& ego nihilo-
minus eam commendabam. In primis ergo in vniuerſali febrium putridarum
D examine abunde a me demonſtratum eſt, in quacunque febre putrida cu-
randa multas a ſanguinis detractione afferri vtilitates, potiſſimum verò ab ea
primum poſt demolitam multitudinem, fœliciorem euadere concoctionem,
quia, vt dicebat Galen. 2. Aphor. 29. *minore facta materia, natura facilius
reſiduum conficit*, deinde faciliorem parari viam aperientibus, aut refrige-
rantibus medicamentis, poſtremo febrile incendium reſtingui, detracto eius
foco,& quia vna cum ſanguine tranſpirant, ac emittuntur vapores, qua ratio-
ne ſanguinis miſsio potentiſsimum eſt auxilium ad perſpirationem iuuan-
dam, quo adminiculo vniuerſæ febres putridæ maximè opus habent, vt aperte

nos docet. Gal. 9. met. Hinc propterea mirandum nõ eſt, ſi idem Gal. 11. eiuſdem A
operis cap. 15. ſcripſerit *optimum eſſe, vt in omni febre putrida mittatur ſanguis, niſi
impediat vel ætas, vel virtus*, imo illud magis in Gal. verbis admiror, quod non
potius neceſſe eſſe dixerit, quam κάλλιςον, ſeu optimum, vel ſaluberrimũ: quo-
niam etſi non me latet, aliquando febres ſine hoc auxilio curari, ſcio tamen ex
alia parte rariſsimũ id eſſe, & in quib. hoc remediũ pretermittitur, periculoſius
laborare, & morbum pati diuturniorem. Auicenna, qui vt conſtat, non feſtinã-
ter ad phlebotomiã in putridis deſcendit, & præſertim quando ab ea timet cho-
lericorum ebullitionem, in tali febre commendat potius hoc auxilij genus, quã
ſecus. Contra tamen omnino facit, quod Gal. 4. de ſanit. tuen. 4. tũc mittẽdum
ſanguinem eſſe ait cum aut ſanguis multus eſt, aut hi humores in cauſa morbi
ſint, qui a natura ſanguinis non plurimum receſſerint, vt & crudi recedunt, & B
aſſati, nam vbi receſſerint, a ſanguine mittendo abſtinendum eſſe, & 6. epid. 3.
comm. penult. quo in loco dicebat Hipp. aliquibus quidem expedire venam ſe-
care, alijs vero non ſicut his, in explicatione Gal. ita loquitur. *His expedit, in qui-
bus ſanguis fuerit copioſus, & nondum in alium humorem fuerit conuerſus inſigni mu-
tatione. Non expedit autem, in quibus iam mutatus ſit*. Sæpe autem conſtat excitari
febres putridas, & illas quidem magnas, & malas in corporibus, quæ nõ ſolum
copioſo ſanguine non ſcatent, ſed humoribus è natura ſanguinis longe diuerſis.
Inſuper videmus Galenum primo ad Glauc. in curatione tertianæ exquiſitę ne
meminiſſe quidem miſſionis ſanguinis, quod pariter obſeruat in curãdo exqui-
ſito eryſipelate. Addatur in his, qui tali febre vruntur, prædominium adeſſe bi-
lioſorum humorum, qui a ſanguine detracto magis excãdeſcere dicuntur. Sunt C
è Medicis, qui controuerſiam hanc ita componendam eſſe iudicant, ſi corpus
multo ſanguine abundat, aut qui peccant humores a ſanguine ipſo nõ multum
recedant illum eſſe detrahendum, alioqui parcendum venæ ſectioni, quemad-
modum Gal. facit, qui propterea. 1. ad Glauc. nullam de tali remedio mentio-
nem habet. Alij ſi timeatur morbus maior, ſeu continens, & valde vrens febris,
dicunt poſſe venam ſecari, virium robore permittente, & vires non tantum
præſentes, quantum futuras conſiderando. Aſſerebam ego quod ſi homo ille,
qui tertiana exquiſita laborat, multo etiam ſanguine ſcatet, abſque dubio, &
aſſentiẽtibus omnibus ſanguis large quoque mitti poteſt, quia in ſanguinis re-
dundantia impoſſibile eſt vires non eſſe validas, & robuſtas; ſed dubitatio eſt
de illis, in quibus plenitudo non adeſt, ſaltem vniuerſalis, & in quorum corpo- D
ribus bilioſi præualent humores, tempore maxime æſtiuo, quo hæ febres vaga-
ri, & nos inuadere ſolent. Mea quidem ſententia eſt, vt in his etiam a ſanguinis
miſsione non abſtineamus, per quam tot patienti emolumenta accedunt,
attamen conſideratione habita virium, quæ tali in corpore & illo anni tem-
pore diu perſeuerante morbo firmæ remanere vix poſſunt, hoc ponerem di-
ſcriminis, quòd vt in priore largius, vberiuſque ſanguinem extraherem,
ita ex aduerſo ex poſterioribus valde parcius, propter vires, quæ in ma-
gna prauorum humorum copia facile diſpereunt. An a ſanguinis miſſione ab-

ſtinen-

A ſtinendum in biliofis omnibus, quia imminet periculum ebullitionis cholerico-
rum? Tunc enim phlebotomia mortis cauſa eſſe poteſt. Dico ex miſſione ſan-
guinis, etiam in bilioſis non ſemper timendam eſſe cholericorum humorũ ebul-
litionem, quoniam vel per venam ſectam bilis copioſè vna cum ſanguine edu-
citur, vt eadem proportio ſit bilis ad ſanguinem poſt venæ ſectionem, quæ ante
aderat, imò ſunt qui volunt ſanguine miſſo valde minorem bilis copiam in ve-
nis ſubeſſe, quàm ante ſanguinis detractionem. Huiuſmodi periculum ineuita-
bile quibuſdam tum eſſe videtur cum bilis putreſcit in venis non totius corpo-
ris, ſed alicuius partis determinatæ. Ita enim poſt venam ſectam deducitur in
venas communes totius, quarum ſanguis eſt imminutus. Quare dum bilis poſt
venæ ſectionem petit venas communes, miſcetur cum exiguo ſanguine, qui re-
B liquus eſt, & poſt venæ ſectionem maior copia bilis reperitur in venis, quàm
ante: Vnde conſequenter cholericorum ebullitio prouenit. Vbi igitur tale non
adſit impedimentum, etiam in tertiana exquiſita intermittente vtiliter ſanguis
aufertur, & ab ipſa febre indicatur, licet oppoſitum habeat Trincauellius, quia
ſcilicet valde prodeſt tanquam refrigerans auxilium, a quo vniuerſus corporis
habitus refrigeratur, quinimò Gal. ipſe hac in febre cum vehementer calida ſit,
& ſicca, ideo probat per illud primum principium, Contrariorum cõtraria ſunt
remedia, maxime refrigerandum, & humectandum eſſe. Refrigeratur autem, &
humectatur febris non per ſe ſolum, dico immiſſis qualitatibus contrarijs, ſed ex
accidente etiam ſummota, quæ calfacit, cauſa. Vnde iure merito commendatur
a me venæ ſectio, a qua illico febrilis calor vniuerſi corporis remittitur, & con-
C temperatur biliſque imminuitur, & quatenus exit cum ſanguine, & quatenus
officina eius ſeu iecur temperatius euadit. Idcirco & Arabes hic venæ imperant
ſectionem, quemadmodum & Actuarius cap. 19. ſuæ meth. illis verbis. *Et niſi
quid impedierit, ſanguis eſt detrahendus; etenim in omnibus prope modum febribus
ſanguinem mittere, niſi adſit quod interpellat, præſtat.* Ad Gal. verò, qui in tertiana
exquiſita curanda nullam facit de miſſione ſanguinis mentionem, & in eryſipe-
late a ſincera bile progenito haud neceſſarium eſſe hoc remedij genus affirmat,
quid reſpondendum? Nonnulli putant prætermiſiſſe hoc auxilium in febre illa,
tanquam notiſſimum ex vniuerſali methodo, in qua tradiderat ſaluberrimum in
febribus venam incidere, non in continuis modo, verum etiam omnibus, quas
putreſcens humor concitat: quæ reſponſio mihi vndique non arridet, quia ſi
D hac de cauſa tantum huius præſidij non meminit, cur idem non facit in ponen-
da curatione tertianæ nothæ, & quartanæ? Nam & in quotidiana ſubticet. Et ſi
quis dixerit ideo in tertiana ſpuria miſſionis ſanguinis meminiſſe, quia de ea ma-
ior videtur eſſe dubitatio, propter frigidos humores vnà cum bilioſis cõmiſtos,
rurſus alter non maius eſſe periculum dicet, quod ex frigidorum recrudatione
impendet, quàm quod ex cholericorum ebullitione. Alij quidam, inter quos
Altimarus eſt, aſſerunt, ideo omiſſam eſſe venæ ſectionem a Gal. in hac febre,
quod ſine periculo ſit, & cito iudicetur per ſe, modò nihil in ea delinquatur. Ve-
rumtamen neque huic reſponſo acquieſco, quia ſi ex maiori, aut minori pericu-

lo id

lo id foret definiendum, in quotidiana febre magis prompte adimendus videre- A
tur ſanguis, quàm in quartana, & nihilo tamen Gal. in hac proponit, in illa ſub-
ticet ſanguinis miſſionem. An tanti auxilij mentio prætermiſſa eſt in virium
gratiam? In exactè enim exquiſitæ tertianæ quantumuis intermittentis curatio-
ne magnopere timendum de virium iactura maxime ſi effatu digna miſſio ſan-
guinis celebretur, vt Gal. tempeſtate moris erat. Si quidem febris hæc neceſſa-
riò fit anni tempore calido, regione calida, conſtitutione calida, & ſicca: quibus
exiſtentibus virtutem debilem eſſe neceſſe eſt, vt venæ ſectionem ſuſtinere ne-
queat, quod in alijs bilioſis febribus non adeo exquiſitis timendum non eſt, &
ideo liberius in ijs venam ſecare licet, cum nõ ſit quod prohibeat. Vidius tamen
lib. 5. cap. 4. priorem confirmare videtur reſponſionem, dum ait. *Venæ ſectio ne-
ceßaria non eſt cum morbus non ita magnus ſit, vt ita magnum poſtulet auxilium, niſi* B
*tamen metuas ne præ ſuccorum multitudine, vel eorundem natura heterogenea ex in-
termittente in continuam, & ita ex mitiore affectu in grauiorem mutatio fiat; at niſi id
metuas ſufficient aliæ detractionis ſpecies*. Et cap. 3. in curat. quotidianæ. *Omittitur,*
inquit, *à veteribus in quotidiana febre ſanguinis detractio, quamuis proponatur tan-
quam commune auxilium illarum febrium, quæ ſequuntur putredinem: profecto cum
pituita magis concoqui quàm educi debeat, cumque vires ſub copia pituitæ non mul-
tùm valeant, plerumque neque requiritur, neque toleratur*. Vnde etiam elicitur ra-
tio propter quam in quartana magis, quàm in quotidiana Gal. permiſerit ſan-
guinis miſſionem, nimirum cauſam ſpectans, quæ in quotidiana concoqui po-
tius requirit, quàm euacuari, cum pituita ſit, quæ facile per vlteriorem conco-
ctionem in ſanguinem verti poteſt, in quartana verò non ita res euenit, præſer- C
tim ſi de illa ſit ſermo, quæ ab aduſto, & nigro oritur humore, qui amplius per
cõcoctionem ad ſanguineam naturam remeare minime poteſt. Sed cur memi-
nit Gal. miſſionis ſanguinis in febre tertiana exacte notha, quæ a bile vna cum
multa pituita commixta producitur? An quia in ea non ita longe diſtant hu-
mores a natura ſanguinis; adſunt enim cum frigidis calidi quoque. An vult in
hac mittendum eſſe ſanguinem, ſi ſanguine etiã patientis corpus abundet, alio-
qui prætermittatur. Quandoquidem ſic ait. *Quod ſi ſanguinis miſſione opus ſit,
neque ipſa omittenda eſt.* Quantum verò denique ad ſanguinis miſſionem in ery-
ſipelate ſpectat, dico quod in exquiſito, & ab impermiſta bile oriundo in parti-
bus externis, ac ignobilioribus non temerè a ſanguine vacuando ſe cohibet Ga-
lenus, & laudat potius medicamentum, quod bilem vacuet, &, ſi parua ſit paſ- D
ſio, acriorem clyſmum, vt videre eſt 2. ad Glauc. & 14. meth. 3. tum ad euacua-
tionem redundantis bilis, tum ne bilis ipſa, vt multis placet, ad ebullitionem de-
ducatur; quod tamen eryſipelas, ſi circa faciem, ceruicem, & caput conſiſtat, cũ
ſit valde magis periculoſum, & ex eo impendeat ſtrangulatio, vt etiam notat
Aetius lib. 14. cap. 59. quia partes tonſillis adiacentes trahuntur in conſenſum,
quæ inflammatæ præfocare ſolent, aut phrenitis, quæ ab eryſipelate capitis in-
trò recurrente non raro fieri ſolet, miſsionis ſanguinis auxilium omnino requi-
rit, vt per hoc ægri ab angina, & phrenitide præcaueantur, accerſione facta hu-
morum,

A morum, qui in partes nobiliores impetum minantur; Quod tam de puro, quàm non puro eryſipelate velim ego intelligi vna cum Paulo, Celio, Aetio, & alijs, quotieſcunque ſcilicet talis affectio partes illas inuadit. Si quis autem dixerit, quòd Actuarius, Auicenna, & Hali Abbas lib. 3. ſuæ Pract. perpetuò laudant phlebotomiam in eryſipelate; vnde Fallopius exiſtimauit huiuſmodi contrarietates non poſſe diſſolui, & ideo ſequendum eſſe Galeni conſilium, reſpondeatur citatos auctores non de exquiſito, ac puro eryſipelate verba facere, quemadmodum Galenus, ſed de impuro, nempe a bile multo ſanguine diluta, quod cum phlegmonoſum ſit, in quacunque parte reperiatur, miſſione ſanguinis indiget. Purum verò, & exquiſitum, ſi ignobilem partem inuadat, non poſtulat adeo efficax, & generoſum præſidium, quale eſt venæ ſectio. Ita ego nunc B iudico de quæſitis, omnibus ſupra allatis, malene, an recte, tuum erit, & aliorum iudicium. Vale. Datum Romæ Kal. Maij 1618.

QVÆSITA PRIMARIA TRIA IN FEBRE Cauſone.

I.

C *An frigida aqua ante coctionis humorum ſigna aliquando etiam ex mente Galeni exhiberi poſſit, & an idem Galenus recte hac in re notatus fuerit ab Auerroe.*

II.

An pro putridæ bilis euacuatione lacte aſinæ, aut ſero vti debeamus, quemadmodum Hippocratem, & alios feciſſe conſtat.

III.

An mulſa ab Hippocrate, & Galeno cum ratione proponatur.

Secundaria Tria.

I.

D *Cur veteres Medici omnem ferè ſpem ſalutis poſuerint in ſanguinis miſſione, & frigidæ aqua exhibitione.*

II.

Cur Hipp. à lacte non abſtineat, cum idem aſſerat lac febricitantibus nocuum eſſe.

III.

Cur aqua hordei vtilior ſit mulſa in cauſone, inutilior verò in quotidiana.

Ad

A

Ad Bernardinum Gaudum Genuenſem, & Io. Benedictum de Simbaldis Leoniſſanum.

DIſceſſuri ambo Roma, diſcipuli dilectiſſimi, ijdemque ingenioſiſſimi, & vnus quidem Corſicam verſus, alter verò in patriam, medicam artem, cuius dogmatibus, atq; præceptis generalioribus vterque veſtrum ſupra ætatis captum firmiter imbutus, & ornatus eſt; in publicam vtilitatem exercere inchoaturi, idque per illud anni tempus, quo in Vrbe paſſim huic, vel illi purgationes inſtituuntur, iuxta Hipp. Aph. *Quibuſcumque venæ ſectio, aut purgatio cum medicamento conuenit, ijs vere venam ſecare vel purgans medicamentum exhibere oportet:* dico media hebdomada ſecunda B
menſis Maij, qua in Romano Gymnaſio feriales illi incipiunt dies, quibus propter potiones, vt vocant, a legendi munere Doctores omnes otiantur (licet ſub Romano Cęlo tempus hoc non infrequenter fallax ſit. Vnde veriſſimum quod vel ſua ætate notauit Seneca ad Lucilium. *Veri non eſſe fidendum quia ſæpe in hyemem reuoluitur)* petijſtis a me, vt in aliquo ex Quæſitis meis, quorum etiam bona pars veſtra ipſorũ manu conſcripta eſt, breuiter agerem de illis dubitationibus, quas ego promoui in curatione febris, quæ cauſos, ſeu ardens vocatur, & quarũ ſolutiones omnes audire vobis non licuit. Addendo pariter fore, vt non minus alijs cenſeantur dignæ, quæ typis mandentur, in medentium gratiam, & ægrotantium vtilitatem. Quare vt vobis in tam honeſta petitione aliquã ex parte obtemperem, & in amore, ac mutua beneuolentia reſpondeam, decreui nunc il- C
lud in primis enodare, quod neſcio an alij adhuc animaduerterint; An in cauſone rectè, ac vtiliter ad Gal. mentem præbeatur frigidæ aquæ potio antequam coctionis notæ in humoribus appareant, & an ipſe Gal. hac in re ab Auerroe cum ratione reprehendatur. Quandoquidem velut Gal. ſcribit 2. Aph. 29. licere ſanguinem mittere, etiam cum materia febrem accendens, cruda eſt, ita per eundem non licet potui dare aquam frigidam, niſi cum apparent ſigna coctionis, quia periculum eſt, ne materia cruda maiorem afferat obſtructionem, ſi refrigeretur, ex 9. meth. 5. & 11. cap. 9. Contra Auer. 7. colliget. 8. quinque rationibus, & argumentis aduerſus Gal. ſententiam nititur probare, nunquam eſſe in cauſone per hoc medicamentum ſanando, expectandum vſque dum coctionis ſigna cernantur, quia primum in huiuſmodi mora, & procraſtinatione ardẽs febris adeo D
immaniter ægri corpus depopulatur, vt periculum ſit, ne interim extinguatur æger, priuſquam materia concoquatur. Deinde ſubiungit, quòd non ſemel vſu, & experimento comprobatum eſt, frigidæ exhibitionem etiam in cruda materia profuiſſe. Ad hæc bilem non ideo appellari crudam, quia craſſa ſit, ſed quia nimium feruida, nimiumque acris eſt, & propterea frigidam aquam potius bilem concoquere dici poteſt, quàm ſecus. Inſuper in hac aqua propinanda diligenter conſiderari debere tradit, vtrum maius ſit detrimentum, an iuuamẽtum, quando nimirum in cruda materia adminiſtratur, & ſi maius ſit iuuamen, liben-

A ter amplectendum id auxilij genus; Idcirco, cum, ſi offeratur frigida, materia cruda exiſtente, id ſolum damni metuatur, ne morbus longior fiat, & ex alia parte febrile incendium mirabiliter extinguatur, hinc euenit, vt valde maior ſit vtilitas, quàm noxa. Demum hoc totum roborat teſtimonio Rhaſis, qui teſtatur ſe aliquando inuiſiſſe Dominum, & ſeruum, qui ambo ardente febre laborabant, & Dominum euaſiſſe incolumem, quia frigida exhibita fuit, ſeruum obijſſe, quia non accepit. Verum, vt res hæc integrè difiniri, & Quæſitum ex methodo ſolui queat, opus eſt non obliuiſci quæ a me dicebantur de ſcopis, & intentionibus, quibus tanquam manibus ad tam ſæuum morbum expugnandum ducimur, & propterea, ſi recte memoria tenetis, dicebam in ratione curandi Medicorum conſilium ad duo præcipuè dirigi, nempe ad febrem, & cauſam proximã,
B quæ eſt putredo flauæ bilis. Neque enim hic multum ſolliciti eſſe ſolent Medici de viriũ refectione, quia morbus eſt adeo breuis, vt Gal. 2. de Criſ. 6. ſcribat rarò ad ſeptimum diem peruenire, vnde virium robur facile conſeruatur; obſtructiones verò, quæ perſpiratum impediunt, non ita magnæ ſunt, vt Medici mentem debeant auertere ab operibus, quæ & a febre, & a cauſa proximiori requiruntur. Primaria igitur intentio verſari debet circa incendij febrilis, & ſummi illius feruoris extinctionem, per valde refrigerantia, & humectantia, nec non dirigenda eſt ad flauam bilem ſemiputrem concoquendam, velut ad eam, quæ ex toto putris, deijciendam. At coctio, quæ a bile ſemiputri deſideratur, non alia poſtulat auxilia, quàm febris, quæ ſcilicet refrigerent, ac humectent, a quibus naturalis calor attemperatur, & ad ſymmetram quandam reducitur naturam
C qua poſtea ſemiputrem bilem non admodum difficulter concoquit. Detractio autem eius bilis quæ omnino putruit, fit plerunque calidis medicamentis, quæ & morbo, & eius proximæ cauſæ aduerſantur, ſiue detractio hæc fiat deiectione, ſiue ſudore, ſiue vrina, vt ex Gal. patet 11. meth. 10. & 1. Aph. 24. Hinc factum, meo iudicio, vt veteres illi Medici, etiamſi alia quædam proponant auxilia, maiorem tamen ſpem ſalutis, & liberationis ab hac febre collocauerint in miſſione ſanguinis, & frigidæ aquæ potione, quia ſcilicet, quemadmodum miſſio ſanguinis vnà bilem putrem exhaurit, & feruorem febris remittit, ita potio frigidæ feruorem extinguit, quo nomine reddit naturam validiorem ad expellenda queque noxia, ideoque & ſanguinis miſſionem liberaliter factam, & frigidæ aquæ potionem ſubſequi ſolet & alui profluuium, & ſudor multus, vt propterea & febri,
D & cauſæ eius ſimul vtrumque aptetur, licet vbi aquæ frigidæ potione vtimur, ſuperuacaneum videatur mittere ſanguinem, ſicuti cum ſanguinem mittimus, potui aquam frigidam exhibere opus non eſt, vt ex Gal. colligitur. 9. meth. 5. Tantopere verò hac in febre curanda cõmendaui frigidæ potionem, quoniam Gal. ipſe 4. de rat. vict. 12. teſtatur eam in cauſone biliofos humores vel perfectè euacuare, vel extinguere, adeò vt ex innumeris, quibus aquam illam præbuit in tempore opportuno, nullus vnquam obierit, cum ex aduerſo in ſanguinis miſſione vires non parum periclitentur in flauæ bilis redundantia, qua pręſente vires ipſæ non adeo conſtantes eſſe poſſunt, vnde cum large auferri ſanguis nequeat,

aliæ quoque ſignificatæ vacuationes ab eo remedio enaſci minime poterunt. A
Quapropter in frigidæ aquæ potione exhibenda inter alia, quæ neceſſario re-quiruntur, eſt tempus idoneum, quod a Gal. ſtatuitur, poſt quam coctionis notæ, & ſigna apparuerint; ab Auerroe verò quandocunque vrens febris ægrotantis corpus depopulari incipit, vt per eum, quo citius propinatur aqua, eo fęlicior ſuccedat curatio. Vt hæc itaque tantorum virorum controuerſia opinio, ſi poteſt, concilietur, & ſimul oſtendatur Auerroem nihil hac in re excogitaſſe, quod Gal. ipſe prius non ſignificauerit, ſciendum vobis eſt, febrem ardentem duplici ratione conſiderari poſſe, prout ſcilicet vel eſt exquiſite talis, oriturque a pura, ac ſyncera bile in corporibus aridis, & excarnibus, *picrochola* vocant, & quæ denique ſummam, ac inſignem habet ardorem; vel prout non adeo exquiſita exiſtit, quippe quæ fit a bile, cui multum ſit admixtum aquoſæ humiditatis, & B
in ijs, quorum corpora non ſunt adeo ſqualida, & ſicca, & quæ propterea non ita magnũ, ac vehementem præſefert calorem. Nam ſi primum ſit, puto & ego veriſſima eſſe omnia, quæ ab Auerroe traduntur, nec differendum, ſeu procraſtinandum auxilium tam efficax, quia periculum in mora, & præceps valde eſt operandi occaſio, cum ſit peracuta febris, & quæ breui, niſi ei occurratur, aut iugulat ægrotantem, aut certe ad hecticam febrem, atque torridum maraſmum deducit. Si ſecundum, dico quòd rectè, & ſumma cum ratione frigidæ exhibitionem differimus vſque quo notæ concoctionis in humoribus nobis appareant, cum ex non adeo exquiſita febre ardente allata pericula minime impendeant, eo quod in ea ignis valde minor, & materia, in qua accenſus eſt, nec ipſa ita vrens, vtpote aquoſo humore diluta, quæ idcirco, ſi ante coctionis ſigna frigida aqua C
offeratur, craſſior, cõtumaciorque euadet, obſtructiones ingeminabit, & febrem tum longiorem, tum periculoſiorem etiam efficiet. An putatis vos huius doctrinæ ignarum fuiſſe Galenum, vt in eum tam acriter inuehendum eſſet ab Auerroe? Legatis quæſo diligenter, & accurate cap. 5. lib. meth. 9. & cap. 16. in quo præcipue, & expreſsè ni fallor, nobis ſignificat, ſi ſit febris ſummè ardens, & in ſignis caliditatis, ſufficere coctionem mediocrem, non integram; & lib. 10. eiuſdem operis cap. 6. ſatius eſſe ſcribit phlegmonas in præſens augere, quàm ſinere febrem hecticam inuadere. Sic eodem lib. cap. 11. in colliquantibus præcipit quamprimum exhibendam frigidam non expectata coctione. Iuxta eundem ſenſum Gal. ipſe 9. meth. 5. in eriſypelate viſcerum, quod verum, & exquiſitum ſit, cum quo febris valde vrens copulata eſſe ſolet, aquæ frigidæ potionem D
ita commendat, vt non alia ratione ſanari poſſe affirmet, quia in ſyncera bile nullum eſt periculum, vt illa ex frigidæ potione magis cruda euadat, immo potius mitigato, ac retuſo feruore, naturalis calor multo promptius, & facilius concoquit quidquid concoquendum eſt. Prohibetur tamen aquæ frigidæ potus ante coctionis tempus in eriſypelate mixto cum phlegmone, tum quia cum eiuſmodi tumore non copulatur febris ardens, & exquiſita, tum quia ex illa geminatur morbus, quia refrigeratis viſceribus detinetur id, quod expelli deberet. Cogitur enim, ac velut quodam modo coercetur vnà cũ parte phlegmone obſeſſa,

ſiue

V ſiue inflammata. Denique audiatis quæ ſcripta ſunt ab eodem Gal. 6. Epid. com. 4. non longè à fine. *Nam quæ non valde nocent, dare interdum ijs oportet, qui vehementer ipſa concupiſcunt. Sic & ego* (paulo poſt ſubiungit) *multam gelidam aquam dedi in ijs morbis, in quibus poſtridie vſus ipſius conueniret, hoc ſolum gratificatus, quòd non optimum tempus expectauerim.* Quare ſi Gal. vt gratam rem faceret ægrotanti, eique morem gereret, congruum potioni aquæ frigidæ tempus omnino expectare noluit, quantò veriſimilius eſt hoc ipſum ſeruaſſe in febre verè ardente, ex qua, ſi protraheretur auxilium, tabes, & interitus quoque impendebat? Mea igitur ſententia eſt, in verè exquiſita febre ardente, etiam ante coctionis notas, vtiliter frigidam exhiberi, cuius quoque ſententiæ exiſtimo fuiſſe Gal. in iam allatis locis, putoque Auerroem in hac re nihil prorſus boni
B excogitaſſe, quod ex Galeni commentarijs elici etiam non poſſit. Quærebatur à me præterea, an in curando Cauſone, pro putreſcentis bilis expurgatione, vti hodie poſſimus lacte aſinæ cocto, aut eiuſdem ſero, quemadmodum in conſuetudine fuiſſe videmus tempore Hipp. qui in tali febre hoc remedij genus adhibebat, vt patet 4. de rat. vic. in acut. Sæpiſſime oſtendi vobis medicamenta purgantia, quibus vtebatur Hipp. vt plurimum fuiſſe impenſe calida, & acria valde, auctore etiam Galeno 2. aph. 28. & alibi ſæpe, a quibus propterea febres ipſæ non parum exaſperabantur, præſertim ſi de illis ſermo ſit, quæ ex calidorum humorum putredine oriuntur, & de ardentibus maximè, ideoque cenſeo Hippocratem huiuſcemodi medicamenta extimeſcentem ad lac deſcendere voluiſſe, & illud in primis, quod aliorum frigidiſſimum, humidiſſimum, ac de-
C nique tenuiſſimum eſſe non ignoramus, etiamſi nec eidem Hippocrati ignotum eſſet, lac omne febricitantibus nocuum magnopere eſſe; illud tamen exhibuit nomine purgationis, & vt minus noxium purgantibus illis, quibus ipſe vti conſueuerat, quæ propterea etiam damnat non vno in loco, ſi in morbis calidioribus, & canicularibus diebus vſurpentur. Noſtra verò hac tempeſtate, cum ingentem habeamus ſyluam medicamentorum, quæ, ne a re noſtra diſcedamus, calidos, & biliosos humores educunt, nec vlla ex parte corpora febricitantium excalfaciunt, inter quæ primas obtinent ſyrupi, & roſaceus, & violaceus ſolutiui nuncupati, mea ſententia eſt, nullo pacto periclitandum in re non neceſſaria, ideoque vos hortor vt his, vel alijs conſimilibus in febrium curatione vtamini, reliquis, quæ non ſunt adeo tuta, omnino prætermiſſis. Illud equi-
D dem non ſilebo, ſerum lactis, quod ſit optimè præparatum, & ab omni tum caſioſa, tum butyroſa ſubſtantia depuratum, magnopere conuenire in febribus ipſis, præſertim ſi copioſè ſatis offeratur, ita vt non alterantis ſolum, ſed & purgantis rationem habere poſſit. Sic enim videmus laudatum, & vſurpatum fuiſſe ab Hippoc. & ab alijs, & ſic etiam hodie Venetijs, Patauij, & Bononiæ a doctiſſimis illis Medicis præſcribi certò ſcimus. Præparant autem albumine oui, & ſucco limonis, vt aqueam ſubſtantiam in omnibus ferè æmuletur, licet Dioſcoridis tēpeſtate, & Gal. etiam ęuo ita prępararēt, vt cocto iam per oxymel

Hh lacte

lacte vas æneum plenum aquæ frigidæ aſſidue immitteretur, qua de re legatur A
Dioſcorides cap. proprio. Copioſe quin etiam ſiue lac, ſiue ſerum propinandum eſt, quod ſimiliter nos veteres ipſi docuerunt, quos conſtat non minus quàm duodecim cotylas præbuiſſe; Cotyla verò, & hemina idem ſonat, eſtque dimidium ſextarij, quia ſextarius binas capit cotylas, & cotyla decem continet noſtrates vncias. In morbis renum, & veſicæ, dico potiſſimum in vrinæ ardore, & illarum viarum exulceratione, me etiam ſcitote vtrumque in ea doſi, & quantitate non ſemel ægrotantibus vtiliter imperaſſe, ſed in febrium quantumuis ardentium curatione adhuc ita liberaliter vſus minime ſum. Quęſitum etiam à me fuit, an cum ratione imperetur à medicis pro potu in huiuſmodi febre mulſa appellata, qua & Hipp. & Gal. ſimiliter in Cauſone, vt noſtis, vtebantur. Eadem dubitatio viget in aqua hordei, quam Gal. 1. ad Glauc. in quotidiana B
proponit, cum præſertim in hoc ab Auerr. notetur. 7. collig. Quantum itaque ad primum ſpectat, ex eo videtur augeri dubitandi occaſio, quòd Gal. ipſe 4. de rat. vic. com. 8. in febre ardente dicit omnia eſſe fugienda, quæ calefaciendo, & ſiccando febrem intendere poſſunt, vnde merito mellita quæque in febrib. omnibus calidioribus ſuſpecta admodum ſunt. Hinc Gal. ipſe 10. meth. & cap. 9. de Maraſmo dicit extenuatis, & maraſmatis non conuenire mel, quia in corporibus aridis, & febriculoſis facile inflammatur. Attamen, his non obſtantibus, puto & Hippocratem, & Galenum in curatione ardentium febrium mulſa non temere vſos fuiſſe, dum eam ex arte paratam ſimplici aqua multa diluebant, imò & ſumma cum ratione illos huiuſcemodi potionem aquæ frigidæ ſimplici prætuliſſe exiſtimo, quia licet aqua refrigeret inſigniter, ac humectet, hoc nihi- C
lominus habet incommodi, quod frigida omnino cum ſit tarde, ac difficulter penetrat, & diutius hærens in præcordijs a nimio calore in acutis febribus facile vitiatur, ac lædit; ſed ſi aqua mellis copula per coctionem corrigatur, ita vt diluta mulſa remaneat, & ambo inuicem ſint probe mixta, dico quod talis potio conuenientiſſima exiſtit; Nam mel aquam facile, & cito in vniuerſum corpus perducit, aqua verò melli contribuit, vt non facile in bilem tranſeat. Vbi verò Galenus mel damnat, cui dubium ei ſermonem tantummodo eſſe de ſolo melle, non autem de melle aquæ caſtigato, cuiuſmodi eſt mulſa, præſertim quæ fit ex quarta vel quinta parte mellis ad aquam? Romæ hoc tempore, & magis proxime acceſſuro æſtiuo in ampla, & valde magnifica platea ad Agonem, quæ vulgò *Nauona* dicitur, a neſcio quibuſdam conſimilis potio paratur, ibique vena- D
lis quotidie habetur, quam niue refrigeratam ſi quis ſemel abunde hauſerit, totum corpus adeò refrigerari experimento conſtat, vt diu ſine vlla prorſus ſiti, etiam natura ſitibundus, etiam laboribus deditus, perſiſtat. Nos autem hodie, mulſa ipſa relicta, aquam potius hordei vnà cum Iulepo violaceo, aut roſaceo, quod nimirum fit ex aqua violacea, aut roſacea, & ſaccharo ſimul coctis ad ſyrupi conſiſtentiam, vſurpamus. Vtuntur alij ſtillatitijs aquis ex lactuca, vel borragine, vel oxalide, vel vtroque intybo, imitatione fortaſſe magni Auenzoarij,

qui,

A qui,vt videre eſt apud Auer.7.collig.aquam melonis Indi,ſeu Anguriæ,& aliorum quorundam, qui aquam ex cucumeribus præbent. Vos tamen omnibus alijs,me iudice, aquam hordei cum dictis Iulepis anteponetis in febribus omnibus a biliosa materia oriundis, quemadmodum vice verſa,vt alteri ſatisfaciam dubitationi, & quæſito, ſemper ego laudauerim magis mulſam coctam, ſed non ita dilutam, in curandis quotidianis febribus, quàm ſimplicem hordei aquam a Gal. propoſitam; quandoquidem refrigerat nimis, & humectat ventriculum ipſum, qui illa in febre a conſimili intemperie cum materia, de eiuſdem Gal. mente, valde labefactatus eſt, ne dicam quod in quotidiana febre neque ratione morbi, neque ratione cauſæ tanta refrigeratio, & humectatio conuenire videtur, quia calor vrens non eſt, licet fumoſus, vt in lignis viridibus accenſis ap-
B paret, & materia, in qua reſidet frigida, & aquoſa exiſtit, vt propterea mulſa euidenter præferenda ſit aquæ hordei ſimplici, quia ſcilicet mel ventriculum calefacit, ac detergit, pituitam putridam expurgat, ſemiputrem verò concoquit, nec vllam vi ſua calorifica noxam febrientibus infert, quod aqua vnà commixta refracta ſit, & quia Medici hac in febre curanda magis contra cauſam, quàm contra morbum pugnant, & ideo ſum ego quoque cum Auerroe, vt aqua hordei ſimplici hic non vtamur, ſed ſi ea vti velimus, immiſceatur aliquid,quod aliquantiſper ventriculum calefaciat, & detrimenta aquæ emendet, velut apij radicem, quæ mihi valdè magis probatur, quàm maſtix ab Auerroe commendata,nec non etiam aliquàndo piper ipſum, quod cum præcipiat Gal. in tertiana notha,veriſimile quoque ſit in quotidiana tacite nobis ſignificaſſe.
C Tandem aqua modice decocta, vel cum cinnamomo, vel coriandris, vel aniſis, & modico ſaccharo addito in cura quotidianæ magis commendatur ab omnibus, quàm aqua hordei ſimplex; & hæc pro tempore dicta ſint ſatis, vt veſtræ petitioni ſatisfacerem. Quòd ſi vobis nimis breuiter, nec ita ad genium veſtrum hæc a me acta videbuntur, fortaſſe vterque veſtrum potius hac in re notandus, quàm ego, quia in publicis lectionibus ſingula hæc, & multo plura diffuſiſſimè pertractaui. Non enim tam viliter extimeſcendi a vobis erant æſtiui calores, quia nos ſerò inuiſerunt. Amplam de his omnibus fidem faciat honeſtiſſimus teſtis, qui hæc in præſenti manu ſcribit, cuius ingenij, doctrinæ, & animi candoris encomia deſcribere ſuperſedeo, quia notiſſimus vobis eſt, & quia præ modeſtia, atque verecundia plura de ſe, ſuiſque virtutibus à me pro-
D ferri minime patitur; eſt autem Dominus Ioannes Fildæus Hybernus, dignus ſanè,qui a nobis omnibus ardentiſſimo amore diligatur. Valete, & me amate. Datum Romæ Kal. Iulij 1618.

QVÆSITA PRIMARIA QVATVOR IN FEBRIS Quartanę exquiſitę curatione.

I.

An pro ſcopo habenda ſit calefactio, vel refrigeratio.

II.

An victus ratio tenuis, vel plena a principio inſtituenda ſit.

III.

An vomitus pro humoris melancholici, vel cruditatum ventriculi repurgatione præſcribatur. B

IV.

An diuretica a Gal. propoſita conueniant.

Secundaria Decem.

I.

Cur ante morbi conſiſtentiam theriaca, mithridatum, & ſimilia exhiberi non debeant.

II.

Cur chalcanthinus liquor non improbetur. C

III.

Cur initia morborum famem, ſitimque deſiderent.

IV.

An diſſidium Galeni, & Auicennæ de victu vel pleno, vel tenui ex arte Mercurialis componat.

V.

Cur quartanarij ab initio abſque appetitu ſint, poſtea verò famelici fiant.

VI.

Cur diuretica ante ventriculi expiationem ſuſpecta ſint.

VII.

Cur melancholici morbi ſint tam rebelles. D

VIII.

Cur dicat Ariſtot. melancholicos continua egere medicatione.

IX.

Cur melancholia aqua dicatur ab Hippocrate, & melancholici omnes ichoroſo ſanguine ſcateant.

X.

An a liene ad renes, & veſicam ductus pateant, licet eos non cognouerit Galenus.

Ad

A

Ad Ioannem Fildeum Hybernum.

IN curatione legitimæ, & exquiſitæ quartanæ, quam nuper vltimo putridarum febrium loco examinabam non pauca aderant, quæ menti negotium faceſſebant, & quæ ego pro neruis explicare Auditoribus aggreſſus ſum; quibus tamen tu, Fildæe doctiſſime, & ingenioſiſſime, intereſſe minime potuiſti, cum illa ipſa die ad ſeptem Eccleſias extra Vrbem vnà cum multis alijs Hybernis verè pijs, atque Catholicis eundum tibi fuerit. Quare ne huiuſmodi abſentiam a tam iuſta, & pia cauſa enatam ægrè vnquam animo feras, & vt tacito deſiderio, quo flagras, aliqua ſi non omnia,
B prout ſunt enarrata, intelligendi, aliquo modo ſatisfaciam; decreui ad te nunc per epiſtolam mittere ſolutionem quæſitorum quorundam, quæ cum tibi, tum alijs ea legentibus, nec iniucunda, nec inutilia fore confido. Licet enim ex illis quædam ab alijs promota videri poſſint, cum tamen non ita ad meum genium expenſa, ſeu perſoluta ſint, accipe nunc, quæſo, paucis meam de ſingulis ſententiam. Ante quam igitur ad præſidiorum materias deuenirem, poſt nimirum abſolutum ſermonem de natura, & idea huiuſce febris, in qua differentias, & cauſas omnes, veluti ſigna tam diagnoſtica, quàm prognoſtica abunde, vt noſti ex præcedentibus lectionibus, ſum proſecutus, non leuis fuit dubitatio in ſcopis, & intentionibus, quibus ad quartanam oppugnandam medici ſeſe accingere debent. Ex vna etenim parte ſunt, qui ſcriptis, & memoriæ mandarunt curatio-
C nem quartanæ eſſe penè contrariam curæ febris ardentis, cuius opinionis fuit Auerr. 7. Colliget. 14. Nam quemadmodum in curatione cauſi morbum magis ſpectamus, quam materiam, ita è contra in curanda quartana magis incumbimus materiæ ſuperandæ, quàm ipſi febri. atqui refrigerandi ſcopus, qui alijs omnibus in febribus principalis eſſe ſolet, à quartana febre longè abeſſe videtur. Vnde Hippoc. in lib. de loc. in hom. poſt quam dixit, *febrem omnem eſſe refrigerandam*, ſubdit, *præterquam ſi quartana exiſtat*; Sic videmus Gal. 1. ad Glauc. cap. 11. prohibere ſanguinis miſſionem, per quam maximè corpus refrigeratur, niſi ſanguis, qui excernitur, niger ſit, & craſſus, tunc enim audacter mittendum eſſe vult, vt ſanguis ille fæculentus educatur, non vt corpus febricitantis refrigeretur. Idem propterea in victus ratione expreſſis verbis vetat, quæcunque re-
D frigerant, & humectant ſimul, atque coniunctim, vt doctiſſimè explicat Stephanus Athenienſis, cuius interpretatio mihi magis placet, quàm contraria lectio a Leoniceno inuecta, & ſi eam quoque ſecutus eſt Andernacus in vertendo Paulo; imò vinum album, tenue, & moderate calidum, hoc eſt non ita oligophoron imperat, nec non ſalſamenta, ſinapin, diatrion pipereon, dioſpoliticon, quemadmodum frictiones, & obambulationes concedit, & demum etiam exhibet poſt morbi conſiſtentiam medicamentum ex ſucco cyrenaico, quod capit ſucci cyrenaici (quidam volunt eſſe belzoin) myrrhæ troglodyticæ, piperis æquales portiones, quæ ſeorſum trita, rutæ ſucco colliguntur, in

pilulaſque finguntur, & oboli pondere dantur. Quidam tamen ex lib. de rigore A
caſtoreum addunt theriacam pariter, de qua Auerr. c. 3. de Ther. ſcripſit hanc habere prærogatiuam, vt febres quartanas finiat, & nos paſſim Mithridaticam confectionem conſimili de cauſa frequẽtiſſime offerre ſolemus. Accedit his omnibus Ariſtotelis teſtimonium magni a nobis faciendum ſect. 1. probl. pen. vbi tradit, non ſolum exercitia imperanda, & calefacientem victum in quartana inſtituendum, ſed multum quoque ignis accendendum. Iuxta ergo hanc ipſam doctrinam in quartana opus eſſe videtur calefacere, non refrigerare. Ex altera verò parte conſtat Gal. loco ad Glauc. cit. non temerè in quartana ad calefacientia deſcendere, dum piper quotidie dari, niſi cum aqua, vetat, & ſi concedit medicamentum diatrion piperon, & conſimilia, id ſolum facit interpoſitis quibuſdam
diebus, ac inter acceſſiones, quia cum vehementer calfaciant, quotidianum corũ B
vſum minimè ſalutarem eſſe docere nos voluit. Præterea admonet, ne ſub his calidioribus, & ſiccioribus medicamentis augeatur febris, aut exaſperetur humor, in quo illa reſidet, vt patet ex lib. 11. meth. c. 10. & 11. & 1. ad Glauc. 11. Ad hæc ipſemet Gal. 10. meth. c. 10. ſcribit febrem omnem refrigerantia, & madefacientia deſiderare. & Auicenna 1. 4. tract. 2. cap. 64. laudat in quartana cibos refrigerantes, & humectantes. Iccirco nõ deſunt, qui aſſerant febrem hanc mediam quodammodo eſſe inter quotidianam, & tertianam, eo quod in illa magis ad cauſam, quàm ad morbum; in hac verò longè magis ad morbum, quàm ad cauſam reſpicere medici ſoleant; ſed in quartana æqualiter ad vtrumque, aut paulò magis ad vnum, quàm ad alterum. Vt hæc igitur difficultas, quæ pro cu-
ratione ritè inſtituenda, parui facienda non eſt, ex arte perſoluatur, & vna quæ- C
ſito ſatisfiat, ſciendum tibi eſt, quod duplex datur melancholia, ex qua generatur quartana, naturalis, inquam, ac præter naturalis, & naturalis quidem eſt, cuius generatio celebratur in iecinore ex quolibet cibo, ac potu, & tanquam fęx in ſanguine ſubſidet, è qua quod ſuper abundat allicitur à liene, deinde ex liene ad inteſtina, ac venas ani, vt colligitur ex Gal. 2. de nat. facult. c. 9. qui humor melancholicus propriè dicitur; hæc vbi putreſcit, & accenditur, quartanam efficit mitiorem, & quæ ſtatim a principio per ſe incipit, legitimaque exquiſita quartana appellatur; præter naturalis verò eſt, quæ non redundat naturaliter, ſed præter naturæ intentionem, & fit per vſtionem aliorum humorum, vt ſanguinis, flauæ bilis, pituitæ, & humoris melancholici naturalis, & hæc propriè atra
bilis eſt, vt ait Gal. ibid. & lib. de atra bile c. vlt. licèt his vocibus aliquando abu- D
tantur medici, a qua quidem præternaturali melancholia prouenit alia quartana quæ grauior eſſe ſolet, alijſque ſuccedit, & potiſſimum vagis, atque inordinatis, vt conſtat ex Gal. 1. ad Glauc. 6. & ex Hipp. & Gal. ſimul 3. progn. 27. Inſuper non ignorandum poſſe a nobis conſiderari quartanam febrem, vel tempore paroxymorum, vel tempore intermedio, nec non vel ante vniuerſalem morbi ſtatum, vel eo iam peracto, & notis coctionis manifeſtè apparentibus; Iuxta enim harum rerum omnium conſiderationem puto ego varijs ſcopis, & intentionibus aduerſus febrem hanc pugnandum a medicis eſſe, auctoreſque ſi rectè

intelligantur, non adeò inter ſeſe differre, cum ex illis quidam refrigerantibus,
& humectantibus, quidam verò alij calfacientibus, & extenuantibus vtendum
eſſe præcipiunt: In quartana ſi quidem merè exquiſita, & legitimè tali præter
quàm in die acceſſionis, in qua a valde calefacientibus abſtinendum omnino
eſt, quis non videt omni ſedula opera incumbendum eſſe in cauſam, per ea, quæ
incidunt, attenuant, rarefaciunt, ac moderate calfaciunt; ſic namque poſtulant
obſtructio, & natura humoris obſtruentis, qui viſcidus, craſſus, terreſtris, & fri-
gidus eſt. Ante ſtatum verò morbi, & ſigna cōcoctionis impenſe calida, & mul-
tum extenuantia vitare debemus, quia adhuc corpus copioſis ſcatet crudis hu-
moribus, ne illud eueniat, quod Eudemo peripatetico contigiſſe refert Gal. de
præcogn. ad Poſthumum, culpa & vitio medicorum quorundam Romanorum,
B qui talia medicamenta intempeſtiuè exhibuerunt; Vnde idē Gal. 1. ad Glauc. 11.
qui, inquit, *per initia aliquod ex his medicamētis dederunt, aut omnino ante morbi ſta-
tum, ex ſimplici quartana duplicem ſæpè, aut ſine dubio maiorem, ac difficiliorem, ex
duplici verò triplicem, aut omnino duas ipſas difficiliores, ac maiores reddiderunt. No-
ui enim medicum quendam, qui tribus quartanis laboranti, medicamentum ex viperis
ante morbi vigorem dare ſit auſus, deinde omnibus, vt par erat, adauctis, aſſidua fe-
bris ſucceſſit, quæ hominem iugulauit.* Colligant hinc obſecro nonnulli quàm re-
ctè in febribus & in natura bilioſis theriacen, quæ recens non ſit, & mithridatiū
imperent, & alij quidam è ſchola iatrochymica, quàm ex artè chalcanthino li-
quore in febribus omnibus adeò promptè vtantur, licet hoc ad Gal. mentem ſe
facere idiotis imponant, qui vno, & altero Gal. loco in medium allato, ac ſuper-
C ficiatenus intellecto, veterem, ſolidamque medendi rationem nouis quibuſdam
principijs, ſulphure, ſale, & mercurio, iam a multo tempore ab Eraſto, Riolano,
& alijs non paucis vndequaque reiectis, coinquinare auſi ſunt. Hic certè, vt ali-
bi dixi, ſpiritus vitrioli portiunculā concedi poſſe non negauerim, ad extenuan-
dum magis, atque diſſipandum melancholicum humorem frigidum, & ſiccum,
quæcunque enim frigida, & ſicca ſunt, a calidis, & ſiccis tenuibus diſſoluuntur,
vt inter metalla in auro, & argento cernitur, quæ non calente aqua, ſed igne, qui
eſt calidus, & ſiccus, renuiumque partium diſſolui ſolent, dummodo eo tempore
Chymicum medicamentum vſurpetur, quo Gal. docebat, loquens de theriaca,
& alijs, quæ ab ipſo præſcribantur, non vt concoquentia, aut præparantia, ſed
vt melancholici humoris reliquias diſſipantia, ac inſenſibiliter vacuātia, quam
D rem ſi animaduertiſſet Alexandei non tam facilè, temereque inuectus eſſet in
Gal. Eadem prorſus ratione contulit tibi copioſa aquæ ardentis potio, quam in
tua quartana annua ſumpſiſti, poſt quam aſſeris nulla amplius acceſſione fuiſſe
vexatum; præſertim cum tibi ab ea ſuperuenerit maximus vomitus, & ſudor co-
pioſiſſimus. In altera quartana, quæ legitima non eſt, ſed notha, & ſpuria cum
proficiſcatur a melancholia aduſta, in eaque calor magis acris vehemens ſit, vri-
næ coloratiores, pulſuſque majores, ac frequentiores, & in qua demum ægro-
tantes euidentius periclitantur, nemo non nouit refrigerandum a nobis eſſe, &
nullo pacto calfaciendum, ideoque de hac ipſa intelligendum Auicennam cum

refri-

refrigerantes cibos laudat in quartana, de altera vero Hippocratem, Gal. Ariſt. A
& Auer. cum potius calfaciendum, quam refrigerandum eſſe conſulunt, quorũ
conſilium amplectendum cenſeo, præterquam in die acceſſionis quo ad morbũ
magis, quam ad cauſam ſpectandum omnino eſt, præſertim ſi intenſa valde ſit
febris, & in qua calor percipiatur, vt in ignito ferro perſentiri ſolet; Cauendum
nihilominus hoc in loco, ne quæ dantur ad febrem ſanandam, augeant cauſam,
velut cum adhibentur ea, quæ ad cauſam euincendã pertinent, exaſperent mor
bum, ſeu febrem ipſam. Id ipſum verò diligenter attendant quicumque pro ri-
gore quartanæ, vel impendente, vel iã præſente abolendo, præter olea impenſe
calida, atque tenuia, quibus vniuerſa ſpina, ſcapulæ, & brachia liniuntur, intus
etiam, præcalida medicamenta exhibent, poſt quæ etiam ſi rigor miteſcit, febris
nihilominus inde non raro magis augetur. Non deſunt tamen qui in media fe- B
bre, cum alia, tum ſuccum ſaluiæ cum vino Græco fœliciſsime ſe exhibuiſſe te-
ſtantur, poſt morbi ſcilicet conſiſtentiam. Poſthæc itaque in hunc vel conſi-
milem modum diſcuſſa, contuli me illico ad fontem diętecticum, in quo plura,
& ea quidem perpulchra examinata fuerunt, in quibus veteres, & recentiores
etiam inter ſe ſe parum conuenire videbantur, è quibus illud te minime latere
volo, quod ad cibum ritè inſtituendum in quartanis, maximopere facit; An
ſcilicet a principio huius febris victu tenui ægri ſuſtindi ſint, an pleno nu-
triendi; Nam Galen. quem Oribaſius, Paulus, Aetius, & alij inſequuntur,
manifeſte fatẽtur nullo pacto ante morbi vigorem vtendum eſſe tenui victu;
vnde, & Ariſt. ſect. 1. probl. penult. *Quartanis*, inquit, *febribus ratio victus exte-
nuanda non eſt*; Præterea cui non patet illa Hipp. lex perpetua, in morbis longis C
nunquam ab initio victum tenuem vſurpandum? cui & ratio a natura rei de-
prompta adſtipulatur, quoniam ſcilicet quemadmodum iter longum peractu-
ris validæ, ac firmæ ſint ſemper vires oportet, ita in diuturnis morbis accurate
proſpiciendum, ne vires a principio reddantur languidæ, quia in medio itinere
concident. Contra tamen habemus axioma illud Celſi; *Initia morborum primum*
famem, ſitimque deſiderant. nam reuera in morbis omnibus victus tenuitate mor
bificus humor iminuitur, & conſequenter morbus leuior, imo & breuior eua-
dit, eo quod in tenui victu peccans materia multo citius concoquitur, quam in
pleno. Deinde ſcimus omnes quartana detentos a morbi principio appetitum
habere maxime diſiectum, ante quam præcipue ad ventriculi fundum melan-
cholicus humor a liene tranſmittatur, cum ratione intemperiei febrilis, tum pa- D
riter ob copiam, & redundãtiam crudorum ſuccorum, quibus & quartanarij, &
melancholici omnes in ventriculo, & prioribus illis vijs abundant, quæ crudita-
tes quo tenuior cibus offertur, eo promptius, & citius abſumuntur, veluti ſi
plenior, inde magis augentur, & ad venoſum genus demiſſæ, obſtructiones in-
geminant, ac febrem deteriorem efficiunt. Quinimo ad hoc reſpiciẽs Auic. fen.
1. 4. cap. 63. & 64. præceptum hac de re ponit, quod Gal. doctrinæ clariſſime
aduerſatur. Vult enim vt vſque ad tertiam ſeptimanam victus ratio prætenuis
Inſtituatur, vnde iubet abſtinẽtiam a carne, & a cibis vnctuoſis, ſeu pinguibus;

vtpote

A vtpote multum nutrientibus, tranſactis vero his tribus hebdomadis cenſet quartanarios alendos eſſe vberius; Mercurialis ad hanc diuerſitatem tollendam duplex ſcribit eſſe quartanæ principium, aliud breue, quod primis paroxiſmis terminatur, aliud, quod concluditur terminis cruditatis, & coctionis, & longiſſimũ eſſe ſolet addens Auicennam, ſi primo modo accipiatur principium, recte imperare victum tenuem ab initio quartanæ, ſed ſi ſecundo modo, valde melius ſentire Gal. & alios, dum in hoc principio dicunt minime expedire victum tenuem; veruntamen huic reſponſo acquieſcere minime poſſum quoniam quartana febris legitime, & exquiſita longiſſima eſſe ſolet 1. epid. com. 3. t. 4. quod ſi quis dixerit Hipp. in lib. de carnibus ad finem memoriæ traduũ reliquiſſe, quartanam febrem duabus hebdomadis iudicari, & 2. aph. 25. æſtiuas quartanas breues nuncupare, concedam & ego quamlibenter, ſed cum rariſſime hoc eueniat in ea de qua ſermo, & vnicuique vel rudi in arte verſato abunde conſtet in morbo, qui cito ſua tempora permeat, nulla ratione conuenire victum liberalẽ, ſed omnino parcum, nunquam putauerim ad hoc ipſum ſolum in eo præcepto tradendo reſpexiſſe Auicennam. Accedit, quod Auic nõ loquitur de huiuſmodi quartanis quę paucis terminantur paroxiſmis, vt clare ex eo colligitur, quod ſubiungit, poſt tres ſeptimanas pleniori cibo nutriendos eſſe quartanarios, ita, vt expreſſe velit in quartana de qua ſermo, a principio tenui omnino victu eſſe vtendum, non pleno, & copioſo, vt habet Gal. Quamobrẽ dicatur potius, ſi nos propriam rationem, & indicationes ſpectemus, quæ a temporibus morborum accipiuntur, ita eſſe agendum, vt conſulit Gal. ipſe; verum ſi ad aliquod aliud, C quod coniunctum ſit, reſpiciamus, quodque propriam quandam habeat indicationem, quæ priorem ex morbo deſumptam obſcuret, profecto debemus rationem, ſi non vndique aliqua ſaltem ex parte immutare; fere enim ſemper a principio quartanæ, veluti cuiuſcunque affectus melancholici prima vocata regio plurimis ſcatere ſolet crudioribus excrementis ex mala concoctione ventriculi, qui in illis frigidus eſt; vnde inter initia cogi videtur medicus tenuem victum præſcribere, vt interim coquantur, ac debellentur cruditates, a quibus ventriculus leuatus rectius proprio fungitur officio, qua re præſtita, poſſumus victus rationem inſtituere prout tẽpus, & natura morbi poſtulare videtur. Ex quibus clare cernitur, quomodo victus ratio, & plena, vt ait Galen. & tenuis, vt habet Auicen. in quartana ab initio adminiſtrari poſsit. Vbi enim curans medicus cognouerit multas latitare cruditates, quæ abſumi vndique debeant, antequam morbum adaugeant, tunc ab eo cibus tenuis eo vſque præſcribatur, quo maiori ex parte deuictas a calore, & conſumptas ieiunio aſſequetur; poſtea vero vſque ad conſiſtentiã morbi pleniorem cibũ imperet, vt viros in illud vſq; tempus ferendo oneri ſufficere valeant. Poſt huiuſmodi ſolutum quæſitũ, mox (cũ paucis Chyrurgicum fontem abſoluerimus) ad Pharmaceuticum ventum eſt in quo primum multis cum rationibus, tum auctoritatibus probatum fuit, quartanam a principio leniter eſſe tractandam, vt Gal. præcipit 1. ad Glauc. & male agere medicos illos recentiores, qui nonnullas è veteribus inſequentes, contra Gal. mentem

mentem quartam laborantibus ſtatim a morbi principio valida medicamenta A
purgantia exhibent, cum ſat ſit ab initio lenire aluum, vt ait Celſus, & ventricu
lum, inteſtina, omneſque priores illas vias ab excrementis, & cruditatibus ven-
dicare, deinceps quomodo, & per quæ facienda ſit melancholicis humoris præ-
paratio, dilucide aperui; tandem poſt purgantia multa cum ſimplicia, tum com-
poſita in tyronum gratia relata, ad duo in primis expendenda me contuli, quæ
pro expurgando humore melancholico in quartana Gal. & alij veteres, & nos
etiam hodie vti conſueuimus præter illa, quæ inſenſibiliter ſolum euacuãt, quæ
a me nunc prætermittuntur, licet tunc in illorum vſu Galenum a Tralliani re-
prehenſione tueri pro viribus ſtuduerim. Sunt autem duo illa, diuretica nun-
cupata, vomitũ cientia. An ſcilicet, vt a poſtremo incipiam, pro purgandis quar
tanarijs prouocantia vomitum vtiliter imperentur, a Gal fit, vt alijs Græcis om- B
nibus, & ab Auic. Ratio de hoc dubitandi oritur ex eo, quod Gal in lib. quos, &
quando purgare oportet, docet flauam bilem per ſuperiora, pituitam per infe-
riora purgandam eſſe, niſi interdum contrarium agere neceſſe ſit, vt ſi pituita
in ventriculo, & bilis in inteſtinis reperiatur; atram vero bilem perpetuo vult
per inferiora eſſe deturbandam, cauſamque affert idem Gal. 4. aphor. 9. vbi &
Hippocrat. ante Gal. dixerat bilem per ſuperiora, melancholiam per inferiora
eſſe euacuandam, quia nimirum melancholia ſuapte natura humor grauis eſt,
ideoque multo fęlicius per infernas, quam per ſupernas partes eijcitur. Mercu-
rialis, & Maſſaria ambo noſtri æui medici quam clariſs. & quos ego aliquando
audiui, & ante ipſos alij quoque olfecere hanc difficultatem, quam pariter iuxta
proprium ſenſum enodare aggreſsi ſunt; ſed quia eorum ſolutio mihi vt libere C
dicam, non arridet, idcirco liceat nunc mihi quoque meam in medium afferre.
Prius tamen audiamus Mercurialem, qui ita reſpondendum iudicat, *vomitum
exerceri poße propter duos fines, vel vt euacuetur humor melãcholicus iam factus, qui
eſt auctor febris immediatus, vel vt euacuentur humores crudi, qui exiſtentes in ven-
triculo copioſi, & primis vijs ſolent eße fomites, & veluti nutrimenta humoris melan
cholici. Si primo modo loquamur, certe non cõuenit uomitus, quandoquidẽ humor melan-
cholicus nõ euacuatur uomitu; ſed ſi loquamur ſecundo modo, plane conuenit uomitus, eo
quia uomitu euacuantur crudi ſucci, quibus euacuatis, cõſequẽter ſubtrahitur pabulũ, et
fomentũ melãcholiæ.* Maſſaria ſimiliter apertè ſcribit *uomitũ conuenire nõ ratione hu
moris melãcholici, qui ſemper cõmodius per inferiora purgatur, ſed ratione pituitæ, quã
& propter diuturnitatem morbi, & propter vẽtriculi facultatẽ labefactatam copioſam D
in quartanarijs eße* dicit, addens *ex pituitæ euacuatione, licet id primo, et per ſe nõ fiat,
febrem quartanam ſolere iuuari, & quandoque etiam auferri;* ideoque vult vbi quis
voluerit in quartana vomitum prouocare ab elleboro, & omni validiore medi-
camento ei penitus abſtinendum, & facilioribus tantum agendum id eſſe. At-
tamen in alia ego ſum ſententia, quia ſi quis intimius Galeni mentem expen-
derit, facile cognoſcet, eum de vacuatione humoris melancholici, a quo febris
quartana prouenit, ſermonem habere. Proponit enim eius purgationem multis
modis, & per plures partes faciendam, quia ſi ad cutim vergat, laudat frictiones,

ſi ad

A ſi ad ſtomachum vomitiones,ſi ad aluum,fortem purgationem,velut eam quæ in venis, per vrinas debere vacuari admonet, docens nos diuerſos purgādi modos,variaſque partes, quibus repurgari ille humor poſſit, prout in vna magis, quam in alia abundat parte,& prout ad hanc,non ad illam tēdere videtur. A liene autem vbi fomes,& minera huius febris,per patentem ductum (de quo tamē ambigitur,cum Auicenna velit eſſe venam ſtephanicam,ſeu coronariam dictā, & Gal.in lib. de vſu partium vas dicat eſſe breue, ſeu venoſum a ſummo prope lienem ramo ad ventriculi fundum protenſum) humorem melancholicum,cuius metropolis lien eſt, tranſmitti ad ipſum vētriculum, vbi maxime progreſſo morbo iam multū extenuatus fuerit,& natura ſuperior,nemo puto inficias ibit. Ex hoc velim obiter intelligas alterius quæſiti ſolutionem, quoniam & quæ ab
B alijs affertur mihi non vndique placet,vtpote nimis communis,& quæ non tam quartanæ,quam quotidianæ etiam febri conuenire poteſt;ex qua nimirum cauſa in quartana appetitus ab initio diminutus ſit,& poſt initium maximus,vt experimento conſtat,& docuit Hipp.7.epid.exemplo Oneſia nacti, & Polychari; reſpondetur enim a Mercuriali, & aliis, quia initio ventriculus oppletus eſt pituita,quæ appetitum hebetat,& quia conſumpta,progreſſu febris,appetitus excitatur; Verum huiuſce rei vera cauſa, ni fallor, eſt, quia progrediente quartana, humor melancholicus, qui iam incipit a natura expelli,a liene in vētriculū reijcitur,qui cum auſterus ſit,& frigidus adſtringendo,& corrugādo ventriculi os, appetētiam excitat; quæ torpet ante commeatum humoris, propter cauſas non ita ſupra allatas; ex ſola enim pituitoſorum ſuccorum conſumptione anorexia
C quidē ceſſaret,ſed non tā magna excitaretur appetentia. Quapropter puto ego Gal.imperare ea,quæ vomitum prouocant in quartana,vt per os quoq; melancholici humoris febrem producentis portio extra feratur, ideoque ad validum, etiam vomitorium ex veratro albo deuenit, quod forte nimis alieni videri poſſet, ſi de expurgandis ſolum humoribus pituitoſis in ventre contentis intelligi vellet. Addamus, quod ſi Gal ad expurgandas tantum vētriculi cruditates vomitorium in quartana imperaſſet, multo ante morbi ſtatum id feciſſet, nec coctionis notas expectaſſet. Præterea id factum ab eo eſſet, ante quam diuretica præſcriberet,non poſt, quia cum diuretica calida ſint, tenuiumque partiū, ideo non prius ſunt adhibenda,quam prima regio dicta excrementis vndique expiata ſit, ne ſecum illa rapiant,obſtructionemque augeant. Confirmat noſtram
D ſententiam quod ſubiungit Gal eos,qui ad vomitum nō ſunt idonei,quales qui preſſo,anguſtoque ſunt pectore quique vomere non conſueuerunt, vehementius per inferiora purgandos eſſe,ſupplendumq; per infernum ventrem, quod per vomitiones negatum eſt. Nam & hæc clare indicant ipſum ad humorem melancholicum reſpicere,non ad crudos primarum viarum ſuccos, quem pariter humorem deorſum ſemper ducendum eſſe vult,iuxta id quod ſupra ex eo,& Hipp.oſtenſum fuit,niſi tamen adeo feratur, quia tūc quo natura vergit,eo deducere oportet, quod miror non animaduertiſſe viros Clariſſimos. Ad id vero, quod obijci poſſet, quartanarios multos liberari vomitibus pituitoſis non melancho-

lancholicis, ſic enim ſenſui apparent, dicerem melancholicum humorem modi- A
cum cũ copioſa pituita in ventriculo ſtabulante commiſceri, ab eaque dilui ma-
gis, & propterea nobis occultari, vel etiam quia materiæ pituitoſæ ad venas de-
ſcendentes, aut ad focum putredinis in quartanis obſtructiones ingeminant,
ideoque vbi educuntur, in cauſa ſunt, vt febris citius terminetur.

Præter vomitum cientia Gal. proponit diuretica, quibus melancholicus hu-
mor in venis exiſtens per, vrinam mouentia vacuetur, in quo medicamenti ge-
nere anceps diu, multumque fui, quoniam iam ſupra, cum de difficultate cura-
tionis quartanæ loquebamur, oſtenſum eſt humorẽ melancholicum, a quo hæc
febris prouenit, eſſe omnino rebellem, atque contumacẽ, non alia de cauſa, niſi
quia craſſus eſt, viſcidus, & tardus, ita vt vix moueat naturam ad ſui expulſionẽ;
Vnde etiam Plato in Timæo affirmabat morbos omnes, qui fiunt a tali humore, B
quem terræ nomine vocare ſolitus eſt, curatu difficillimos eſſe, & quanto magis
irritantur medicamentis, tanto fieri deteriores; Hoc etenim eſſe dicebamus pe-
rinde, ac proritate crabrones, & quod Ariſt. 7. ethic. ad finem dixit *melancholicos
continua indigere medicatione*, intelligendum potius de analeptica, & ſubſtãtifica
curatione, per quam melancholicorum corpora madefiant, ac inſtaurentur,
quia frigidi, & ſicci ſunt, quã de ea, quæ per purgatoria fit medicamẽta; quam-
uis reuera in affectibus a melancholia pendentibus, & in quartana ipſa, vt ex
Gal. patet loco toties citato, medicamentis melanogogis non ſemel, ſed ſub-
inde, & ſæpius purgare oporteat cum humor ſit tractui admodum contumax,
& quem ſemel totum medicamen educere non poteſt, niſi tam vehemens fo-
ret, quod corpus ſuſtinere neutiquam poſſet. Accedit quod ab humore melan- C
cholico tanquam omnium deterrimo, melancholica corpora continuo mor-
deantur, & quod ij, qui melancholico morbo detinentur in vehementi ſunt ap-
petitione. Id ipſum non modo Galen. ſed alij Græci omnes, & Arabes non
rarò in ſuis monumentis annotarunt, quo forſitan etiam reſpexiſſe Ariſtote-
lem in Ethicis aliquis contendat. Hic humor igitur terreſtris omnino eſt, &
medicamentis eum purgantibus difficillime cedens, ideo quomodo per diure-
tica ad vrinæ vias deduci queat vix percipio; prætetea, & a Galen. & alijs ſedes
primaria, quæ laborat, ſeu in qua focus viget in quartana, lien ſtatuitur, ſed
a liene ad renes nulla eſt via, vt docet Galen. 13. meth. cap. 17. ergo ſuperua-
caneum videtur tentare euacuationem melancholiæ per diuretica. Contra,
habemus hoc in loco Galen. diuretica vſurpantem, & Hipp. ipſum, qui in lib. D
de internis affect. docens curari lienoſos, iubet vti diureticis, qui pariter 2.
Epid. ſect. 2. & 3. hiſtoriam refert Bionis cuiuſdam, qui a tumore lienis copio-
ſa vrina liberatus eſt; Ita non deſunt è neotericis viri fide digni, qui ſpleneticos
quam plurimos vrinarum nigrarum profuſione ſanatos obſeruarunt. Facit ad
hoc, quod idem Hippocr. 6. epd. ſect. 2. in pauidis, ſeu melancholicis ſangui-
nem ichoroſum eſſe tradit, & poſt eum Ariſtoteles dilutum vocat ſect. 9. probl.
5. Confirmatur id totum ex eo, quod Hippocr. melancholiam aquam vocat 4.
de morbis, & lib. de genitura. Sic quartanarij copioſiſſime ſudant, ita vt etiam

per

A per ſudores quam ſæpe a febre liberentur, ut contigit 2. epid. Hypoſtrato cuidam quartanario, meiunt, & iugiter expuunt, ac tyeleſmum patiuntur, vt alij fer me omnes melancholici. Si vero melancholicus humor ſeroſus, ac dilutus eſt, cur morbi ab eo tam euratu rebelles, quorſum medicis in eo præparando tam diu inſudant, cur non ſtatim a principio euacuatur, iuxta illud Oribaſij: tenues, & aquoſos humores a principio vacua, in craſſis vero concoctionem expecta? Sed quomodo per vrinas, ſi a liene, vbi potiſſimum reſidet, ad renes, & veſicam nullus per Gal. euidens ductus eſt? Ex altera parte, ſi terreſtris, ſi craſſus, & veſcidus, quam ob cauſam aquæ nomine inſignitur, vnde tam copioſa, tenuia, & liquida excrementa, ſudores, inquam, vrinæ, & ſaliuationes in melancholicis omnibus, & demum qua nam ratione tam prompte per vias vrinæ talis hu-

B mor expurgatur? Dico itaque quod melancholicus humor dubio procul frigidus eſt, ſiccus, craſſus, terreſtriſque comparatione cum reliquis facta, non tamen obliuiſci debemus, & illum quoque humorem eſſe, quo nomine ſolum oſtenditur, & ipſum inter fluida, & liquida haberi oportere atque eo magis, quo fuerit per alterantia varia, præſertim per vere diuretica, quæ calida ſunt tenuia, & odorata etiam per Ariſtotelem in probl. attenuatus, & diſſolutus. Accedit quod, cum melancholicus iſte humor præ ſua cum frigiditate, tum ſiccitate infenſus admodum ſit natiuo calori, & facultatibus omnibus noſtri corporis, & prædominante, cunctarum partium, ſed præcipue naturalium, vt lienis, ventriculi, hepatis, & vicinarum calor inſitus exſoluitur, quo diſiecto, cruditatum, & aquarum maximus prouentus inſurgit: caput quoque eorum, qui febre quar

C tana laborant, copioſiſſimis ſcatere ſolet humiditatibus, ob eamdem rationem. Ideo videmus Hippocrat. lib. 2. de morb. tantopere ſollicitum de hoc membro purgando etiam in quartana. Qua propter ſcias velim, dilectiſſime Ioannes, ſumma cum ratione ab Hippocrat. Galen. & alijs, non ſolum in quartanis, ſed etiam in lienoſis, & melancholicis omnibus diuretica imperari, idque non tantum ad cauſam antecedentem, hoc eſt ad aquoſos humores, quibus ex accidenti melancholici abũdant, euacuandos, verum quoq; pro educendo humore ipſo melancholico, vbi maxime poſt varia concoquentia, & præparantia medicamenta non amplius adeo craſſus, viſcidus, ac terreſtris fuerit, ſed magis attenuatus, ac ſubtilis redditus, qui propterea hydragogis, etiam, ſiue diuretica ſint, ſiue hydrotica facile obediens expurgetur. Verum ſi per Galen. nullus

D ductus, nulla manifeſta via apparet, qua humor melancholicus, aut quiuis alius cum eo miſtus a liene ad vrinę canales tranſire poſſit, cur a Galen. ipſo diuretica præſcribuntur? Reſpondent aliqui in arte clariſs. de quorum cenſu & ipſe eſt Mercurialis, quia magnus Hippocrat. in lib. de alimento, & 6. epid. dicere ſolebat naturam doctiſſimam eſſe, & ſibi ipſi ſecretas vias parare, & inuenire, quia alibi quoque ſcripſit, & præſertim in libr. de alimento, omnia corporis noſtri conſpirabilia eſſe; vnde & ſi Gal. dixit non eſſe vias manifeſtas a liene ad veſicam, nihilo tamen ſunt ſecretæ viæ, & ſoli naturæ cognitæ. Alio etiam modo reſpondent diuretica exhiberi ad euacuandam non materiam con-

iunctam, quæ, vt dicebamus, in lienis venis maxime ſtabulatur, ſed antecedentem, hoc eſt eos humores, qui alioquin fouerent, & augerent lienis tumorem; nam cum ſanguis lienis, & melancholicus ſit ichoroſus, & dilutus, nemo dubitat diuretica expurgare huiuſmodi humorem ſeroſum; attamen ego puto a Galen. imperari diuretica ob materiam potius coniunctam, quam ob aliam, & quamuis ei cognita adhuc via non eſſet a liene ad renes, cum tamen copioſis vrinis expurgari, imo & ſanari quartanarios obſeruaret, ideo medicamenta diuretica, per quæ humor melancholicus, tam in lienis quam in aliarum corporis partium venis exiſtens ad veſicæ vias deduceretur, probe admodum præſcribebat; Noſtri vero ſeculi Anatomici celeberrimi ductus, per quos ad renes, & veſicam excluditur talis humor, adinuenere, & relicta nunc via illa, quæ eſt a liene ad portam, ab hac ad cauam, a caua per emulgentes ad renes, quod iter longiſſimum eſt, expurgationem hanc per arterias fieri malunt, ſic enim breuiore ductu, & patentiore a liene ad emulgentem arteriam vacuari poteſt humor in liene contentus. Roboratur hoc ipſum ex eo quod empyicorum pariter, pleuriticorum, & peripneumonicorum pus per arterias vacuatur, non per venas, & in arterijs plus ſeri, quam in venis reperitur. Vnde emulgentes arteriæ inſigniores conſtructæ fuerunt a natura, quam vt ſolum vitalem ſpiritum deferrent, vt ſcilicet ſerum quoque in arterijs contentum expurgarent in renes, quemadmodum Galeni etiam teſtimonio comprobat oculatiſsimus Anatomicus Andreas Laurentius. Hæc occurrebant, mi Fildęe, quæ tibi in quartana, & eius curatione exararem, antequam ex Vrbe diſcedas in patriam; nam reliqua præſens abunde intellexiſti. Tu cum febrem hanc alias diu perpeſſus fueris, fortaſſe in poſterum ab illa ſemper immunis deges, propter rationes in Gymnaſio adductas; caue ergo tibi potius a ſpuria, & illegitima, ad quam illæ non pertinent. Et hæc omnia, qualiacunque ſint, in vltimam, & extremam vſque Thulen deferto, & in Inſulam vitæ vocatam, tanquam meę in tuas animi dotes admirandas non ſane minus, quam adamandas propenſæ voluntatis perpetuum nemoſinon. Vale. Dat. Romæ die 8. Iulij. 1618.

A

QVÆSITA PRIMARIA TRIA IN IVVENE Bononienſe vitiatam itionis formam habente, vna cum curatione.

I.

An ſi hic iuuenis matrimonio cum ſecunda muliere iungatur, motus progreſſiui deprauati ſigillum, & imbecillarum partium caracterem in filiorum membris per ſemen impreſſurus ſit.

B

II.

An ex matrimonio ipſe maiorem læſionem, maioremque in eundo turpitudinem ſit ſubiturus.

III.

An ſi tale impendeat geminatum periculum, aliqua ratione parens præſeruari, & a prole hæreditarium vitium longe arceri poſſit.

Secundaria Septem.

I.

C *Cur melancholici tot abundent humiditatibus.*

II.

Cur pars aliqua robuſta, aut infirma euadat.

III.

Cur plerunque filij morboſi a morboſis parentibus, & aliquando robuſti a parentibus debilibus gignantur, & è contra.

IV.

An frequens ad Venerem ſtimulus ſeminis arguat bonitatem.

V.

Cur venus capiti, ventriculo, & artubus infenſa ſit.

VI.

D *An hic vinum album, aut rubrum potius conueniat.*

VII.

An quæ ad concubitum valde ſtimulant hic locum habeant.

Ad clariſsimos viros Guidum Monticellum, & Io. Fabritium Barto-lettum Medicos Bononienſes.

QVæſita per epiſtolam a vobis (clariſſimi viri) eleganter deſcripta,
& adunguem perſoluta, non ingenij, aut doctrinæ oſtentandæ
gratia, ſed vt nobili iuueni non vndequaque bene valenti, & pro-
li ſimul ab eo, ſi fęcundam mulierem in vxorem duxerit, oriundæ
opem medicam, atque ſuppetias feratis, & vna quaſi fidelia duos
parietes dealbetis, ne ſcilicet parens ex frequentiori concubitu decidat in dete-
rius, & futura ſoboles a paterno ſemine labe aliqua potentiali commaculato ad
congeneres affectus ſentiendos [illegible] iure veluti hæreditario acquirat, B
quemadmodum ſcitu pulchra, & iucunda ſunt, ita ſolutu ardua, & per quam dif-
ficilia mihi eſſent, niſi ante ſtrata vbique, & peruia vndique facta foret via a vi-
ris doctiſſimis, a quibus in primis in ipſo ſcribendi limine tam male affecti cor-
poris, quam ipſiuſmet affectus natura ad viuum delineatur. Ab his enim ſolis,
vel præcipuis rebus, nemo eſt tam ruditer in Arte verſatus, qui neſciat, ſingula
quæque ad diagnoſin, therapeuticem, ac prophylacticen ſpectantia facillime
hauriri. Hoc ſiquidem eſt, quod ab Hipp. de loc. in Hom. proditum legitur.
Naturam corporis eſſe Artis principium; & lib. de Arte. *Medicus qui ſuffecerit ad co-
gnoſcendum, idem ſufficiet ad ſanandum*; A quo & celebratiſſimum illud Galen.
ex 3. methodi 7. emanaſſe crediderim; *Ego ſi cuiuſque priuatim naturam explorare
ad vnguem ſcirem, utique qualem fuiſſe Eſculapium mente concipio, talem me eſſe pu-* C
tauerim; & quod millies ſcripſit, affectuum cognitionem eorundem curationem
anteire debere, quippe quia ex illa remediorum materia elicitur, vt idem ait 1.
de alim. facul. 1. Verum ad rem ipſam deſcendamus. Proponitur ergo iuuenis ęta
tis annorum octo ſupra viginti, habitus potius gracilis, ac temperamenti me-
lancholici, cum pituitæ ſubdominio, qui a ſui fere natalis ortu fęmorum, atque
tibiarum ad voluntarium edendum motum laborat imbecillitate, quique licet
nulla in artubus ipſis appareat manifeſte vitiata conformatio, vitiatam nihilo-
minus habet itionis formam. Vnde inquirendi, ac dubitandi ſimul occaſio na-
ſcitur: An, ſi iuuenis iſte cũ non infęcunda muliere iungatur, figuræ motus pro-
greſſiui deprauatæ ſigillum, ac imbecillarum partium caracterem in filiorum
membris per ſemen impreſſurus ſit. Deinceps, an ex matrimonio ob veneris mẽ D
ſam frequentius adeundam, ipſe maiorem lęſionem, maioremque in eundo tur
pitudinem ſit habiturus: demum, an, ſi tale impẽdeat geminatum periculũ, mo-
do aliquo parens præſeruari, & in prole hæreditarium vitium aliqua pręeunte
ratione inhiberi poſſit. Ad quæ ſingula quomodo ſit reſpondendum, ex iam
iam adducẽdis vnicuique clarum fiet. Cum ſit iuuenis habitus gracilioris, nec
non temperamenti melancholici, quoad vniuerſum corpus, vnicuique conſta-
re poteſt, gracilitatem in eo non a calida, & ſicca craſi prouenire, vt in picrocho
lis, ſed a frigida, & ſicca, quali natura conſtant melancholici vocati, quod eſſe

Gal. pa-

A Gal. patet in arte par. Quantum enim ad materiæ pituitoſæ ſubdominium, id ego acceptum referrem cerebri, & ventriculi intemperaturis, quæ vt a primordijs frigidæ ac ſiccæ magis, ita progrediente tempore humidiores etiam euaſerunt, quarum cauſa iugis pituitæ prouentus. Quis enim ignorat diſcraſias, quas ob id nec diu ſimplices, & nudas perdurare poſſe certo ſcimus, ſi calidiores ſint iuſto reddere corpus ſiccius; ſi frigidiores, illud efficere humidius, humiditate ſcilicet aduentitia, quemadmodum nos docent Gal. 2. de temper. & 6. de ſanit. tuen? Imo hanc ego puto eſſe veriorem cauſam, ob quam melancholicoꝛũ corpora tam copioſa vbique ſcatent humiditate, & ob quam in quartanarijs tam frequentes ſiũt ſaliuationes, ac paſſiſſimi ſudores multi, vberes vrinæ, & ob quã Hipp. 6. epid. pauidorum (per quos melancholicos intelligit, adeo proprius eſt, B melancholiæ timor) ſanguinem dilutum, & aquoſum appellat, quam alteram a quibuſdam allatam de prauitate melancholici humoris, a quo inſitus, & innatus calor ita labefactetur, vt ad coctiones peragẽdas iners, & ignauus redditus in cauſa ſit, vt aquei, & crudi accumulentur ſucci, etiã ſi in quartanarijs hæc cauſa alicui probabilior videri poteſt. Accedit in caſu noſtro, ex relatis ſymptomatibus, quæ iuuenem vel a tenella ætate in capite diuexarunt, cerebrum non modo frigidum potius, quam calidum, ſed & humidius iuſto a primæua etiam origine in eo fuiſſe cognoſci. errata verò, quæ in adoleſcentia, ac iuuentute ab omnibus fere perpetrantur, eaſdem intemperaturas, & pituitoſorum humorum fomitem impenſe adaugere potuerunt, vt mirum non ſit, ſi etiam hodie quam frequenter catarrho ſit obnoxius, vberemque vitream pituitam (quam tamen ex C aliqua in ea genita putredine, aut commiſta bile aliquando, vt eſt in litteris, ſubſalſam percipi abſonum minime eſt) & expuat, & è naribus emungendo excernat. In iſto igitur iuuene proprio, inſitoque temperamento frigido, & ſicco, aduentitio autem potius frigido, & humido, vel a primis annis magna in progreſſiuo motu obeundo infirmitas ſuborta apparui, adeo vt actio illarum partium, quæ tali motui præſtando inſeruiunt, nempe itio, ſic a Gal. 1. meth. & alibi vocata, cum diminute, tum deprauate læſa cernatur, & diminute quidem, eo quod non niſi cum labore, ægreque exercetur, deprauate vero, quia cum artuum turpitudine celebratur. Quod genus affectionis redigendũ eſſe videtur ad ſymptomata, quæ ſunt de genere actionum animalium motricum, prout ad fœmora, tibias, & artus pertinent, & conſequenter ad muſculos, neruos, ac tendines illarũ D met partium. Num autem vnus tantum, aut plures ſint muſculi labefactati, ex modo læſionis in mouendis cruribus determinandum erit. Interim & mihi veriſimile ſit tam eos, qui flectunt, & extendunt, quam qui adducunt, abducũt, & circum agunt fęmora, & crura, male habere, non tamen omnes fortaſſe pari noxa, ac inter flectentes illum magis affici crediderim, quia lumborum vertebris ſuperioribus exortus valido tendine in trochantera paruum antice inſertitur, ψόας Hipp. & Gal. vulgo autem lumbalis dicitur, quemadmodum inter extendentes natium auctores, illum qui ceteris maior eſt, & quaſi ſemicircularis, omnium extimus, & ampliſſimus, qui a coccyge, oſſe ſacro, ſupernaque ilium coſta.

obliquè deſcendens in femoris os palmū ſub trochantere magno deſinit. Haſce A verò magis protuli, quia fluxioni pituitoſæ ab intemperato cerebro per ſpinalē medullam decurranti ſuſcipiendæ idonei, & obnoxij magis eſſe alicui videri poſſunt. Quod æſtimare plus debemus, & maius faceſſit negotium eſt, inuenire morbum, quem ſymptoma hoc inſequitur, ſeu, quod idem eſt, cauſas tantæ imbecillitatis, ac impotentiæ muſculorum illorum, quicunque ſint, cum præſertim non ſufficiat dicere partium imbecillitatem, quoniā, qui aliud non addunt, hi, vt inquit Galen. 7. meth. nihil dicunt plus idiota. Quamobrem accurate a Dominis meis indagatur, quam ob cauſam partes illæ crurum infirmæ euaſerint, vt debiliter propterea ſuas in progreſſiuo motu operationes agant. Quotieſcūque igitur hoc in loco dicitur partes illas crurum eſſe, impotentes, effeminatas, imbecillas, neceſſe eſt affectum, ſeu morbum aliquem præfigere, qui ſit earundem partium imbecillitatis cauſa proxima. Dicebat tertio de Anima Philoſ. B *Rectum eſt ſui, & obliqui index, & regula*, & ideo cum a bene temperata parte robur pendeat actionis, ità è contrà ab intemperata imbecillitas, vt docuit Gal. 6. de ſanit tuen. Inſuper ſcimus per eundem in lib. de diff. morb. alicui parti robur, aut infirmitatem contingere ex compacta, vel laxa ipſius partis compoſitione, eo quod pars, quæ laxis eſt meatibus, fluxui humorum ſuſcipiendo pronior eſt, & infirmior, contra quæ adſtrictis, minimum recipit fluxionis, minuſq; exiſtit. Vnde non ab intemperie ſolum, ſed & a meatuum ametria functionum particularium ignauia prouenit. Summa ergo cum ratione ſtatutum obſeruo duplicem hic adeſſe imbecillitatem, alteram, quæ ad tendinum præcipuè ſubſtantiam refertur, & alteram ad primas illorum qualitates. Quoad primam, con C uenio & ego neruaceam ſubſtantiam, quæ ad tendinis generationem concurrit, in ſua prima conſtitutione nimis laxam, nimiſque hiantibus meatibus genitam fuiſſe, hincque robore illo, quod a denſa partis compoſitione enaſcitur, quodque ad femora, & crura mouenda neceſſariò requiritur, magna ex parte priuari. Quoad ſecundam, dubio procul intemperies erit tendinum, & neruorum frigidior, & ex accidenti etiam humidior, quàm conueniat, præ qua alimentū in iiſdem conſimilis qualitatis congeritur, ſicque calore, & ſpiritibus ad robur ſuppeditandum neceſſarijs cum illæ particulæ deſtituantur, mirandum non eſt, ſi in tam valido motu efficiendo vtraque crura, & ſiniſtrum in primis, iuxta vniuerſi lateris ſiniſtri naturam infirmitatem, ſegniter, ac turpiter dimoueant. Quid ſi dicamus motricem facultatem a cerebro vectore ſpiritu, aut per quandam veluti D illuſtrationem defluere ſolitam, iſto in iuuene ob cerebri diſcraſiam frigidiorē, & humidiorem, non niſi vitiatam ad membra læſa tranſmitti, necnon præ nimia pituitæ copia, qua cerebrum ipſum ſcatet, neruos vna cum ipſorum principio irrigari, ac leuiter obſtrui, & ex hoc nec adeo purā, nec in ea, qua deberet, quantitate influere, non aliter, ac ſolis radij per aerem caligine obductū, aut per phialam limoſa aqua refertam tranſmeare ſolent? Aliquam verò ſubeſſe obſtructionem, atteſtari videtur id, quod aſſeritur, quotieſcunque moderato vtitur motu, ac exercitio partes illas valde melius ac expeditius aſſignatum munus obire, id

quod

A quod fieri credendum eſt, non ſolum ab excitato in illis calore, ſed etiam ex reſerato ſpiritibus ante impeditis itinere, craſſa ſcilicet, & pituitoſa materia per diaphores in abſumpta. Quamobrem hic locum videtur habere Gal. doctrina 3. Epid. com. 1. de motu, & voluntario, & non voluntario, ac naturali. Veriſimile etenim fit, hic illud ferè contingere quod in tremoris generatione, nimirum vt muſculi debiliter agentes, moueant quidem nonnihil, ſed partim quidem a grauitate, & pondere membrorum reſiſtente vincantur, & ita quædam veluti pugna inter attollentem virtutem, & deprimentem grauitatem ineatur. Primariam autem præſentis pathematis originem contraxit iuuenis a primordijs generationis, hoc eſt ſemine, & ſanguine, quorum alterum etiam fœmineũ ceu opifex, alter materiæ rationem obtinet; non quod pater, vel mater, aut auus, vel pro-
B auus (vt enim magnes per ordine cohærentes acus in quartam, & vltra ſuam vim transfundit, ſic natura virtutem formatricem, & cum ea labem de ſemine in ſemen ſucceſſione tranſmittit) eodem mali genere laborauerunt. Vnde talis ad eum noxa transfundi; & quidam quaſi caracter præter naturam ſecundum læſas particulas eidem a progenitoribus vigore ſeminis imprimi nequiuit; ſed alio nomine, aliaue ratione, quam afferunt viri doctiſſimi, dum aliqua ex parte in paternum ſemen, ſed multo maiori in maternum cum ſemen, tum ſanguinem mali initia refundunt. Quod enim a fœminis pariter ſemen, non ſeminiformis liquor, vt voluere Peripatetici, emittatur, cui non ſimplicis materiæ ratio, ſed & aliquod efficiendi principium ſit ingenitum, omnes pene Medici ex mente Hipp. & Gal. aſſeuerant. Cumque vtrumque ſemen calorem, & ſpiritus, atque
C adeo ipſam prolificam vim a corde, cerebro, iecinore ac teſtibus ipſis in primis nanciſcatur, vt quotidie videamus eos, qui aliqua effatu digna horum membrorum, vel omnium, vel ſingulorum tantummodo mala affectione laborant, aut nullam, aut certe morboſam prolem ſuſcipere, & iuuenis genitori præclariſſimo olim de Aurantij conſilio vrinæ potio fuerit propinata, ex quo elicitur hepar frigida fortaſſe aliqua intemperie diuexatum, ſeu diminutum valde in eo, & alijs œconomiæ nutritoriæ membris innatum calidum fuiſſe, vt iam cachexiæ, vel hydropis incipientis rudimenta apparerent, non temerè, & citra rationem creditur, & ſi calor ſeminis paterni ſufficiens fuerit pro conceptus maſculi generatione, cum tamen, cum non vndequaque, & per omnes, quos vocant, gradus ad ſummum bonitatis perueniſſet, ex quo in ſanguine, & ſeminis coctione (ſine
D qua generatio non fit auctore Ariſt. 4. meteor.) aliqua facta iactura fuit, fœtum numeris omnibus abſolutum, hoc eſt ſecundum partes, ac virtutes omnes vbique perfectum gignere non valuiſſe. At ſi aliquis peteret a me, quamobrem labes hæc a ſemine, & ſanguine acquiſita, in crura potiſſimum, ac fœmora transfuſa ſit, hoc eueniſſe dixerim, quia ſunt a viſceribus longè ſemota, fermè exãguia, & ad frigidos affectus contrahendos alijs ſupernis partibus propenſiora. A materno autem ſanguine, quo in vtero degens infans nutriebatur, maximam huius mali cauſam, ſeu occaſionem in iuuene inchoatam quis non videt? Dici enim vix poteſt, quantum valeat ad immutandam in melius, vel deterius rationem

conce-

conceptus regimen victus matris tum vtero gerentis, quàm lac præbentis, Su- A
matur obſecrò ab externis etiam exemplum, dum quotidie præter Theophraſti
teſtimonium, oculis ipſis cernimus arbores multas pro qualitate ſucci alimen-
talis, quem è terra hauriunt, aut vegetes, & quaſi luxuriantes inſurgere, aut vix
enatas emarceſcentes langueſcere, ac emori. O quoties ſtirpes immutato ſolo
priorem naturam reliquiſſe nouimus, vt ad eas quoque pertineat phyſici axio-
ma. *Ex his vnumquodque conſtare, ex quibus nutritur.* Quam rem ideo ſcribo, vt
ex ea intelligatur, vitium omne ad matrem potius referendum eſſe, quàm ad
patrem, de quo ſcribitur, ex altera vxore inculpata fruente ſanitate fœmineam
licet prolem, a labe tamen omni, ac ægritudine immunem ſuſcepiſſe. Iam verò
in litteris notatur, matrem quo tempore in vtero gerebat, in victus ratione inſi-
gniter deliquiſſe, maximè verò in omnis generis fructuum abuſu, in quibus qui- B
dem dicebat Gal. plurimum eſſe quod inutile, minimum quod vtile. Ex errori-
bus factum vt mater ingentem coacer uauerit cruditatum copiam, & prauorũ
ſuccorum cumulum, & ex his vna cum ſanguine ad vteri loca delatis connutri-
tus fœtus, cum iuxta cœtera corporis membra, tum ſecundum artus, & crura, ob
allatam cauſam imbecillis vtraque imbecillitatis ſpecie iam expoſita ex vtero
prodijt. Imo cum nec omnem in ſanguine matris ſtabulantem cacochymiam
puer ipſe ad ſe attraxerit, ſed in venis, & vtero ad lochia eſſet derelicta, huius cul-
pa factum, vt non valde poſt editum fœtum, mater ipſa impertiti filio mali pœ-
nas luerit lethali morbo vitam cum morte commutans. Quid ergo mirum, ſi iu-
uenis vel ab infantia non modo artuum, & crurũ imbecillitate, ſed & varijs alijs
ſymptomatibus, præſertim capitis, pro quibus ad inij cauterium deuenire opus C
fuit, miſere laborauerit? Quadam propterea ratione poſſumus affirmare, horũ
omnium affectuum caracterem ei communicatum fuiſſe à ſemine paterno: &
multo magis ac euidentius a ſanguine matris. Quid ni abſolute? Quia nemo dat
quod non habet. Verum ſi hoc mali genus in motu progreſſiuo, & membris eũ
conficientibus haud inerat parentibus παθητικῶς, ſaltem in ſemine, ac ſangui-
ne adfuit ἐνεργητικῶς, ſi inquam caracter hic filio impreſſus in parentum par-
ticulis, & membris non præceſſit in actu, vt vocant, formali, ſaltem fuit in prin-
cipio ſeminis potentiali. Quibus ita prælibatis ad quæſita tandem enucleanda
accedamus; inprimis igitur merito dubitatur, ne affectio illius iuuenis quaſi ca-
racter quidam impreſſus in ſobole ſit emicaturus, quia, vt docet Hip. 4. de morb.
Vnumquodque animal ſecundum parentes naſcitur, a ſanis ſanum, a morboſis morbo- D
ſum, & lib. de Aere, &c. *Cum ſemen genitale ab omnibus corporis membris procedat,*
a ſanis quidem ſanum, a morbidis morboſum; fiatque vt ex caluis calui gignantur, ex
cæſiis cæſij, & vt plurimum diſtortus diſtortum generet; & reliqua. Vnde, vt in
aphoriſmos retulit Damaſcenus, a parentibus ad prolem deſcendere conſueue-
runt non ſolum corporis lineamenta diſcraſiæ, & morbi, ſed & animi vitia. Rur-
ſus ibidem. *Ex iuuenibus nati parentibus principalia membra robuſtiora habent, quã*
qui ex decrepitis, aut pueris. Intelligit enim de iuuenibus ſanis, & non infirmita-
te aliqua detentis, quia tunc cum ſenibus conueniunt. Ita Auicenn. Fern. 29.
lib. 3.

A lib. 3. cap. 23. ſcribit: *ſperma habentis membra leſa raro generat ſanum.* ideoq; pa-
rentum morbi liberis, quam frequenter inplantantur. Hac ergo de cauſa cum
ratione dubitatur, ne ſymptoma patris ex viciato eius ſemine ad filios tranſmi-
gret, quia ſemen vim, atque naturam in ſe potentia continet illarum partium, e
quibus effluit, quæ natura, vbi intra vterum ſemen ipſum iaculatum fuit, ab in-
ſito calore de potentia ad actum deducitur, & in prole tandem conſimilis emi-
cat naturæ partium genitoris. Atque hoc eſſe arbitror, quod aſſerebat Hippoc.
de genit. *mutilari filios quemadmodum parentes, quoniam genitura debilior a parte
mutilata parentum effluit.* Idcirco tam meatuum neruaceę, ac tendinoſæ ſubſtan
tiæ in muſculis fęmorum ametria, laxitaſve, quam frigida, & humida intempe-
ries a iuuene ſi matrimonio iungatur, ac prolem habeat, in hanc transfundi poſ-
B ſe videtur ſed vt de hoc periculo merito veremur, ita vice verſa id pro certo, ac
indubitato velle aſſerere contra ſenſum eſſet, atque experimentũ. Nemo enim
ignorat multis in vrbibus paſſim obſeruari parentes morboſos, ac valerudina-
rios gignere filios non ſolum ſanos ſed etiam valde firmos, & athleticos, præ-
ſertim ſi mater ſano corporis habitu prædita ſit, nec prauis veſcatur alimentis,
alioqui n. vtriſque vel male affectis, vel in victus regimine hinc inde magnope-
re delinquentibus, nunquam ſanum fœtum concipi poſſe crediderim. An non
etiam ſcribit Hipp. de Genitura, *filios robuſtos quandoque a parentibus debilibus
generari?* Multa ſi quidem ſunt, quæ ad alterandam in melius, vel peius rationẽ
conceptus, & intrinſecus concurrunt, & cauſæ, quæ in animalis generatione
vna conueniunt, non ſunt adeo validæ, ac neceſſariæ, vt ab huiuſmodi occaſio-
C nibus impediri, aut immutari non poſſint. Ex hoc in intermedia generatione
ordo pręſcinditur, vt ſana prorſus gignatur, ſed qui ab ea naſcuntur liberi auis,
& proauis aſſimilentur, imo poſt plura genera, ac multi temporis reuolu-
tionem, vt de ſimilitudine, ac effigie affirmat Ariſt. 2. de Gener. animal. proauo-
rum morbi in ſobole pullulant, ac reuiuiſcunt. Potiſsimum vero ad alterationẽ
in fœtu imprimendam, quæcunque illa ſit, a medicis valere creditur genitricis
natura, idque aut ſecundum eius vniuerſum corpus, aut ſecundum vterum tan-
tummodo, & vt hactenus in re noſtra quod deterioris eſt conditionis videre cõ
tigit, ita ex oppoſito ſperandum, ſi iuuenis fœminę ſanguineę, & integra ſani-
tate fruẽti copuletur, & prophylactica auxilia tradita ad amuſſim ſeruet, vt pri-
mordiorum generationis quadam facta ſimmetria, prolem gignat immunem a
D paternis morbis, accedẽte maxime quod ſymptoma itionis vitiatæ ab eo primo
incepit, nec propriè loquendo hæreditarium dici poteſt, iuxta allatam ex Mer-
cato definitionem lib. de morbis hæredit. Niſi aliquis velit cum iam a tot annis
in iuuene iſto altiores fixerit radices, & hecticum, non ſilecticum ſit, futura
ſucceſsione ad prolem tranſmigrans, in ea vere, ac legitime hæreditarij mo rbi
cum nomenclatura eſſentiam nanciſcatur. Illa autem ad Venerem prompti tu-
do, de qua ſcribitur, neſcio an ei, quod probare intẽtio eſt, vim aliquam adijciat.
Cur? quia crederẽ ego potius de ſuſcipienda prole ex parte patris ſpem augere
(iuxta tamen illud. *Qui ſæpe collimat, aliquando collimat, &, ſi ſæpe iactaueris, ali-
quando*

quando venerem iacies; cum alioqui id a ſanguineo, non melancholico tempera- A
mento præditis expectandum ſit, quàm quòd paterni ſeminis bonitatem, ac fu-
turæ ſobolis incolumitatem ſignificet, præſertim quia conſtat apud omnes &
medicos, & philoſophos, eos qui graciliori ſunt habitu, ex craſi videlicet melan-
cholica, ad venerem incitari, non ex ſemine præ calore, & ſpiritibus a ſupernis
viſceribus ei impertitis expirare gliſcente, ac tentiginem hiſcitante, ſed a flati-
bus penem ipſum extēdentibus, vt docet Philoſophus 7. probl. 3 1. & 30. probl.
1. nec non Gal. 3. in 6. Epid. tex. 12. Vnde colligo, ſtimulum quendam potius,
ac irritamentum in iuuene vigere, quàm quòd de facultatis robore, ac ſeminis
bonitate inde certi eſſe poſſimus, natiuo calore, ſine quo omnia languent, in me-
lancholicis omnibus debilitato. Quinam verò morbi nobis ex ſemine magis
communicentur, an alteratæ qualitatis, vel vitiatæ compoſitionis, prolixiori ora- B
tione expendere eſſet opus, quam hoc in loco conuenire videatur. Illud ſolum
minime ſilebo, cum per viros clariſſimos ſtatutum ſit ſupra, fęmorum, & crurũ
impotentiam, aut imbecillitatem ex nimia quoque neruaceæ, ac tendinoſæ ſub-
ſtantiæ laxitate, & meatuum in ea ametria prouenire, iure poſſe a quopiam du-
bitari, an præter morbum alteratæ qualitates, ſed in intemperie frigida potiſſi-
mum, hic etiam reuera adſit læſio aliqua quoad modum ſubſtantiæ, vt vocant.
Quod tamen a me dubitandi gratia, non contradicendi animo dictum velim.
Alterum quæſitum erat, an iuuenis ex matrimonio propter frequentiorem Ve-
nerem, cum iuxta alias partes, tum iuxta membra manifeſtè vitiata læſionē ma-
iorem ſubiturus ſit. Pro cuius quidem ſolutione, ſuſcitandæ forent, & diffusè
enarrandæ controuerſiæ aliquot iamdiu inter medicos agitatę, nimirum cur me- C
lancholici a venere iuuentur, & de quibus dicatur, coitum melancholicis ad-
uerſari, qua de re ample ſatis Aponenſis in com. ad alterum è citatis locis Ariſt.
Præterea, An morbis a pituita Venus cōferat, de qua ipſe quoque lib. de Morb.
capitis. Attamen ego breuitatis ergo dico ſolum noſtro iuueni ex venere non
leue impendere diſcrimen de vlteriori offenſa motus progreſſiui, & maiore læ-
ſione capitis, atque ventriculi, ſi præſertim ad hanc menſam deguſtandam aſſi-
duè accedat impurgatus, non roboratus. Venus enim partes omnes illas im-
pensè lædere ſolet; De capite ſat ſit cum Demetrio ex 3. Epid. affirmare,
paruum morbum comitialem eſſe coitum; de ventriculo, quod ait Plutarchus de ſa-
nit. tuen. *Concubitus maximè vim illam extrahit, qua cibi in ventre concoquuntur*;
de fęmoribus, & artubus afferatur diſtichon ex Græco epygram. ab Amato Lu- D
ſitano ſic verſum:

Soluere membra ſolet Bacchus, ſolet, & Venus ipſa
Soluere, & ex illis nata podagra ſolet.

Vnde his membris a Venere tanta noxa? Quia (& eadem eſt ratio cum allata
ex Plutarcho) Venus, vt aſſerit 6. Epid. Gal. refrigerat magis, & exſiccat corpo-
ra omnia, & in corporibus partes illas, quæ ſunt magis nerueæ, & exangues, &
hoc maximè verum apparet in melancholicis, ob analogiam. Sed quia ſupponi-
tur iuuenis prudens, qui in hac, & alijs rebus non naturalibus errata non ſit cō-
miſſurus,

A miſſurus, imo qui in omnibus ſit ſe moderatè habiturus, ſitque in flore iuuentæ conſtitutus, cui ætati vel per Hipp. fortunata quæque, & gratioſa contingunt, & qui denique cibis, ac potibus euchymis vti valeat, & velit, putauerim poſſe fieri, vt a venere vxoria, quæ cum omni & corporis, & animi quiete peragitur, nullum effatu dignum detrimentum perceptui us ſit. Vnde ſummopere placet præcepta a Dominis meis notata de Veneris vſu, vt ſcilicet ea raro vtatur, nunquam erectus, neque a cibo ſtatim, neque fluentibus menſibus, neque tempore geſtationis in vtero. Tertium & vltimum verſatur circa modum, quo iuuenis, & proles eius ab impendente ruina præcaueri queat, quod an fieri poſſit, non iniuria ambigitur, propter rationes, quæ ex ſuperius diſputatis colliguntur. Sum nihilominus & ego cum exiſtimantibus prouinciam eſſe difficilem, at non im-
B poſſibilem. Indigemus itaque ad hoc præſtandum tam curatione, quàm præſeruatione, & hac quidem duplici nomine, altero ne parens amplius lædatur, altero ne proles paternam contrahat labem. Ad vtramque verò ſcimus eadem fere adaptari poſſe remedia, ex mente Hippoc. in Epid. ita ſcribentis: *Quæ ſequentia morbos ſanant, antegreſſa prohibent.* Dirigatur igitur mens ad morbum, & ad cauſas principalis ſymptomatis irionis læſæ, quod ſymptoma prædictis vel ablatis, vel correctis & ipſum poſtea vel tolletur, vel emendabitur. Ideo artuum, ac tendinum intemperies frigida, & humida ad contrariam craſin alteranda; & earundem particularum ſubſtantia nimis laxa, ac veluti diſiuncta in vnum cogenda erit; pituitoſa materia, ſi quæ ibi congeſta, vel aliunde tranſmiſſa collecta ſit, aut ipſos occupet ductus, per attenuantia, ac diſcutientia penitus abigenda; iu-
C gem eius a capite, ac ventriculo affluxum inhibere oportet, amborum diſcraſijs correctis, & ad meliorem frugem redactis, non neglectis vacuantibus, & aliò fluxionem auocantibus. Virium omnium, & præſertim animalium tam in cerebro, quàm in euidenter læſis partibus robur fouendum, & conſeruandum erit, & demum vis in ſemine prolifica per euchyma alimenta, & polyæmata adaugẽda eſt. Quæ cuncta, vt quantum fieri poteſt, exactè in nobili iuuene celebrentur, ad Diætam, Chirurgiam, & Pharmaciam deſcendendum. His enim tribus inſtrumentis methodus omnis medica abſoluitur. A victus ratione incipiam, quia præſertim in hac video totam ferè noſtræ rei ſummam contineri, vt omittam quod de illa ſcribit Gal. de Ther. ad Pamph. & ideo aer, ſine quo nec ſanitas retineri, nec tolli morbus poteſt, hic maximè fieri debet, cum de cerebri, & neruo-
D rum pathemate agatur; quippe qui, vbi primum inſpiratur, cerebrum petit, in eoque omnem vim ſuam relinquit, auctore Hipp. lib. de ſac. morbo. Eligatur ergo temperatus vndique aer, & qualis hyemali præcipuè tempore ſub cœlo Bononienſi non habetur, ſi recte memini. Saltem huiuſmodi tempeſtate, velut etiam cum Auſtri vehementius ſpirant, extra domum non exeat, atque aeris exceſſum (quod eſt Gal. præceptum in lib. de ſanit. tuen.) aliarum rerum non naturalium contrario exceſſu corrigat. Cibus euchymus vndique ſit, ex ouis, carnibus perdicum, phaſianorum, turturum, caponum, columborum, auiumque montanarum, gallorum teſtibus non omiſſis; A piſcibus verò, quantum poſſi-

bile eſt, abſtineat, inter eos tamen aurata, lingulaca, ſarda, alix dicta, trilia, tru- A
cta, lucius ſunt minus noxij; Oſtracodermata peſſima. Caſei, & lacticiniorũ vel
nullus vel rarus ſit vſus; ſed quia mihi in mentem ſubit rem agi cum Medicis in
Arte verſatiſſimis, & de ſingulis ad hanc intentionem ſpectantibus a me non ita
pridem abunde actũ eſſe in Conſil. de catarrho, quod citato operi inſertum eſt,
ea propter alijs omnibus prætermiſſis, de potu ſolummodo, & Venere pauca
quædam adijciam. Debet itaque potus eſſe vini probe maturi, & omnino ſub
dulcis, ac viuidioris, medijque inter generoſum & oligophoron. Quæri autem
poteſt, album ne, an rubrum eſſe debeat. Certè, vbi æqualiter ambo hæc vina
bona ſunt, in natura melancholicis album ego præferrem, quoniam ad ſpiritus
vitales, & animales viuidiores, ac illuſtriores generandos idoneum magis puta-
tur, etiam per Gal. 4. de rat. vict. in Acutis; præterquam quod ſpiritus ipſos ad B
vim prolificam in ſemine augendam promptiores efficere poteſt. Non negaue-
rim tamen ſubrubrum etiam, & vulgo ceraſij coloris nuncupatum, eadem illa
cauſa, qua præſcribi ſolet iis, qui pedum doloribus diuexantur, iuueni noſtro
poſſe cum ratione offerri. An medicatum? Quàm maximè laudo pro menſibus
frigidis, nempe ligno ſeu radice ſaxafras, floribus anthos, & ſaluiæ, velut, ſi ha-
bentur, citrangulorum, citriorumue, ſantalis albis, radicibus peoniæ, & ſatyrio-
nis maioris; vel aqua conficiatur ea horum nonnullis, qua vinum continuè di-
luatur. Dubitari verò ab aliquo poſſet, num in cibo, & potu, veneris ſtimulos
valide incitantibus frequenter vti iuueni iſti ſalutare futurum ſit, præcipuè ſi de
illis ſermo intelligatur, quæ non euchymum gignunt ſanguinem, & cõſequen-
ter copioſum quoque ſemen, ſed quæ ſemini ipſi acrimoniam adijciunt, vel fla- C
tus excitando penem inflant, & erigunt, de quorum cenſu putauerim eſſe mari-
nos piſces, prẹſertim polypum, naſturtium, pulegium, & auellanas. Mihi certè
talium rerum vſus foret ſuſpectus, quia de iuuene agitur, non ad Venerem im-
potente, imo, vt conſtat ex epiſtola, cui adhibendę ſint habenę, non admouenda
calcaria, atque eo magis, quia tam pro ſalute ipſius, quàm pro incolumitate fu-
turę ſobolis, rara in eo Venus Commendatur. In qua quidem Venere cum vxo-
re exercenda quomodo ſe gerere debeat, iam video per aliquot principalia mo-
nita a viris clariſſimis fuiſſe adnotatum, quibus plura addi poterunt ex lib. de
Dięta, ex Ar. medic. ex Paulo, Aetio, & Auic. quę vt notiſſima ſilentio inuoluen-
da iudico. Huiuſce tamen rei occaſione vnum libet ſignificare in gratiam pro-
lis, nimirum cum magna ſpes immutandi in melius naturam conceptus, & ne D
in ipſo paterna labes, ac nota inuratur, in materno cum ſemine, tum ſanguine ſit
collocata, prębeatur iuueni vxor carnoſi habitus, & ſanguinei temperamenti,
quę de nullo vnquam graui vterino ſymptomate conqueſta ſit, & cui menſtruę
purgationes conuenienti copia, qualitate, ac tempore ſemper exierint. Huic pa-
riter vtero gerenti victus, non qualis nuper deſponſatorum eſſe conſueuit, ſed
qui labem ſeminis virilis aliquo pacto corrigat, pręfigendus erit. Quo tempore
ſimiliter ab ea longe arcendę animi curę, & zelotypia in primis, quoniam hęc
animi pathemata, ſi vtero gerentem arripiant, fœtum coinquinant, & perdunt,

auctore

A auctore Philoſ. in politicis. Exemplum domeſticum ad id nos maximè inuitat, quia parens ipſius iuuenis vir vbiq; laudatiſſimus bis matrimonio iunctus morboſam prolem a prima vxore ſuſcepit, ſanam vndique a ſecunda, eo quod hæc ſana, illa verò valetudinaria, & morboſa foret. In Chirurgia, dum purgatio inſtituetur, iudicent Domini mei an aliqua ſanguinis detractio ex venis ſedalibus, quæ limoſum, ut plurimum, ſanguinem expurgant, molienda ſit. Cauteriũ brachio ſiniſtro affigendum in epomide, ſeù deltoide, vt ita auettatur materia pituitoſa quæ ad infernas partes læſas aſſidue fluit, magnopere probo. In Pharmacia probarem, vt iuuenis ad vxorem non accederet, niſi ab excrementorum prauorum colluuie vndequaque expiatus, & impenſe roboratus; ideoque ſi per duos ante menſes integra ei curatio adhiberetur, maximi foret vſus ad id, quod in vo-
B tis eſt, aſſequendum. Primum igitur lenienda aluus, deinde apparandi humores pituitoſus, & melancholicus, tandem expurgandi phlegmagogis, & melanogogis, quæ cuiuſmodi eſſe debeant, hic recenſere erubeſco. Inſuper vtilem fore iudicarem ſpecialem quoque capitis, & cerebri purgationem per apophlegmatiſmos, & errhina. poſt quæ exhiberem decoctum aliquod in iure paruæ pullæ parandum cum radice chinæ, ligno viſci quercini, ſaxatras, ſantalis albis, meliſſa, pentaphyllo, borragine, iua, & betonica, a quo maximam ſpero iuueni acceſſuram vtilitatem. A quibus omnibus veniendum ad corroborantia, quæ cerebrum in primis, & neruoſum genus reſpiciant, tam interius, quàm exterius. Pro cerebro, & neruis horum medicamentorum ingens eſt ſylua, ſed magnæ anthidoti, theriaca, & mithridatium primas ferunt; poſtea ſunt opiatæ variæ, præſertim
C quæ conficitur ex conſeruis anthos, ſaluiæ, ſtechadis, betonicæ, & conſimilium. Sunt cortices citriorum conditæ, zingiber cond. diaſatyrion, diamoſchium, & ſexcenta alia, quæ omittuntur. Vellem ſolum ad vſum reducerentur hæ paruæ pillulæ ℞. ambari ℈ j. xylo aloes gr. v. fiant pill. cum vino aromatico, octo pro drachma, & ſumat. ij. omni ſero per duas horas ante cænam quæ quidem vigoroſos ſenſus, robuſtumque cerebrum, ac ventrem faciunt. Quid ſi Patauium migrans de ſtillicidio aquarum thermalium pro capite, & cerebro corroborando cogitaremus. Nam de lutis illis partibus infernis admouendis, non eſt, cur dubitemus, dum quotidie eorum vtilitatem experimur. Antequam tamen ad luta mittatur, laudo topica præſcripta, vtpote efficaciſſima, quæ dum applicantur, reſpiciatur in primis ſpinalis medulla tota, & maxime verſus coccygen, & os ſa-
D crum. E quibus localibus ſit etiam oleum ſalis ſtillatitium, vel ſtyracinum, vel coſtinum; Aqua ardens propoſita, oleum è terebinthina, & cera, additis aliquot guttulis olei aniſorum: linimentum ex ſale optime in porphyrio lapide contrito vnà cum oleo maſtichino, coſtino, & ſtyrace liquida ſæpe ſum expertus in conſimili occaſione. Relinquo fotus ex aqua marina, aut ſalita cum varijs ſimplicibus, & aromatibus. Omitto denique emplaſtra, & cerata multa, ne videar docere velle Bononiam, hoc eſt Mineruam. Dixi, & quæcunque dixi prudentiſſimo iudicio veſtro libens volenſque ſubijcio. Datum Romæ die 22. Nouembris 1618.

QVÆSITA PRIMARIA TRIA IN CVRATIONE tuberculi in ſuperiore pede dextro ad minimi digiti radicem extuberantis, quod intenſum dolorem, ac progreſſiui motus impedimentum Illuſtriſſimę Mulieri Romanę inuehebat, quodque citò, tutè, & non moleſtè fuit abolitum.

I.

An ad verrucarum genera, & ad quæ redigi tuberculum poſſet.

II.

An materialem cauſam aliunde fluentem haberet.

III. B

Quot, & quibus nam modis perfici eius curatio poßet, & cur per cauſticum facta curatio alijs modis omnibus præponenda fuerit.

Secundaria Sex.

I.

Cur de tranſitu ad carcinoma dubitaretur.

II.

An ad Phymata, & quæ pertineret.

III.

Cur thymion potius foret, quàm acrochordon, myrmecia, clauus, ſarcoma, ſycoſis, polypus, ganglion, ſcirrhus, condyloma, carcinomáque. C

IV.

Cur Medici attendere maxime debeant ſigna præindicantia morbos aliquot imminentes, & cancrum in primis.

V.

An acrochordon doloris expers ſit, vt Paulus affirmat.

VI.

Cur in malorum pedum curatione chirurgica ab igne, & ferro, quantum poteſt, abſtinendum ſit.

Ad Proſperum Cechinum Medicum, & Chirurgum Romanum. D

DVo erant malorum genera, pro quibus nuper vnà conuocati plures Medici fuimus, vt ſuam vnuſquiſque ſententiam liberè in medium proferret, in gratiam ſalutis Illuſtriſſimę Iuuenis, cuius per Vrbem non minus decantata eſt pulchritudo, quam pudicitia; Quorum vnum ad chirurgiam maximè ſpectans, de quo tecum mihi nunc per epiſtolam agendum eſt, meritò tibi creditum a conſanguineis fuit, cum illa in parte multum valeas. Attamen tu, antequam ad manuum deſcenderes operationem, aliorum quoque audire opinionem voluiſti, iuxta illud Celſi lib. 1. in Prohemio:

Quos

A *Quos ego nihil ideò tentaſſe iudico, quia nemo in ſplendida perſona periclitari coniectura ſua voluerit, ne occidiſſe, niſi ſeruaßet, videretur*; quæ ſententia, ſi vſquam alibi, hic certè, vbi ſcripta, amplecti omnino debet, propter cauſas cum tibi tum reliquis Romanis Medicis notiſſimas. Malum igitur, de quo valdè magis, quàm de alijs, angebatur honeſtiſſima Mulier, quodque nobis omnibus nō differendum auxilium poſtulare videbatur, tuberculum erat dextri pedis, non longè a minimi digiti radice, rotundum, durum, & in ſumma eius parte latum, ferè ſimile clauorum capitibus, in fundo, ſeu ad baſim tenuius, in cacumine pariter excoriatum, ſubrubeum, & cruentum, magnitudine grandioris lupini ex aqua tumefacti, dolorificum etiam ſine inceſſu, & motu, cum ardoris cuiuſdam ſenſu. Cuius quidem origo, & occaſio nulla prorſus externa, aut primitiua referebatur; quod

B etiam per annum, & amplius, vt magis paruum, & indolens neglectum fuit, cumque apparere inceperit poſtquam menſtruæ purgationes viſæ ſunt imminui, in corpore præſertim copioſo ſanguine ſcatente, & in ætate vigente conſtituto; & cum manifeſte ſimiliter adaugeri magis cœperit, ex quo menſes ipſi adhuc magis ita imminuti ſunt, vt ferè omninò cohibiti, atque ſuppreſſi credantur, vnde pariter in varia incurrit ſymptomata ex illis, quæ ego ex Hipp. in lib. de morb. mul. & de Virg. mor. atque ex Gal. 6. de loc. affect. demonſtraui, præcipuè verò cordis ſtrangulationem, eiuſdemque palpitationem, diaphragmatis contractionem, mœſtitias, pauores, clamores, & neſcio quæ deliramenta momentanea, cum turbulentis inſomnijs, idcircò dubitatum ab omnibus cum ratione fuit, ne res in deteriorem abiret conditionem, tumorque ipſe prauam

C atque malignam nanciſceretur naturam, hoc eſt, ne in carcinoma demigraret; quem tranſitum in mulieribus conſueta menſium copioſa purgatione priuatis, & in quibus maximè hepatis feruidioris, & variorum animi pathemarū occaſione atrabilarius ſanguis gignatur, facillimè, & ſubinde fieri nemo eſt, qui neget. Quas ambas cauſas noſtro in caſu adeſſe, tu nobis referebas, & ex laborantis ore, ac varijs circa eam obſeruatis vnuſquiſque noſtrum etiam cognoſcit. Timor inualeſcebat ex eo, quòd, vt dicebam, Gal. lib. 14. meth. c. 9. cancrum incipientem difficulter cognoſci affirmat, vtpotè qui primo confuſa exiguaque, & quæ vulgum fortaſſis latere poſſint, ſymptomata habet; imò de tali cancro loquens Almanſor. tract. 7. teſtatur interdum eſſe magnitudine lentis, interdum ciceris, interdum fabæ, interdum nucis auellanæ, ſenſim, & quaſi furtim excreſcendo;

D Quā etiam de re non multò ante commonefecerat Celſus cap. proprio dicens; *Interdum nullam habet proprietatem, ſimile his eſt, quæ vocant Græci* κονδυλώματα, *aſpredine quadam, & magnitudine ſua, colorque eius rubor eſt*. Quare priuſquam ad curandi rationem, quæ varia proponebatur, deueniremus, de natura, & cauſis tuberculi differere opus fuit, quemadmodum omnino factum eſt, iuxta Platonis præceptum in Theage, vbi poſtquam ſcripſit; *Sacrum quoddam eſſe conſultationem*, addit oportere conſulentes inter ſe conſentientes eſſe in eo, de quo habenda eſt conſultatio, ne in diuerſa abeuntes, hoc quidem alij aliud, & alij aliud eſſe exiſtiment. In primis itaque excreſcentiam

illam inſtar monticuli, ſeu verrucæ in monte prominentem ad φύματα Hippocrati, & alijs Græcis Medicis, nobis verò tubercula dicta redigi poſſe credidi, non quidem prout ſpeciatim tubercula ſumuntur pro inflammationibus glandularum, quæ ſtatim augentur, & ſuppurantur, in qua ſignificatione eiuſmodi vox vſurpatur a Gal. 2. ad Glauc. 1. ſed pro vt nomen tuberculorum generatim ad omnes præter naturam è quacunque corporis parte erumpentes tumores extenditur, veluti nos docebat Gal. ipſe 6. Epid. 1. comm. 13. *Homines,* inquit, *ab ijs, quæ in terra naſcuntur tubercula vocarunt tumores præter naturam qui omninò ſine cauſa aliqua externa fiunt, & in exteriores corporis partes expelluntur.* Ita vſus hac voce fuit Paulus lib. 4. cap 22. Quoniam autem præſens tuberculum analogiam habere videbatur cum illis excreſcentijs, quæ ab editiori loco montis ducta metaphora verrucæ, a Latinis appellantur, ea propter generali tuberculorum vocabulò minimè contenti, ad verrucas poſſe referri diximus; imo & ad porra non nullis idcirco dicta, quia fila quædam continere ſolent porrorum barbis, & radicibus non diſſimilia. At ne quis putaret ad verrucas, ſeu porra illa, tumorem N. M. pertinere, quæ morbi non ſunt, nec vllo pacto noſtras lædunt actiones, vnde turpitudinem potius, quàm morboſam affectionem præſeferunt, de quibus intelligendus eſt Vidius, & qui cum eo ſimilium tumorum curationem haud moliendam eſſe ſcripſerunt, ideo aſſertum eſt, tuberculum ad illa verrucarum genera eſſe reducendum, quæ licet non adeò magna ſint mole, quod tamen plerunque moleſtæ ſint, & per quam fœdæ, in morbis haberi debent, de quibus plenè, dataque opera verba faciens Celſus lib. 5. tradit, non verrucas eſſe, ſed illis aſſimilari, & diuerſa habere nomina, vt diuerſa vitia ſunt. Atqui Græci nomine carentes, quo omnia verrucarum, ſeu porrorum genera comprehenderent, quamque proprio nomine ſpeciem nuncuparunt, & hæ quidem ferè ſunt, μυρμηκία, ἀκροχορδὼν, ἧλος, θύμιος. Verumtamen quia alia quædam in corpora ſimilia vitia extuberant, cum quibus tumor noſter quodammodo conuenire poſſe videbatur, ideo neque hæc a nobis prætermiſſa fuerunt, cuiuſmodi ſunt: σάρκωμα, γάγγλιον, σύκωσις, πολύπους, ἐπουλίς, κονδύλωμα. Quamobrem ante omnia de natura, & cauſis ipſius tuberculi loquẽs duo promoui Quæſita, primumque erat, ad quam ſpeciem è prædictis referri magis poſſet; ſecundum, an cauſam haberet materialem aliunde tranſmiſſam. In priore opinio mea fuit, ſi rem exactè definire vellemus, ad thymion potius pertinere, quàm ad reliqua allata vitia, ſi non ita exquiſitè, verum eſſe non negauerim, quod poſt me addidit D. Fortunius Natius Vir acuto pollens ingenio, nec vulgari ornatus eruditione, maximam cum quatuor omnibus iam recenſitis generibus tumori, de quo ſermo, conuenientiã ineſſe; licèt reuera mihi ad myrmeciam, haud quaquam referri poſſe viſum ſit, quemadmodum & nũc videtur, quod ex ſequentibus clariſſimè vnicuique conſtabit. Non igitur ad ſarcoma redigi debuit, quia ſarcoma carnis eſt incrementum, tuberculi quidem, tumoriſue ſpecie, at indolens, & ex nullo cuiuſuis humoris affluxu, ex ſolo partis alimento ſubortum, dum pars ipſa præſertim exulceratur, vt contingere

ſolet

A ſolet in pene, poſt fœdam maximè, ac valdè moleſtam gonorrhæam. Exeſæ ſiquidem particulæ caruncula ſuperoritur, quæ ex aſſiduo alimenti acceſſu diffunditur, atque luxuriat. Ad eundem modum in male curatis cœterarum corporis partium vlceribus ſæpè caro excreſcit; ſic polypus naribus contuſis, ſic epulis in gingiuis, ad dentium radices, ſic ficus, aut ſycoſis in ano, quæ thymio, ſeu tumore noſtro maior etiam exiſtit. Ganglion inſuper non erat, quia huiuſmodi tumor concolor eſt, & indolens, niſi quod vehementer preſſus ſtuporis ſenſum exhibet; ideoque nec ſcirrhus, ſiue de incipiente, nec legitimo intelligatur, ſiue de confirmato, & exquiſito, quoniam primus, niſi preſſus doloris ſenſum infert, ſecundus verò omnis doloris, omniſque ſenſus eſt exors. Non condyloma, quia licet hoc etiam tuberculum prædurum ſit, effigieique non diſ-
B ſimilis noſtro, nihilotamen ad ani marginem exoriri, ac tædio potius, quàm dolore moleſtum eſſe ſolet. Quapropter clarum eſt, cum iam expoſitis tumoribus nihil noſtrum habere commune, præter formam, & ſpeciem quandam extrinſecam; nam principalia quædam accidentia non obſcurè hunc ab illis diſcrepare ſignificabant, cuiuſmodi erant dolor, calloſa durities, ſitus loci, & alia, quæ a nobis tempore, quo ad conſultationem vocati fuimus, obſeruabantur. Dubitatum idcircò denique eſt de cancro a D. Franciſco Scaccio Illuſtriſſimi Principis Cardinalis Bandini Medico, & Scacchij apud Picenos Chirurgi celeberrimi filio, cuius ſuſpicio potius, quàm firma opinio contemnenda non fuit, propter cauſas a me iam ſuprà allatas. Siquidem ſymptomata, & ſigna, quæ ad carcinomatis diagnoſin a Medicinæ ſcriptoribus proponuntur, malum ita factum,
C vt ne puerum quidem clam ſit, apertiſſimè indicant, non item cancrum, qui primò inſurgit, & expullulat, qualis tumor præſenſerat, facta conſideratione temporis, ex quo Medici ad illius curationem vocari cœperunt; Probè etenim ſcribebat Gal. 14. meth. in incipiente cancro Medicum debere eſſe inſtar optimi, & perfecti politoris, qui naſcentes, & vix è terra pullulantes herbas exactè cognoſcit, quo tempore, ſi inutiles, & prauæ ſint, facillimè euelli poſſunt, ſed factæ grandiores, & etiam idiotis notiſſimæ, quia iam altius egere radices, non niſi magno conatu, & nixu auuerruncantur; In quo quidem mali genere dicere ſolitus ſum ego illud idem euenire, quod in hectica febre detentis, in quibus, ſi ab initio morbus dignoſceretur, minus difficilè curationem admitteret; quia vbi cunctis patet, ac innoteſcit, inſanabilis prorſus eſt.
D Imò alij non pauci morbi ſunt etiam in Chirurgia, vt tu obſeruare potuiſti, difficillimæ, ne dicam impoſſibilis curationis, quibus ſi obuiam iretur, dum primum inchoant, nec adhuc altius corpori inhærent, facili negocio euincerentur, ſed vbi iam confirmati ſunt, & Medicorum vulgo patentes, artem tunc negligunt, omnemque Medici quantumuis peritiſſimi operam eludunt. Quare ſumma cum ratione in Diagnoſi ſæpe ſigna produntur præindicantia dicta, quæ morbum de longè venientem præmonſtrant, non aliter, ac illa, per quæ nautæ, & agricolæ impendentes maris, & cœli tempeſtates non rarò exactè præſagiunt, ex quo facilè ingentia eui-

tantur pericula, & in morbis ſanationis metam propius, ac certius attingimus, A
quia hi præcauentur prius, quam artis auxilijs ſæpe dubijs, atque fallacibus in-
digeant. Ex hoc deduxere Iuriſperiti, *Satius eſſe intacta iura conſeruare, quàm poſt
vulneratam cauſam remedium quærere*. Quemadmodum enim, vt eſt apud Dio-
clem quadam ſua in epiſtola præſeruatiua ad Antigonum Regem, & apud Plu-
tarchum in opuſc. de ſan. tuen. nunquam tempeſtas conflatur in Cœlo, quin ali-
qua præcedant ſigna, quæ nautæ, & alij expertiſſimi homines inſequuntur, ita
nec affectio in hominis natura generari vnquam ſolet, non ſigno aliquo præce-
dente. Hanc verò prouidentiam habere Medici in primis debent in carcinoma-
tis ſuſpicione, quia cum incipit, & adhuc venit, facilius eijcitur, poſtea verò æ-
grius, cum inſanabile euadat; vt propterea de imminente, ſi non præſente can-
cro ſuſpicio mihi non ita improbanda videretur, quæ etiam rationabilior fuiſ- B
ſet, ſi, vt ipſe affirmabat Scacchius materia, quæ a tuberculo exibat, tetrum ediſ-
ſet odorem, colorque tumoris, vt dixere alij, interdum quoque ad liuidum ver-
giſſet. Quæ duo addita alijs, nempe dolori cuidam ſæpe admodum intenſo, &
quaſi rei acrioris partem adurentis atque menſium purgationi ferè cohibitæ, &
demum varijs animi curis, præ quibus N. M. in tot melancholica ſymptomata
incidit, non modò ſuſpicionem ſed probabilem etiam in re dubia, & controuer-
ſa opinionem conſtituere poterant. Veruntamen cum tu, qui primus omnium
loquutus es, & poſt te ſimiliter D. Ioannes Faber Collega meus, nam & ipſe
hoc in almo Gymnaſio Medicinæ partem illam, quæ de ſimplicibus eſt, magna
ſua cum laude profitetur, ad uerrucarum, non ad verè tumorum genera retule-
rit, in amborum deſcendere ſententiam mihi placuit, hoc addito, quod vt ab ini- C
tio huic tuberculo nomen verrucæ tam fortaſſe re, quam denominatione ipſa
attribui potuit, ita progrediente tempore, non adeò propriè hoc ei nomen im-
poſitum fuiſſe, cum vitium quidem eſſet verrucæ, aut porro conſimile, ſed na-
turæ, & conditionis multo deterioris, quàm ſint, quæ hodie paſſim verrucæ, ſeu
porri vocantur. Hinc ideò factum eſt, vt idem Faber affabrè expenderit, an
acrochordonem, an myrmeciam, an clauum, & an thymion appellare debere-
mus. Qua tamen in re aliqua inter nos fuit diſſenſiuncula, quoniam ille ad myr-
meciam retulit, at ego potius ad thymion. Non enim ad acrochordonem perti-
nere videbatur, quia licet inter verrucas magis penſiles, quam ſeſſiles connu-
merandum tuberculum eſſet, cum anguſtiorem haberet baſim, & amplam ſum-
mitatẽ, quæ chordæ nexu quodãmodo ſuſpenſa pendere videbatur tamen quia D
minimo ſuffultũ erat pediculo, imò ab ea parte, qua paruũ digitum reſpiciebat,
aliquãtulum cuti adhæreſcebat, & quia acrochordon, vt cum Paulo ferè omnes
aſſeuerant, doloris exors eſſe ſolet, cum in hoc non aſpernẽdus dolor adeſſet, ea
propter ad acrochordones minimè eſſe referendum exiſtimaui. Nec ſimiliter
ad myrmeciam libuit redigere, quoniam myrmeciæ ad baſim, & infra ſunt la-
tiores, ſupra vero, & in ſummitate tenues. Ad hæc myrmecia, ſeu formicaria
verruca, ſi contrectetur, & ſcalpatur, dolorem eiuſmodi infert, qualis a morſu
formicæ animalis contingit, vt Aegineta refert; ſed quæ. N. M. ægre tractabat

in

A in figura,& forma nil ei penitus cum myrmecijs,quæ ſeſſiles verrucæ ſunt, vnde ſpecie, vel forma acrochordoni potius reſpondebat, & dolor, etiam ſi pars minime contrectaretur, ſine vllo prorſus ſenſu morſus formicæ aſsidue eam affligebat; quin imo dato myrmecias ingentem quoque dolorem poſſe mouere, etſi non tangantur, ob aliam tamen conditionem a figura, & forma deprompam,quam video ab auctoribus proponi ad conſtituendam differentiam acrochordones inter, atque myrmecias,nunquam ego adduci potero,vt credā,præſens tuberculum verrucam formicariam fuiſſe; an ideo clauus erat? Equidē hic ego hæſitaui aliquantiſper, de eo cogitans,ob ſimilitudinem formæ, quam ſuū clauorum capitibus in ſumma ſui parte tuberculū præſeferebat, & propter dolorem ſimilem,eo quod in clauo etiam,(vt in hoc tumore eueniebat) interdum
B acutus dolor ſponte ferit,ſemper vero ingredienti moleſtus, quodque cum alibi,tum in pedibus maxime naſcatur ex calcei preſſu,aut intertrigine. Omne tamen mihi dubium abſtulit,quod clauus cum ſeſſili potius verruca, quam cum penſili conuenit; quia licet in cute emineat figuræ iam dictæ,nihilominus ſolida,præduraque radice intro ſe infigit, quaſi ab oſsium membrana emergēs, nec non quia mulieris tumor ſubrubei erat coloris, & ſanguinem cum ſanie quadā emittebat; at clauus albi ſolet eſſe coloris, nec vnquam ſanguinem, quod ego ſciam,effundit. Remanet ergo, vt ad thymion, quamobrem a me reduceretur hic tumor, cauſæ in medium proferantur,quæ quidem illæ ipſæ ſunt, quas noſtro in colloquio audiuiſti. Prima vero fuit,quia verrucula illa non modo ad cutim tenuis,ſupra vero latior,& amplior erat, ſed pariter in ſummo ſubaſpera,&
C excoriata; ſecunda,quoniam ſummum colorem floris thymi repræſentabat; tertia,quod ibidem findebatur,cruentabatur,& nonnunquam aliquātum ſanguinis fundebat; quæ ſimul omnia in thymio reperiri tradebat Celſus loco a me ſuperius adducto;quem tumorem aliqui morum vocant,quia maturo, & rubro moro ſimilis appareat,apud Arabes præſertim; nec ſileo hoc in loco,quod idē Celſus de carcinomate,& cancro loquens,aliqua.n.apud ipſum eſt inter vtrunque differentia,cancrum vlceratum thymium appellat. Non me latet, hanc ipſam diſquiſitionem a ſciolis quibuſdam,& in ſolidiori medicinæ doctrina neutiquam verſatis haud magni eſſe faciendam;at nos decet alia via incedere a vulgo & idiotis,quorum quam ingens ſit numerus, te minime latet. Idcirco ne mireris,ſi antequam ad alia me conferam, decreui etiam ſcrupulum eximere, qui ab
D eadem natus occaſione aliquid negotij huic rei faceſſere videbatur, & eſt, quia in acrochordone examinando,dixi ego auctoritate Pauli lib.6.cap.87.illum doloris expertem eſſe,ideoque eum, de quo loquimur, tumorem ſic vocari nequaquam poſſe. At D. Fortunius Celſi in contrarium obiecit teſtimonium,eo quod in iam citato loco ſcribit acrochordonem nonnunquam mediocrem inflammationem ſubire,& in pus conuerti;argutè ſane,& prudenter more ſuo,quod perbelle etiam antea animaduerterat Hieronymus Rubeus in ſuis Notis ad Celſi locum. Si ergo acrochordon inflammationem patitur, & in pus vertitur, dolores illum efficere oportet; nam; *dum pus conficitur, dolores, & febres fiunt magis, quam*

quam confecto, auctore Hippoc. 5. Aphor. 47. Accedit, quod idem Celſus ſupra A
lib. 2. cap. 1. verrucarum quædã genera explicans dolentia ait a Græcis appella-
ri *ἀκροχορδών*, licet hic nonnulli, *indolentia*, ſcripſerint, quia acrochordones nõ
dolere doceat experiẽtia; verũ temere id fecerunt, quoniam quoddã acrochor-
donum genus dari poſſe videtur ex mixta, magiſque calida materia productũ,
de quo alio in loco intelligendus eſt Celſus, dum & inflammari, & in pus verti
aliquando poſſe affirmat. An Paulus Aegineta vult indolentes eſſe acrochor-
dones, quia vt plurimum eos ita ſe habere videmus, maxime cum ad inflamma-
tionem, atque puris generationem minime deueniant? nam licet lib. 4. cap. 15.
de acrochordone loquens ibi nec dolentem, nec indolentem faciat, attamen
lib. 6. cap. 87. doloris expertem eſſe clariſſime teſtatur. Diſcuſſa controuerſia,
& ſoluto Quæſito primo de tumoris nomenclatura, ad cauſas poſtmodum ven- B
tum eſt, vbi ſimiliter aliqua fuit circa materialem dubitatio, promotumque fuit
alterum quæſitum, an ſine humorũ affluxu ex ſolo contuſo, vt Celſus loquitur,
aut calcei preſſu, vt Fernelius ait, ortum ſuum habuiſſet, quemadmodum de
callo ſcribitur, & ſenſus docet ex labore obduratã cute, illum enaſci. Ad quæ
ego, ſi recte memoria tenes, reſpondens dixi, quidquid de externa, ac primitiua
cauſa fuiſſet, cũ præſertim nulla nobis de ea fieret a muliere mentio, nihil pror-
ſus ad nos, eo quod iam tranſijſſet, & nihil procuratione indicaret, multoq; plu-
ris faciendam eſſe interiorem manifeſtam, quæ a neſcio quo tempore tumorem
in dies maiorem, ac deteriorem faciebat. Hanc autem ego non in ſolum tume-
factæ, ac dolentis particulæ alimentum, quod veluti luxurians abiret in tuber-
culum, ſed in aliquem potius ſanguinis pituitoſi, & melancholici ſimul affluxũ C
libentius referebam, varijs permotus rationibus, a tumoris, & mulieris natura,
menſium ſuppreſſione, & aliunde etiam a me depromptis, quas nunc exactius
recenſere ſuperſedebo, quia tunc abunde nimis examinatæ fuerunt. Poſt quæ
ad prognoſticum deueni, quod fuit, neque malum ita eſſe parui faciendum; vt
eius non molienda foret curatio, quia tumor impẽſe dolebat, quia mulier a mo-
tu progreſſiuo impediebatur, vnde menſium imminutio adaugeri, & cruditates
ventriculi in eã frequentes, ac moleſtæ inualeſcere potuiſſent, & quia morbo
venienti occurrendum prius, quam prolabatur in deterius; neque ex altera par-
te tunc eum eſſe tumorem, vt de tam difficili curatione, & iam facto carcinoma-
te ſuſpicandum nobis eſſet. Quamobrem ad ipſam curandi rationem hilariter,
Deo primum confiſi, acceſſimus. In hac autẽ ante omnia quæſitũ, ac dubitatum D
eſt, an priuſquam ad chirurgicum opus deueniretur, neceſſaria eſſet repetita
vniuerſi corporis purgatio, tam per venam ſectam, quam per medicamenta ip-
ſa. Cui vndique ſatisfactum fuit quam breuiſſime, nimirum cum paucis ante
diebus id muneris abunde expleuiſſent Medici valetudinem regentes, non eſſe
in re minime neceſſaria, & hyemali tempore ſæpius diuexandam mulierem
eo magis quia intentio noſtra fuit, & eſt, iterum corpus eius expurgandi, & ge-
neroſiora quædam præſcribendi auxilia ad menſium iuuandam purgationem,
qua ſic imminuta perſeuerante, impoſſibile eſt non ſolum tot alia mala euane-

ſcere,

A ſcere, ſed & ipſum tuberculum vndequaque aboleri, quin rurſus ſaltem expul-
lulet. Quæ cauſa me impulit, vt longius de hoc vterino ſymptomate diſſererē;
cuius gratia in fœminis huiuſmodi, & adhuc etiam peiora tumorum genera ſu-
boriri ſcriptum reliquit Gal. & frequentiſſime nos in arte exercenda obſerua-
mus. Multiplex itaque proponebatur curādi modus, neque enim hoc in caſu at-
tendendæ omnino erant intentiones illæ, quas medici ante oculos habere ſolēt
in aliorum tumorum curatione a Galeno propoſitæ cum alibi, tum cap. 90. Ar-
tis paruæ, & 13. meth. cap. 2. ſed eo mens noſtrum omnium vergebat, vt quam
primum tuberculum abigeretur, minima cum moleſtia. Ideo propoſita in pri-
mis fuit curatio per ea, quæ corrodere, ac exterere eiuſmodi ſolent verrucas, aut
excreſcentias, quæ quidē medicamenta multa, & varia ſunt apud Celſum, Gal.
B Paulum, Aetium, & cœteros omnes; quare inter alia laudauimus omnes elate-
rium cum ſale infricatum, ſuccum tithymali, æruginem cum ſulphure viuo, atra-
mentum ſutorium, aliàs chalcanthum, ſeu in puluerem redactū, ſeu per chymi-
cem ſublimatū, quo aliqui in febribus etiam ardentioribus, non aliter, ac ſi eſſet
ſyrupus de ſucco limonis, vel de acido citri, vel de oxalide paſsim abutuntur, ad
refrigerandum; aquam è ſarmentis adhuc viridioribus, dum vruntur, diſtillan-
tem, nitrum cum vrina pueri impubis, & venerem non experti; antimonium
crudum cum butyro recenti, aut aliqua pinguedine mixtum; puluerem lapidis
molaris cum reſina, ammoniacum cum aceto, aquam ardentem, in qua macera-
ta ſit althea ad emollitionem, ficuum decoctum, & neſcio quæ alia eiuſdem cen-
ſus, quæ omittuntur; præſertim quia in caſu noſtro non ita locum habere vide-
C bantur, quoniam tuberculum calloſæ nimis, ac duræ erat ſubſtantiæ. Vnde alia
ipſum extirpandi ratio adducta fuit, quæ fit per ligaturam fili ſerici, aut pili du-
rioris ex crinibus equinis, qua & ego interdum vidi acrochordones, & conſimi-
les verrucas penſiles ſtatim, & omnino ſanari; ſed neque hic modus in vſum
deducendus fuit, quia, vt iam vidimus, a parte quadam cum cute pedis cōtinua-
tus erat tumor, nec omni ex parte ſuſpenſus. Vnde ne intenſior excitaretur do-
lor, maiorque fieret dilaniatio, ab eo quoque ſuperſedendum eſſe iudicauimus.
Alia propoſita ratio illa erat, quam Galeni tempeſtate Romæ vir quidam ex-
cogitauit, qui verrucas labiorum applicatione, ſeu ſuctu ad ſe trahebat, &, quod
mirum erat, a radice euellebat; primoribus enim apprehenſis dentibus, totas ſi-
mul eximebat. Acrochordones verò vtpote acute extantes ſtatim mordicus
D prehendebat, & ſic protinus educebat; quem modum qui exerceant hodie non
reperiuntur. Præterea duplex alius afferebatur modus, nempe aut per ferrum
inciſorium, aut per ferrum candens, & neutrum tormentum potius, quā medi-
camentum a me vnquam potuit probari. In primo circum circa ſcarificata vbi
eſt pars exuberans volſella prehenditur, quæ mox acuto ſcalpello, aut venæ ſe-
ctorio inſtrumento radicitus eximitur. Cui tamen modo alij præferunt ſecun-
dum ex candentibus igne ferramentis, ne rurſus tuberculum naſcatur. Cauſa
autem, ob quam neque ad ferrum, neque ad ignem deſcendendū eſſe duxi, fuit
non ſolum Mulieris renitentia, ſed periculum reuera, quod ex talium medica-

mentorum

mentorum vſu impendebat, ne verrucam exterere volentes, grauius verrucæ A malum induceremus; quoniam qui proprie, & vere pes dicitur nempe ὄργανον μεταβατικόν, ſeu inſtrumentum gradiendi, plures habet muſculos, qui eiuſdem flexioni, ac extenſioni inſeruiunt, quorumque tres, qui ſcilicet extendũt in vnicum tendinem, eumque craſsiſsimum, & validiſsimum pternæ, calciſque principio inſerendum terminantur, quem tendinẽ chordam vocat Hipp. περὶ ἀγμῶν vbi ex calcis fractura febres cõtingere notat ſingultuoſas, & conuulſiuificas ob chordæ ſympathiam; præterquamquod per pedem numeroſa venarũ, arteriarumque ſeries, quæ a ramis crurum exoritur diſſeminatur, & demum nerui in eo adſunt quatuor non contemnendi ex craſſiſſimio illo, ac validiſsimo neruo oriundi, qui ex quatuor ſupernis partibus oſsis ſacri enatus poſtquam inter os ſacrum, & ilium elapſus ramulos cuti natium, & cruris, ac ſubſtratis muſculis lar- B gitus eſt, mox in duos abit ramos, eorum minore ſecundum peronem delapſo, qui in pedem ſuperiorem digitis ſingulis binos dat ſurculos, maiore autẽ per tibiam, & pedem protẽſo, qui ſimiliter digitis ſingulis binos exhibet ramos: quarum omnium partium ratione pes totus nõ modo exquiſitiſsime ſentit, ſed etiã quam facillime cum ſupernis nobilioribus conſentit; quapropter, & hac ſæua relicta, neglectaque operatione, ad aliam tandem tutiorem, minuſque dolorificam deſcendimus, quæ nimirum fit per ignem potentialem appellatũ, ſeu cauſticum eſcharoticum ſimul, ac putrefaciẽs, ex calce, & ſapone confectum, neſcio an quid aliud addideris, quod tu exemplis aliarum illuſtriſs. Mulierum, & magnorum quoque Principũ, in quibus hoc medicamenti genus fœliciſsime vſurpaueras, abunde confirmabas, & ego inter alios ita commendaui, vt in hoc ſolo C aſtantes conſanguinei ſpem totam habere voluerint. Quapropter altero die a conſultatione ſummo mane nobis omnibus præſentibus, a te locis circumſitis diligenter, & accurate munitis, ac loricatis, prout eſt chirurgiæ profeſſorum lex, atque præceptum, cauſtico ipſo tuberculum totum illiniſti, quod a iam occupata ſede intra hebdomadam nulla fermẽ cum moleſtia cecidit, vt hic certe Aſclepiadis dictum adunguem ſeruatum fuerit. Nam cito, tutè, & quaſi iucunde res omnis peracta eſt. Ideo ob hanc ſaltem operationem coram me factam, iure merito dixi, in te quadrare, quod de Chirurgo tela extrahente cecinit Homerus.

Vnus vir Medicus multis eſt æquiparandus.
Tela manu excindens, & mitia pharmaca ſpargens. D

Hæc habebam, quæ tibi, Cechine mi, aliquantulum diffuſius, quam in conſultatione enarrarem, pro indaganda natura, & recta tradenda curatione tuberculi Nobiliſsimæ Mulieris, quę quoad malũ chirurgicæ partis iam ſana penitus eſt, proſpere omnibus a Proſpero præſtitis. In quibus tamen peragẽdis ſi forte aliqua dixero, & quæ tibi, & Fabro doctiſsimo non vndequaque arriſerint, pro non dictis habeatur. Vtrumque rogo ſingula non oſcitanter legat, delendo quæ ſuperabundant, adijciendo quæ deficiunt, quia ſic vos non modo vere amicos, ſed & vere medicos eſſe oſtendetis; quoniam per Democritum. *Recte facta collaudare,*

A *laudare, honeſtum eſt, mala verò extollere adulterini, & impoſtoris animi proprium eſſe fertur*, & per Hippoc. ſcitis Medicinam in nulla re alia magis verſari, quam vel in addendo, vel in auferendo. Valete diu; Vincentiumque veſtrum vnice diligite Dat. Romæ die 27. Decembris 1619.

QVÆSITA PRIMARIA TRIA IN PHTHISI, ſeu Tabe, ex vlcere pulmonum ſuborta.

I.

Cur non temere Celſus ſub nomine Tabis comprehenderit cachexiam.

II.

B *An Phthiſis oriri poſſit vitio pulmonum, citra vlcus, & ſanguinis ſcreatum.*

III.

Vtrum decubitus in latus affectum, laborante pulmone, tolerabilior ſit, quam in ſanum, an è contra; vbi Caſsij, & Mercurialis opiniones non placent, Fernelij uero ſententia confirmatur magis, & illuſtratur.

Secundaria Decem.

I.

Cur hæmoptyſis pernicioſiſſima affectio ſit.

II.

C *Cur, & quando puris ſputum præcedere ſoleat ſanguinis ſputum.*

III.

Per Tabidos, ſeu φθινώδεας quos intelligat Hipp.

IV.

Cur Phthiſicorum, & cachecticorum color ſimilis appareat.

V.

Cur Phthiſicorum pedes intumeſcant, & primi moriantur; vbi Romani caſus hiſtoria breuiſſime deſcribitur.

VI.

Cur, & quando medici Aulici libere, & iuxta artem prognoſticum efferre nequeant.

VII.

D *Quænam ſint naturæ ad Phthiſim maximè omnium diſpoſitæ.*

VIII.

Tabes aſthmatica vnde fiat, & quomodo ab Auctore in Romano iuuene curata.

IX.

Cur dicat Hipp. in peripneumonia dolorem eſſe in vtriſque lateribus, & in pleuritide in vno tantum.

X.

Cur in quibuſdam poſt obitum inuenti ſint pulmones coſtis adhæreſcentes, & quæ, dum viuebant, ſymptomata paterentur.

Ad

A

Ad Thomam Mazzolinum Foropompilienſem Diſcipulum dilectiſsimum.

DIſceſſurus Roma quamprimum, & in Patriam reuerſurus, Amantiſsime Thoma petijſti a me, vt vellem tibi non nulla Quæſita ex ijs, quæ in Phthiſi morbo ſanè teterrimo publice in Gymnaſio paulo ante Natalem Diem Saluatoris Noſtri IESV Chriſti. pro virili enodaui, literis notata tradere, addens, dum Bononiæ operam medicinæ dabas ſub Viris Celeberrimis, qui & ipſi vocatam practicam docebant, velut apud eos, qui Praxis varia edidere commentaria, huiuſcemodi problemata nec vnquam audijſſe, nec hactenus reperire potuiſſe. Vnde B
ego, licet mea tam magni facere non ſoleam, denegare tamen tibi minime poſſum, quod alijs Condiſcipulis, & Auditoribus libētiſsimè ſemper præſtiti. Rem quidem in aliud tempus ſcribendi oneri opportunius differre mens erat; at tu neceſsitatem inuiſendi Patrem lecto decumbētem obuiam feciſti, cum perpulchra illa Senecę ſententia 2. de Benef. *Multum celeritas fecit, multū abſtulit mora.* Quamobrem ſi mea reſponſa non vndequaque ſatisfacient tibi, & alijs Flaminiæ medicis doctiſsimis, quibus forte ea cōmunicabis, nihilo magis in me, quā in tuam feſtinationem culpa refundenda erit. Quæ celeritas non eam hic habebit vtilitatem, quam in beneficijs conferendis Seneca proponit, eo quod *omnia non properanti clara fieri, & manifeſta, feſtinationem vero cæcam, & improuidam eſſe,* & Liuij conſtat teſtimonio, & clariſſimo experimento quotidie cernimus. C
Neſcio qui Pictor, dicente Plutarcho, depictam quandam tabellam detulit ad Apellem, a quo iudicium de ea expectabat, ſed quia ſimul verebatur, ne tā magno illa in Arte viro diſpliceret, ſtatim, ſe ex tempore, ac volanti penicillo figuram delineaſſe, addidit; cui Apelles reſpondens ait, *Id vel te ſilente facile cognoſco.* Vnde Plato pleraque ſcriptorum cum Adonijs hortis comparabat, qui ſubito, & die vno nati, celerrime pereunt. Quoad Patrem tamen Medico opera indigentem laudo cum Seneca, vt dicto citius diſcedere feſtines, præſertim quia iter erit multorum dierum, & in media, ac gelidiſſima hyeme; nam ſcriptum eſt etiā ab Hippocrat. noſtro, quem idem Seneca ad Lucillium maximum Medicorum, & Medicinę conditorem vocat. *In re medica procraſtinationem eſſe peſſimam,* nec non *tempus eſſe illud, in quo reperitur occaſio, occaſionem vero, in qua tempus non multum.* Quoquomodo igitur poſſum in tanta temporis anguſtia nunc D
reſpondeo libentius, quod ſi aliqua fuerint omiſſa, vbi de Morbis pectoris frequentioribus agetur, compenſare ſtudebo. Tuum vero erit, vbi patrios locos tenueris, & per otium ſingula acuto ingenio tuo perluſtraueris, quid ſentias, & an reſponſa placeant, vel ne, ad me libere, & amice reſcribere; ſic enim mihi iucundiſſimam rem te eſſe facturum perſuaſum habe, & me ama.

Poſt tuſſim ad hęmoptoidem, & poſt hanc ad Phthiſim meum in Scholis, ſeu, vt hodie vocant, Lectionibus ſermonem conuerti, quia frequentiſſima

Phthiſis

A Phthiſis origo ita fieri ſolet, vt longa ſcilicet, moleſta, & lancinans tuſſis ex capitis deſtillatione præcedat, mox eam excipiat, ac inſequatur hemoptois, hoc eſt ſanguinis ſputum, vel ab ore exitus, poſt quem deinceps ſuboriri incipit peſſima illa, inſanabiliſque affectio, quam cum Græcis Phthiſim ex vlcere pulmonum prouenientem vocamus. Ad quod reſpiciens Trallianus ſcripſit vix eſſe morbum periculoſiorem ſanguinis reiectatione, aut ſpuitione, non tam quod per ſe iugi inanitione hominem ſæpe exanimat, quã quod exitialis, atque chronica cum horrenda mentis vacillatione poſt eam naſcitur affectio. Vnde illud;

Cernis vt è mollis ſanguis pulmone remiſſus,
Ad Stygias certo tramite ducit aquas?

B De hoc ſiquidem ſputo ſanguinis intelligi ſermo noſter debet, de quo multo ante omnes alios ita dixerat Hippocr. 5. Aphor. 16. *A ſanguinis ſputo puris ſputum, a puris ſputo tabes.* Qui Aphoriſmus veritatẽ habet in hæmoptyſi a cauſa, de qua nunc, veluti in ea, quæ apertione, aut ruptione vaſis alicuius, ex qua vlcus relinquitur, quo tunicæ vaſorum cum ipſius pulmonis carne eroduntur. Quod quidem ideo dixi, quoniam datur Phthiſeos differentia, in qua contra fit, & minime verum eſt, quod in Aphoriſmo tradit Hippocrat. A ſputo enim puris, ſputũ ſanguinis exoritur, cuiuſmodi eſt illa, quæ fit ex ſucceſſione pleuritidis, anginæ, ac peripneumoniæ, in quibus rupta vomica intra quadraginta dies repurgari non potuit. Priuſquam autem ad explicandam phthiſis ipſius naturam me cõferrem per definitionem a Gal. traditam 7. Aph. 16. quod nimirum

C ſit inſignis quædam corporis totius extenuatio cum lenta febre ex vlcere pulmonum inſanabili, ad euitandam omnem ambiguitatem, quæ ex homonymia oriri, ac manare potuiſſet, dictum a me fuit inprimis, & ante omnia per phthiſim, ſeu Tabem haud intelligi oportere tabem omnem, ſeu quamlibet corporis conſumptionem, ſed tantummodo maciem illam, cuius cauſa ſit vlcus pulmonum. Quod idcirco magis faciendum mihi eſſe duxi, quia non ſemel apud Hip. reperire fas eſt, φθινώδεας, ac φθινοῦντας, ſiue tabidos vocari, non ſolum eos, qui vlceris pulmonum gratia conſumuntur, verum & illos ſimiliter qui alia quacunque de cauſa extenuantur, & contabeſcunt, vt notabat Gal. 1. epid. comm. 2. text. 17. nec non eos etiam, qui adhuc vere tabidi non ſunt, ſed quorum natura ad Tabem vergere videtur, vt patet. 4. Aph. 8. quales illi eſſe

D videntur, qui tam anguſto ſunt thorace, & reſtricto, vt a tergo in morem alarum illis ſcapulæ promineant. Hos quoque Hipp. multis in locis, potiſſimum vero lib. 6. epid. ſect. 3. tex. 9. πτερυγώδεα nominat. Accedebat Celſi locus lib. 3. capit. 22. in quo Tabis nomen valde latius patet, quam phthiſis, quoniam Latinus ille Hippocr. Tabem diuidit in ἀτροφίαν, καχεξίαν, φθίσιν; nos tamen velle eum intelligi diximus de Tabe proprie ſumpta, hoc eſt, de ijs, quibus ob pulmonem exulceratum marceſſit corpus, quique phthoe laborant. Cuius quidem rei occaſione explanandũ ſuſcepi; vtrum Celſus nota aliqua ſugillari

poſsit, eo quod Tabem ad cachexiam quoq; pertinere ſcribat. Cachexia enim, A quæcunque illa ſit (nam variat pro ſanguinis conditione varia) ab atrophia, quæ eadem eſt cum Tabe, vel emaciatione ex alimenti penuria quam longiſſimè diſtat, quod in atrophia extenuatum corpus ſenſim contabeſcit, in cachexia vero ampliorem id molem habet, vt inquit Fernelius, qui etiam ſubiungit. *In atrophia, quod in venis eſt, nec concreſcit, nec parti adhæreſcit, vſque ſanguinis appellationem meretur. In cachexia, & concreſcit, & nutrienda parti adhæreſcit, atque licet pituitoſus, melancholicus, aut aliter vitiatus ſanguis tandem appellatur.* Quapropter quod Celſus Tabem vocauerit eam quoque affectionem, quæ aliter Græcis atrophia dicitur, nulla debet eſſe admiratio, quoniam & Ariſtotel. ipſe iuxta eundem ſenſum videtur accepiſſe Tabem 28. Probl. 1. vbi Dionyſium Tabe extinctum fuiſſe refert. ſed mirum de eo B eſt, & a multis reprehenditur, quod appellauerit cachexiam Tabem, eo quod in cachexia, ſeu malo corporis habitu laxus potius tumor, & auctio corporis exiſtat, quam extenuatio. Vnde etiam dicunt aliqui male Altomarium Tabis ſpeciem cachexiam feciſſe, cum homines in cachexia nutritione non priuentur, quamuis praue nutriantur. Quid ergo pro Celſo, & Altomario reſpondebimus. Sunt qui putant Celſum non reſpexiſſe carnes in huiuſmodi appellatione expurganda, ſed potius colorem, qui cadaueroſus eſſe ſolet. Mehercle, & in cachecticis, & in tabidis qui conſpicitur color ſimillimus eſt. Vidiſti vnquam, mi Thoma, Virgines quaſdam febre alba laborantes, & ſimul pituitoſa cachexia, cum pica, & menſium cohibitione, in quibus nitor inſitus ſquallet, viuidique coloris flos perijt, iam quaſi præ- C ſente leucophlegmatia? Fit enim fere ille idem color, de quo Hippocrat. in Epid. *Ei, qui in iecur percuſſus eſt iaculo, color per totum corpus diffuſus, qualis cadauerum eſſe ſolet.* Ita & in tabidis, quorum corpora prope cadauera ſunt, euenire conſtat, licet in cacheticis ob præſentiam vitioſi, & conſpurcati ſanguinis ſecundum alteram Hippocrat. ſententiam 6. Epid. *luſtum, eſt prout fuerit alimentum, ita & quod forinſecus eſt ſequi*; in alijs verò potius ob ſanguinis defectum, & ſpirituum pauperiem; Ad quam quidem in colore ſimilitudinem etſi a diuerſa cauſa oriundam ſi Celſus reſpexit, & ideo tabidos cum cachecticis confudit, non adeo temere factum id ab eo fuiſſe credendum eſt; huiuſmodi enim licentia Medicis, qui ſenſum maxime inſequuntur, condonari debet. Attamen, ſi non ratione coloris Celſus voluit nomen Ta- D bis latius patere, quam Phthiſis, & propterea etiam cachexiæ aliam ob cauſam adaptari, quid pro eo dicendum? An quia tabidi tam proprie, quam improprie ſumpti cachectici ſimul plerunque ſunt? Videre eſt enim quam multos, qui licet ſecundum plures corporis partes, præſertim ſuperiores, conſumpti, ac tabefacti apparent; tamen ſecundum crura, & pedes laxos, & œdematoſos habent tumores, vt vna tabidi eſſe dici poſſint, & cachetici. Ita Hip. in Progn. & in Coac. notat in Empijs, & phthiſicis tumores circa pedes, quia ſ. crudus

humor,

A humor, qui concoqui in ijs non poteſt langueſcente partium ſolidarum calore, ad pedes ipſos demittitur, tanquam ad partem imbecilliorem, & a qua primum totius corporis incipit interitus, idque tum quoniam ſuapte natura frigida pars eſt,& neruoſa,tum qua longiſſime a principio vitæ, & fonte caloris diſtat. Hoc ipſum ſymptoma inter cętera patiebatur etiam morbo iam progreſſo Iulius Pauonus Ariminenſis D. Iacobi Eques, qui poſt contumacem valde,ac diuturnam deſtillationem, non tamen ſalſam, aut vllo modo acrem, ſed omnino qualis fuit olim ſub eodem Cœlo in Romana illa Matrona Galeni, & poſt moleſtiſſimam tuſsim; quæ duo nullo vnquam pacto vel exactiſsima inſtituta per 40. dies curatione miteſcere voluerunt, necnon poſt intempeſtiuam mutationem ad aerem Tuſculanum frigidiorem, in ſputum ſangui-
B nis incidit copioſi, valde rubentis, & ſpumantis; quo viſo, ſtatim, Fratre eius Illuſtriſs. præſente, quemadmodum, & Hieronymo Pallota apud Tuſculanos Medico expertiſsimo mihi vndequaque aſſentiente, certam inſtare Phthiſim libere, & aperte pronunciaui, addens, nec auxilia eſſe differenda, quæ ſanguinem è pulmonibus manantem cohibendi,& phlogoſim prohibendi facultatem haberent. Attamen qui nobiſcum aderat Medicus ſenior, ſpagyricis potius,quam phyſicis dogmatibus imbutus, annos ſolum,& canitiem iactans, ſemper vel in ipſo mortis limine conſtanter affirmare auſus fuit, nullum adeſſe vitæ diſcrimen, ſanguinem a capite prolapſum, febrem eſſe catarrhalem, emaciationem longarum febrium eſſe propriam, & demum tumores illos circa genua, & pedes infimos inditium præſeferre ſalutis, & prævalidæ
C naturæ excrementa cruda a nobilioribus ad ignobiliores partes detrudentis; cuius quidem ſuauibus, & conſolatorijs verbis deliniti conſanguinei totam illi curam demandarunt, neglectis ijs, qui vera dicebant, alijs forſitan de cauſis. Cauendum ſiquidem eſt Medicis Aulicis tanquam a peſti, libere, & iuxta Artis placita prognoſticum efferre, ſi vel ad interitum morbus vergat, vel ad effatu dignam longitudinem, vel denique contagionis alicuius ſuſpicio adſit. Alioqui enim inſurgunt ſtatim è ſeruientium turba adulatores, ac blaterones, quibus ſecreto adhærent malis artibus inſtructi magis, quam literarum ſtudijs dediti æmulantes Medici, omneſque ſimul tot, tantaque diu, noctuque moliuntur, vt loco tandem cedere neceſſe ſit, donec mali-
D gnantium calumniæ callide vulgatæ, ac diu temere creditæ omnibus detegantur, & in fumum abeant, totius rei veritate vbique refulgente. Verum ad rem noſtram. Quot hydropicis ex aqua, vel flatibus, omnis intumeſcit abdominis regio, at reliquæ partes quaſi tabe conſumptæ videntur? Quo, ni fallor, reſpexit Poeta Hetruſcus ita canens.

E viddi vn fatto a guiſa di leuto.

An non in vere etiam Tabidis maximus humorũ crudorum prouentus ex imbecillo calore; & diſiectis facultatibus, præſertim naturalibus, coaceruatur? Quid ſi dicamus tandem, in cachexia vero, & probo alimento membra non

minus orbata eſſe, quam in Phthiſi, indeque cachecticorum quoque membra A
licet prauo alimento tumida, probo tamen, & euchymo priuata quodammo-
do tabeſcere dici poſſent. Et hæc de primo Quæſito. Ad ſecundum quod atti-
net, puto me ei abunde ſatisfeciſſe, cum de ſignis futuram, ac impendentem
phthiſim præindicantibus loquebar. Primum etenim a me enarratum illud
fuit, quod a corporis, vt aiunt, diſpoſitione elicere medici ſolent, eo quod ma-
gnam vtique in omnium morborum generatione occaſionem præbet corpo-
ris paſſuri habilitas. Tritum eſt ſiquidem ex Hippocrat. & Galeno, eos maxi-
xime eſſe ad phthiſim contrahendam paratos, atque diſpoſitos, qui πτερυγώδεις
ſunt ſeu alati, idque multo magis, ſi addatur illud, quod in medicina exercen-
da non raro obſeruatur, vt nimirum caput illorum facile impleatur, & ad ſpi-
ritus inſtrumenta deſtillationes frequentes tranſmittat. In quibus enim hæc B
duo ſimul conueniunt, thoracis anguſtia, & capitis debilitas, profecto horum
naturæ quam facillime ad tabidum vergunt. Hoc autem illud eſſe dicebam
quod Hippocrat. 1. Coac. Pręn. ſect. 2. aphor. 16. per habitus tabidos innuere
nobis voluit, per quos omnino intelligit vitioſas in corpore conſtitutiones,
quibus ſæpe multi ad phthiſim præparantur, de quibus locutus eſt etiam 4.
Epid. cum dixit. *Quibuſdam caput primum, vergebatque iis ad tabidum natura.* Ra-
tio autẽ huiuſce propenſionis afferebatur a me quia in his caput quauis ex cau-
ſa prompte nimis repletur, repletionemque caput ipſum ægrè ferens tanquã
onus ſuis viribus impar deponit in pulmones imbecilles, qui licet fluxionem
demiſſam facile excipiant, vt proprium eſt omnium corporum, quæ ſuapte
natura ſunt rara, ac mollia, non tamen a ſe poſtea ita prompte dimittere va- C
lent, accedente ſ. in pulmonibus eorum, qui ad phthiſim vergunt, connaturali
anguſtia, præqua libere ſe dilatare non poſſunt, & quod in ipſiſmet pulmoni-
bus, non, ſicut in cerebro, ſuperuacuis expurgandis idonei patent aditus,
atque meatus. Quare dubitandum non eſt, fluxiones intus cohibitas ſola
etiam humiditate poſſe longa mora pulmones corrumpere ac putrefacere eo
modo, quo poſt Galen. ſcripſit Auicenna, ex pituita retenta tempore, ſen-
ſimque pulmones contabeſcere, abſque eo, quod fluxio ipſa acrimonia ad
quiſita pulmones arrodat. Prætereà ſcribit elegantiſſimus Fernelius ob vitio-
ſam pulmonum conſtitutionem, hoc eſt non ob intemperiem, ſed mollem
tenellam, ac corruptioni paratam pulmonum ſubſtantiam, pleroſque
ab ipſo ortu, & a parentibus latente pulmonum vitio teneri, quo tan- D
dem omnes contabeſcunt, etiam ſi nulla, aut certe minima deſtillatio a cere-
bro, vel aliunde procumbat. Et hæc forſitam eſt illa phthiſis ſpecies, quam
2. prorr. hæreditariam facit Hippocrates, quia, vt alibi dixit, *phthiſici, phthiſicos*
gignunt, vt interdum videre contingat, quibus pulmo ingenito quodam vitio
per hæreditatem contracto flaueſcentiæ cuidam ac tabi obnoxius fiat, in
quo, ignorantibus ægris ipſis, tabifici morbi ſeminaria latitant, per menſes
& annos, donec ex improuiſo plures euſdem familiæ breui tempore è me-
dio tolli videmus, quaſi ex peculio, ac per inſidias tabe in omnes ſerpen-

te, pro-

A te, propter ſimilem pulmonum prauam conſtitutionem ex eodem ſemine con-
tractam, & proinde quicunque ab ortu vitioſos ſortiti ſunt pulmones, etiam
citra vlcus, & cruentam, ſordidamque ſcreationem tabidi fieri poſſunt. Legas
obſecro hac de re Galenum lib. 4. de loc. aff. cap vltimo, vnde tibi, & vnicuique
conſtabit haud omnem phthiſim, aut ex antecedente hæmoptyſi fieri, aut ex
ſuppuratione, aut ex acri catarrho, quæ frequentiſſimæ ſunt tabeſcentium ori-
gines, ſed aliter, quamuis raro, phthiſicos etiam poſſe fieri vt propter humidita-
tem cum calore quodam coniunctam, quæ ad putrefactionem viſceris molliſſi-
mi ſatis eſſe poteſt, aut propter immodicum calorem ex vicino corde, qui pitui-
tam exacuit, & adurit, vt per moram erodat pulmones effluxu, & excremento-
rum meatibus fere deſtitutos, viriſq; inſitas poſt glandulas maxime debiles ha-
B bentes. Ex quibus pariter colligere fas eſt, aliquando etiam pulmonibus exul-
ceratis haud eſſe neceſſarium, phthiſi iungi purulentum ſputum, cum alijs cau-
ſis ceſſare ſcreatio poſsit, præcipuè verò aut ob puris craſsitiem, aut expultricis
infirmitatem. Ad phthiſim abſque vllo penitùs pulmonum vlcere referri poſſe
videtur tabes aſthmatica appellata quam ponit Hippocrat. in lib. de morb. in
qua infarctis aſperæ arteriæ ramis glutinoſiſsima pituita ob reſpirationis no-
xam, totius corporis conſumptio ſequitur, modo cum febre, modò ſine illa; cu-
iuſmodi Romæ fuit in filia quadam virum adhuc non experta D. Fabij de Man
ſuetis prope Fanum Patrum Cruciferorum, quæ per aliquot annos hectica iu-
dicata quaſi pro deplorata relinquebatur; Huic poſt varias purgationes blan-
diores exhibitum a me fuit decoctum ex ſalſa, viſco quercino, modico ſaſſafras
C cum ſimplicibus thoracicis, atque cephalicis in iure pulli paratum, & ſimul ca-
piti varijs cum internis, tum externis auxilijs prouiſum, pro vt in catarrho con-
tumaci, & in difficiliori aſthmate facere ſolent Medici; Ideo non multos poſt
menſes reualeſcere viſa eſt, non modo reuiuiſcere, nuncque, quoad huiuſmodi
morbum, valde belle ſe habet, depoſita macie, & nulla ferè cum difficultate re-
ſpirationis munere fungente. Verumtamen caſus a Galeno relati rari ad-
modum ſunt, & hæreditaria tabes ex vitioſa tantum pulmonum conſtitutio-
ne forſitan præparatio potius quædam eſt ad phthiſim, quā vera phthiſis, quæ
cum venerit, aliquam ex ſupra allatis cauſis magis proximam habebit. Ad ter-
tium me confero enarrandum Quæſitum, in quo ſanè video Medicos prælariſ-
ſimos fuiſſe hallucinatos, quemadmodum, & in alio de febre phthiſicorum, de
D quo alibi. Dum varia igitur, ſi memoria tenes, ſigna expendebam phthiſis iam
præſentis, & quæ in tabidis ex phthoe a medicis obſeruari, ac magnifieri ſolent
ac debent, priuſquam ſententiam propriam de futuro euentu efferant, & cu-
rationem ipſam explicandā ſuſcipiant, dicebatur a me, vt ſigna vlla plurimi ſunt
æſtimanda, quæ nobis indicant, vtrum vlcus in pulmone ſit, an in trachea, ita
nec illa eſſe parui facienda, quę cum pulmo in duas fibras vngulæ bubulæ mo-
do, vt Celſus ait, diuidatur videlicet in dextram, atq; ſiniſtram alam, ita vt vtra-
que ſimul, & inuicem iuncta bubuli pedis formā præſeferat, vtra in parte vlcus
ipſum adſit, aperire nobis valent, idque dixi, non quod re vera crediderim ma-

gni admodum referre pro therapia, ac prognoſi phthiſicorum, an hæc vel illa A
pulmonis pars vlcere tentata ſit. Neque enim hæc ſe res habet, vt in empyema-
te, in quo iubet Hippocrat. magna cura diſcernendum, an pus vtraque in parte
ſit, an tantummodo in altera, id quod plurimum habet momenti ad præſagium,
& ad omnem curandi rationem, quæ aut ſectione celebratur, aut vſtione; ſed
vt pro virili quidquam in tam ſæuo, & frequenti morbo intactum minime re-
linquerem, & quia ſimiliter in principali ſigno, quod quidam è veteribus ac iu-
nioribus afferunt pro eiuſmodi re dijudicanda nullo pacto conuenire videtur
Sunt enim qui dicunt, ſi vlcus ſit in parte dextra pulmonis, melius decumbere
ægros ſuper eam, quam ſuper oppoſitam, inter quos ponit Mercurialis Caſſium
medicum antiquiſſimum, qui 6. probl. ſcribit in affectibus pulmonis, iecoris, &
lienis ſemper dolorem percipi in latere, in quo nõ decumbitur, eo quod viſcera B
affecta velut ſuſpenſa manent, ſicque maiorem inducunt dolorem; ſed refera-
mus obſecro eiuſdem Caſſij verba *cur,* inquit, *è iecinore, liene, pulmonibuſve labo-
rantes in locum affectum minus difficulter decumbunt, cum oportuerit, qua locus affe-
ctus premitur dolorem increſceſcere? Dicendum quod ſi in contrarium latus fiat decu-
bitus, quædam veluti penſilis oneris moles relinquitur, & dum locus patiens ita ſuſpen-
ditur, maior certè ſentitur cruciatus.* Ex altera parte Fernelius eſt, qui de Part.
morb. & ſymptom. lib. 5 cap. 10. contrariam hac de re ſententiam habet illis in
verbis: *Id poſtremo de omni affectu internoſcendum, in vtro pulmone conſiſtat: ſi alter
duntaxat obſtructione, vel peripneumonia, vel vomica, vel vlcere tentatur, inſpira-
tione magna, atque etiam tuſſi, grauitas, aut offendiculum eſt in affecto latere, è quo &
nonnunquam ſputum corradi, ac educi percipitur. In affectum latus decumbenti ſpira-* C
*tio difficilior, tuſſiſque crebior euadit, contraque accidit, quam in vera pleuritide, & in
iecoris, aut lienis inflammatione, & in nephritide. Sub his enim tolerabilior, laborante
vero pulmone moleſtior eſt in latus affectum decubitus.* Hæc Fernelius, qui ſi, vt pu-
to ego, recte ſentit, vereor ne vna cum Caſſio Mercurialis etiam hac in re deter-
minanda aberrauerit, quando nimirum ſubiungit Caſſij ſententiam ſolum ve-
ram eſſe in viſceribus, quæ tumore afficiuntur, cum in tabe, quæcunque illa ſit,
nullus ſit tumor, ac propterea non ſit neceſſarium vt huiuſmodi ſignum adſit.
Nam Fernelius decubitum in latus affectum in omni pulmonum morbo, etiã
in peripneumonia, in qua eſt tumor, tolerabiliorem eſſe omnino negat, licet de
alijs viſceribus, iecore, liene renibus inflãmatione obſeſſis, & exquiſita pleuriti-
de verũ eſſe concedat. Reſponderem ego itaque hoc internis fere omnibus in- D
flammationibus commune eſſe videri, vt dolor ex decubitu ſupra ſanum latus
augeatur, quia pendens tumor magis grauat; ſed in pulmonum morbis putaue-
rim ſecus euenire, quoniam ſi ala eorum per exemplum dextra phlegmone af-
ficitur, pondere grauata a ſiniſtra ſuperincubante, in proximum latus impingat
oportet, per quem contactum latus illud dolere neceſſe eſt, nec vllo modo mi-
nus iniucundum ſupra ipſum decumbere. Sic puto intelligendum eſſe Hippo-
cratem lib. de loc. in hom. vbi ponens differentiam inter peripneumoniam, ac
pleuritidem, ſcribit inter ſeſe diſcrepare in eo, quod in peripneumonia dolor

eſt

A eſt in vtriſque lateribus, in pleuritide verò in vno tantum latere, quia nimirum
pulmones cum ſenſu tactus aut omnino careat, aut non niſi obtuſiſſimo donati
ſint, neque dolorem pati, aut inferre nobis poſſunt. Facilius autem eſt contactũ
lateris fieri a parte tumefacta, dum præſertim attollitur, quàm ab altera ſaniori,
ſi ſuper eam decubitus fiat. At dices hoc ipſum reſponſum aliqua non carere
probabilitate, ſi difficultas accipiatur de peripneumonia, & vomica, in quibus
manifeſtè pars illa pulmonum, quam occupant, extuberat, ſed in phthiſi, in qua
exulcerati ſunt tantummodo, & non tumefacti pulmones quid dicendum erit?
An talè ſignum hoc in mali genere vti ſuperuacaneum temere, ac citra rationem
inquiritur, cum non adeſſe poſſe cenſeat Mercurialis? An potius cum de tabe
etiam clare per Fernelium Quæſitum accipere poſſimus, moleſtiam, ac malam
B ſenſationem, præ qua in affectum latus phthiſici decumbere vix poſſunt, penes
aliam conſiderationem intelligere oportet, dico penes tuſſim frequentiorem,
quæ ex tali decubitu promoueri, ac excitari facilius poſſe videtur, obſtructione
facta maiori, aut etiam purulenta vlceris materia acriori ab vlcerata parte è pen
ſilis oneris mole expreſſa magis, in arterias, aut in partis pulmonum laborantis
membranam, in quibus ſentiendi vis haud obſcura ineſt, demandata? Quod e-
nim decubitus in affectum latus aliquando ſit moleſtior cauſa tuſſis frequẽtio-
ris, quàm ob grauitatis ſenſum, patet quoque in Empyis, in quibus magis ſom-
num interturbat, & moleſtiam infert huiuſcemodi tuſſis, quàm faciat ponderis
ipſius ſenſus, quem licet tradat Hippoc. 6. Coacar. prænot. ſect. 2. Aph. 3. magis
percipi ab illis, dum in alterum latus, quod ſanum eſt, incumbunt, quia ſcilicet
C in latus ægrum decumbenti pus in coſtas recumbit, attamen interdum mole-
ſtiſſimus eſt decubitus in purulentam materiam, propter tuſſim ortam ex eo,
quod pulmones ſeſe ad ſaniem applicant. Inter ſepientes vero membranæ (vt
tacitæ ſatisfaciam obiectioni) a pectore ad ſpinam protentæ, quæ mediaſtinum
appellatum conſtituunt, & vniuerſam thoracis capacitatem in duos ſinus diri-
munt, non adeo tenſæ ſunt, vt alterius pulmonum alæ pondus omnino μετέωρον,
aut ſuſpenſum continentes impediant, quominus ſubiectam alam onere aliquo
grauet. Quamobrem nec verum erit quod Caſſius de morbis omnibus pulmo-
num in vniuerſum affirmat, neque quod adijcit Mercurialis de affectibus tantũ
inflammatorijs, & ex partis tumeſcentia oriundis, cum & hoc de pulmone fal-
ſiſſimum ſit; ob iam allatas cauſas, & rationes, quæ Fernelij ſententiam ſatis ſu-
D perque confirmant. Veruntamen ſciendũ tibi eſt, interdum poſſe dari caſum,
in quo verificetur Caſſij opinio, ſed non ea quam ipſe ponit, ratione, quia res eſt
ab antiquioribus Medices diſſimulata, niſi velimus Hippocratem ipſum in lib.
de loc. in hom. ſemel tantum, & quaſi κατὰ πάρεργον eam nobis innuere voluiſſe;
quando ſcilicet pulmones eiuſdem lateris cum membrana pleura, & coſtas in-
ternas ſuccingente morboſam ob cauſam, & omnino præter naturam pertinaci-
ter adhærent; vnde, ne a noſtro, ac iam propoſito diſcedamus exemplo, adhæſu
dextræ pulmonis alæ cum pleura ipſa dextris lateris, ex decubitu in ſiniſtrum
latus, eo tendens lateris dextri pulmo membranam, cui hæret, ſecum trahens,

atque diſtendens, doloris illa in parte cauſa euadit. At illud eſt animaduerſione A dignum, tali in caſu doloris ſenſum percipi quoque poſſe ex decubitu in idem latus affectum, prout ſupra dicebatur, quia adhæſus pulmonis affecti cum eiuſdem lateris membrana fit interuentu pituitæ, aut ſaniei cuiuſdam lentæ, quæ è læſo pulmone dimanans eum contagione lateri agglutinat, ac demum putreſcēs latus pulmonemque labefactat. Ioannes Zecchius ab initio ſuarum Conſultationum duas affert hiſtorias ad rem hanc vndequaquam dilucidandam accommodatiſſimas, quarum ſecunda oculata fide confirmata vndique fuit, & prima quidem refertur occaſione affectus eiuſdem prorſus naturæ cum eo, de quo ſermo noſter, quoniam æger ille poſt hęmoptoidem in phthiſim inciderat. Sed Clariſſimi Viri verba integra audiamus. *Illud etiam non contemnendum videtur; qui fiat, vt patiens hic, ſi in latus ſiniſtrum cubare tentet, inſignem ſpirandi difficulta-* B *tem experiatur, ſimulque tuſſis adeo moleſta irritetur, vt quaſi ſtrangulari videatur; interimque dolorem quendam thoracis lateris oppoſiti perſentiat? An, quia cum pulmones lateris ſiniſtræ, qui à dextris ſeparantur, multis excrementis pituitoſis repleti, ideoque ægrè ſequentes, cubante ægro in ſiniſtrum latus, à dextris pulmonibus conſidentibus preſſi, ægrius etiam, atque difficilius ita ſequantur, vt panem alacriter edatur? Quod autem hoc tempore oppoſitum doleat latus, id in morbum quendam à veteribus Medicis diſſimulatum reijciendum puto; nimirum in quandam præter naturam pulmonum eiuſdem lateris cum membrana coſtas internas veſtiente pertinacem adhæſionem; vnde in decubitu ad ſiniſtrum latus eo tendentes dextri lateris pulmones, & membranam, cui hærent quaſi ſecum trahentes, & diſtendentes doloris ea in parte ſunt in cauſa. Scio equidem Hipp. in lib. De loc. in hom. ſemel tantum, & obiter meminiſſe thoracis* C *affectus cuiuſdam pleuritici, in quo pulmones pituitoſi humoris interuentu coſtis agglutinantur. Sed morbus hic breuis dierum ſpatio videlicet in ſeptima die ſoluitur. At verò ille, de quo nunc agimus, ſi inter initia diligenter non curetur; menſibus, & annis progreditur; nec non niſi cum ægrotantis vita finitur. Talem non obſeruarunt veteres hominis calamitatem. Noui ego inter alios Nobilem quendam ex Incoronatorum familia Romanum, qui a diuturna capitis deſtillatione in ſpirandi difficultatem ſine ſtercore inciderat: atque malo progrediente eò deuenerat, vt in alterutrum latus dextrum videlicet, & ſiniſtrum non ſine labore, & anxietate quadam cubare poſſet; in dorſum nequaquam ob ingentiſſimos dolores, & cruciatus, quos in ſpinam iacendo, iuxta anteriorem thoracis partem experiebatur. In ventrem autem commodior, minuſque moleſtus huic decubitus erat. Quippe vitam miſeram hiſce tormentis, menſibus, & annis du-* D *xit; ac tandem morbi huius ſæuitia diem ſuum obijt. Et diſſecto cadauere obſeruatum fuit pulmones thoracis coſtis omnibus anterioribus ita pertinaciter hærere, vt non niſi cultello ſeiungi poſſent. Quod autem ſoli homini contingat pulmones ſupremos propria membrana mediante claniculæ oſſibus, & ſuperioribus coſtis vndique firmiter hærere Fallopius præ cæteris Anatomicis diligenter obſeruauit. Verum hoc eſt ex naturæ inſtituto: illud autem morboſum prorſus, & animali infeſtiſſimum.* Plures verò ſunt, quibus poſt obitum in diſſectione inuenti fuere pulmones ad latera vel dextrorſum, vel ſiniſtrorum, aut ſecundum anticam, aut ſecundum poſticam partem

cum

A cum pectore per mediam pleuram coniuncti, adhærenteſque præſertim qui in
vita morbos è frequentioribus ad ſpiritales vias deſtillationibus perpeti con-
ſueuerunt, in quorum numero, ac ſerie collocandus inter alios eſt Bonifacius
Cardinalis Caetanus cuius nomen multiplicem ob illius doctrinam & admiran-
dam eloquẽtiam vbique locorum refulget, qui licet morbis alijs a pectore lon-
ge ſemotis obierit, nimirum ex diuturnis, & acerrimis nephriticis doloribus, nec
non & ventriculi, a quibus ſæpiſſime, alias proiectis calculis, & flatibus diſcuſſis,
a me fuerat liberatus, potiſſimum verò ob impactos intra vreterem ſiniſtrum
lapillos exiguæ quidem molis, ſed angulares valde, & acutos, veluti propter
inappetentiam, coctionem primam impenſe læſam, aliaque ſymptomata ad
ventris, & nutritoriæ œconomiæ regionem pertinentia, vt fieri nephriticis in
B morbis ſolet, nihilominus morbus ejus præcipuus, & a quo fere aſſidue crucia-
batur, aſthma erat cum orthopnæa iunctum, præter quam ab vno, & altero an-
no ante mortem, poſt febrem ſcilicet mali moris, peſtilentemque, ob cœli fa-
ctam mutationem autumni tempore, auſtrina vigente conſtitutione, a quo
tempore capitis deſtillatio iugis materiei craſſæ adeo, & copioſæ vt ſimilem
nec antea, nec poſtea mihi vnquam in aliquo obſeruare contigerit, in ventricu-
lum, & renes, quaſi pectore poſthabito; deſcendere cœpit, nutritoriæ facul-
tatis munera interpellans, ac deprauans, & renibus ipſis materiam pro calculo-
rum generatione magis, quàm ante actis temporibus ſubminiſtrans; Imò præ-
ter anhelitus difficultatem, a qua nunquam ex toto videbatur immunis, inter-
dum etiam pleuritide corripiebatur, & non raro pectoris doloribus pleuriti-
C dem æmulantibus cum magna febre à quibus tamen intra biduum ad ſummum
liber euadebat, eruenta quadam, ac ſordida per tuſſim vehementem ſcreata
materia. Qui Princeps Illuſtriſſimus fermè ſemper erectis ceruice, ac pectore
dormire cogebatur; alioqui & tuſſis, & ſpiratio difficilis, & dolores ipſum mi-
ſere afficiebant. Huic igitur pulmones maiori ex parte coſtis interioribus per
eas veſtientem membranulam adhærentes reperti ſunt, & flaccidæ admodum
ſubſtantiæ cum nonnullis quoque lapillis leuioribus, ac ſpongioſis. Et hæc,
mi Thoma, erant, quæ tibi in tanta celeritate, & anguſtia temporis circa pro-
poſita Quæſita reſpondenda mihi occurrebant; Tu mihi fœlicem, vt moris eſt,
annum augurari voluiſti, & ego tibi vnà cum multorum annorum fœlicitate
proſperum iter a Deo præcor. Vale. Dat. Romæ Kal. Ianuarij 1620.

QVÆ-

 A

QVÆSITA PRIMARIA DVO IN ASTHMATE Examinando.

I.

Cur Aſthmatici non ſemper denſam, ſeu crebram habeant reſpirationem, vt cum Galeno Paulus, Aetius, & alij voluere, ſed tardam aliquando, & raram.

II.

Cur, & quando prouocantia vrinam hic vſurpanda ſint.

Secundaria Octo. B

I.

Cur reſpirandi actio imminuta interdum in Aſthmate ſit, non ſemper deprauata.

II.

Cur expiratio ſit promptior, & expeditior inſpiratione.

III.

Cur capite calefacto copioſior reddatur vrina.

IV.

Cur medicamenta purgatoria in morbis pectoris parum ex vſu ſint.

V.

Per quænam vaſa credant Galenus, & Auicenna pectoris abſceſſuum materiam in C
ventrem deriuari.

VI.

Cur diuretica medicamenta in educendo pure a pectore, & pulmone improbentur a Galeno.

VII.

Cur, & quando purgantia in pectoris affectionibus conueniant.

VIII.

Cur Hipp. modo laudet, modò damnet alui profluuium in pleuritide, & alijs pectoris morbis.

Ad Quintilium Gorum meum olim Diſcipulum. D

IN tradenda nuper meis in ſcholis Aſthmatis curandi ratione, dicebam medicamenta illa, quæ per vrinæ vias humorum colluuiem educere, ac expurgare ſolent, diuretica vocata, interdum poſſe a medicis ſumma cum vtilitate Aſthmaticis offerri. Attamen quia res eſt non vndequaque plana, & cui non ita facilè viri in Arte verſati aſſentiantur, ideo in animum induxi meum rem ipſam clarius, & vberius enarratam in commune beneficium promulgare, tibique in primis, ſtudioſiſſime Quintili, mittere,

A mittere, quia, cum illa die, vt & alijs ſæpe ad me audiendum acceſſeris, viſus mihi es eam magnifacere, dicens a te omnino dignam iudicari, quæ inter Quæſita mea reponatur, cum vix hactenus fuerit in conſideratione poſita, & a nemine prorſus, quem tibi videre contigerit, ità lucidè, & abundè enucleata fuerit. Ego itaque, qui tui ſimiles, dico ingenij acie prædiros, ac veræ medicinæ ſtudijs addictos magni ſemper feci, faciamque dum viuam. blaterones, amethodoſque, qui nec à limine diuinæ Artis myſteria ſalutarunt, ne flocci quidem curans, decreui ſtatim opus aggredi; Imò, cum de Aſthmate habendus nunc ſermo ſit, quid aliud adijcere etiam volui, quod anteactis diebus, præter omnium fermè opinionem pro viribus expenderam, circa ſcilicet reſpirationis læſionem, in qua non ſemper video ego, & alij viderunt ante me, rem ita ſe habere, ac putant cum B Galeno cæteri Græci medici; Singula more tuo attentè conſiderabis, vt a ſciolis illis, ſi tantum audebunt, eorumque aculeis intacta præcauere facilius poſſis. Vale, mi Quintili, & in inchoata ſtudia, toto pectore, vt hucuſque feciſti, incumbe, quia magnos facies in Arte progreſſus, nec tecum illi vnquam erunt conferendi.

In exordio itaque ſermonis de Aſthmate, poſt neſcio quædam allata, quæ ad nominis naturam potius, quam ad ipſam rei eſſentiam indagandam ſpectare videbantur, cępi ſtatim dubitare, & ſedulo inquirere, vtrum aſthmatici perpetuò densè, aut frequenter reſpirent, velut facere ſolent ij, qui currunt, & concitatiori motu corpus exercent, ita vt aſthmatis eſſentia, & idea in anhelatione denſa, aut crebra quadam reſpiratione collocari a nobis debeat iuxta Galeni C mentem 7. catar. 5. lib. 3. epid. com. 4. & 3. Aph. 26. quem pariter inſequuntur Paulus, Aetius, & reliqui omnes. Huic ſiquidem doctrinæ obijciebatur a me quotidiana obſeruatio, è qua non ſemel conſtare cuique poteſt, aſthmaticos, & orthopnoicos non modò non habere denſam, frequentemque reſpirationem, ſed penitus contrariam, qualis tarda, ac rara exiſtit, cuiuſmodi nuper erat in adoleſcentula regibera Filia D. Cęccarelli prope palatium Illuſtriſſimi Cardinalis Sfortiæ habitantis, cui in dextro brachio nulla vnquam potuit arteriæ pulſatio percipi, cum in ſiniſtro concitatus admodum, & inæqualis febrientium in morem pulſus ipſe appareret; Quæ quidem non ſolum tumoris intro vergentis occaſione anhelitus difficultatem perpetuò patiebatur, ſed ſæpe etiam ob delabentem a capite ad loca pectoris materiam pituitoſam in aſthma, & orthopnæam D incidebat, ita vt ſpirare, noctu præſertim, abſque ſonitu, ac ſtertore, & niſi recta ceruice minime poſſet; At reſpiratio ipſa nullo vnquam tempore, quo ad viſitationem accedebam, crebra fuit animaduerſa, ſed, vt dicebam, rara, ac tarda. Eadem obſeruatio facta a me fuit quam ſæpiſſime in Bonifacio Cardinali Caetano, qui acceſſione vigente nunquam ferè crebram habebat reſpirationem, ſed raram, & magnam, qualem Galenus 4. de loc. aff. 7. 1. de Diff. reſpir. 12. & alibi ex mente Hipp. ſolius delirij notam eſſe refert. Addo quòd ſi diligenter attendatur aſthmaticorum anhelatio, longe difficilior inſpiratio erit expiratione ipſa. Ex his deducebam non vndequaque & ſemper verum eſſe quod in aſthmate

ſpirandi

ſpirandi actio deprauata tantummodo fit, vt communiter aſſeritur, ſed huiuſmodi læſionem ad imminutam quoque actionem redigi a nobis poſſe, & veteres, dum aliter ſtatuerunt, ex eo poſſe excuſari, quia ad id quod plerunque & maiori ex parte euenit, reſpexerunt. Nam plurimi hoc arrepti ſymptomate crebro reſpirare conſueuere. At vnde obſecro oppoſitũ aliquando prouenit, & cur expiratio inſpiratione facilior? Iam ſcis optimè duo eſſe pneumaticorum inſtrumentorum genera, eo quod alia ſpiritum ſuſcipiant, hoc eſt pulmones cum ſuis fiſtulis, alia verò moueant, nempe thorax a ſuis muſculis agitatus. Si ergò forte fortuna contingat, non tantum pulmonum ductus, atque meatus redundantibus humoribus repleri, verum etiam & pulmones ipſos cum ſuis venis, & leuibus arterijs, & ſimul muſculorum thoracis vim motricem imbecillam eſſe, profectò non niſi difficulter thorax diſtendi, ſubleuarique poteſt, & pulmones nimium repleti, & grauati non niſi magna cum difficultate obſequi valent; ex quare fit, vt etiam cum labore, & maximo conatu, temporeque longiore natura inſpiratione moliatur, quæ dum fit, quoniam vires aliquantulum deijciuntur; natura ipſa vt quod deperditum eſt interpoſita quiete reficere, ac reparare quodãmodo poſſit, inſpirationem alteram non adeo ſollicitat, & ob id non ſolum tarda, ſed etiam rara ſequitur reſpiratio, in qua ſi expeditior, ac promptior expiratio videtur inſpiratione, non eſt cur aliquis miretur, quoniam huius partis reſpirationis organa facilè, & nullo ferè cum labore quaſi ſponte ſua ad id operis peragendum concidant. Quæ pauca de primo Quæſito dicta ſint pro tempore ſatis ad aliud nunc me confero. Affirmabam itaque te præſente, diuretica locum habere poſſe in curanda aſthmatica acceſſione, non ſolum quando imminet, impendetue, ſeu tempore intermedio, idque aſſerebam non modò quia veriſſimũ eſt vt plurimum, eadem eſſe curationis, quæ præſeruationis remedia; vnde Hippocrates 6. Epid. & in lib. de Hum. *Conſideratio*, inquit, *hæc eſt, quod vbi hæc facta ſunt, liberant, ante verò facta, euentum prohibent*: Verum etiam quia non ſemel experimento obſeruatum, vigente acceſſione aliquos ab ea tandem fuiſſe liberatos, nulla per tuſſim ex ore proiecta materia, ſed copioſis tantummodo, craſſis, atque turbatis lotijs emiſſis. Iam enim conſtat per Hippocratem in lib. de Arte; *Naturam ſtimulatam artis peritis quæ facienda ſunt demonſtrare*, & alibi; *Quò illa vergit, eò nos quoque ducere oportere per loca conferentia*. Quod etenim ea, quæ intra pectoris, & pulmonum cauernulas retinetur materia, interdum per veſicæ ductus magno cum ægrotantis iuuamine extraferatur, præter quotidianas obſeruationes in aſthmaticis ipſis, pleuriticis, empyiſque id ſimiliter cum ratione, & manifeſto vaſorum conſenſu euenire poſſe traditum habemus & a Galeno ipſo, & a quibuſdam neotericis anatomicis præſtantioribus, quibus tamẽ magis placet vacuationem hanc è pectore per arterias ad emulgentes arterias fieri, quàm per venas. Nam Hipp. ipſe ſcripſit aliquando iudicari pleuritides multa vrina, & biliosa mista, deorſum ſcilicet conuerſæ materiæ, nemoque eſt, qui per anatomen non cognoſcere poſſit, pulmonem venam recipere a corde, pleuram verò, & coſtas omnes cum dextras, tum ſiniſtras à vena caua eam, quam ἄζυγος

quaſi

A qua ſi ſine coniuge vocant; Vnde fit, vt natura validior a pulmone per cor mediũ ſanguinẽ regerat in venæ cauæ ſuperiorẽ, aut inferiorẽ partem, à pleura verò per ἄζυγον. Cur non igitur etiam aſthmatis materia per eaſdem ſemitas nõ euocabitur. Tempore autẽ intermedio, & longe a paroxyſmo, cõuenire poſſe diuretica, non eſt cur dubitemus, per quę nimirum humores noxij a pectore, capite, & venis ad vrinæ vias auertũtur, antequã in pectoris ipſius loca reſpirationi deſtinata impingantur; nec rarò videmus eos, quibus caput facili negotio vel ab externis, vel ab internis cauſis repletur, & præcipuè dũ incaleſcit, ſi copioſas meiant vrinas, mox circa caput, & alias ſupernas partes valde melius ſe habere, iuxta Hip. doctr. in fine 4. de Acut. & 2. de Morb. ab initio: *Dum caput incaleſcit, copioſiores minguntur vrinæ.* Ratioque eſt, quia ab ipſo calore pituita capitis colliqua-

B ta & per venas, & per cauitates maiores in veſicã demittitur, licet contrarius omnino ſit Fernelius, de quo alibi. Tandẽ conueniunt nõ aliter, ac frequentes per aluũ purgationes tãtopere hoc tẽpore cõmendãtur, et per medicamẽta nõ adeò blanda, aut lenitiua appellatã, de mente omniũ fermè Græcorũ, & Arabum, qui vel ad colocynthidem, helleborũ, ac elaterium deſcendunt, quib. & noſtri ſeculi Medici clariſſimi adhærent. Verum ne ab aſthmatis acceſſione recedamus, ſi obſeruetur aliquis ab ea tentatus lotia emittere craſſiora, & copioſiora, quàm ſit ei conſuetũ, indeque ab anguſtia pectoris alleuari incipiat, nulla per tuſſim expectorata materia, cui dubiũ erit, ſi duretica ſimul cũ pectoralibus offerãtur, poſſe valde citius, ac multo melius ægrotantem ab Aſthmate ſanari? Aduerſus tamen hanc noſtrã aſſertionẽ excogitari multa poſſunt, quæ illã prima facie conuellere

C videãtur. In primis enim hic ea videtur ratio militare, qua ego ſuprà vſus probaui; nullo pacto aſthmate præſente exhibenda eſſe medicamẽta purgatoria, quia, dũ ventrem verſus excrementitios humores ducunt, quæcunq; in pectore ſtabulantur materiæ, ſupprimuntur, & ibi cohibitæ præfocãt; Qua de cauſa Hip. lib. 2. ac 3. de Morb. valde acriter impugnat medicamenta purgatoria in pectoris affectionibus, præſertim vbi iam ſputa apparcãt, quia tunc illæ expectorantibus debellari debent, nõ aluũ cientibus, per quę potius deteriores euadũt. Vnde ſi pleuriticis, ac peripneumonicis alui profluuiũ ſuperueniat, in malis habetur, vt plurimũ ſaltẽ, ac iam progreſſo morbo. *Infra enim humore ſecedente ſupernæ partes reſiccãtur, & ſputi purgatio ſurſum non prodit*; ita eodem in loco aſſerente Hipp. præter Gal. rationes in com. aph. 19. li. 6 ia me et paulo infra notandas. Ideo in phtoe de-

D tẽtis idẽ Hipp. ſummopere damnat alui profluuiũ, quo ſuborto nõ ita poſt intereũt, intra pectus reſtitãtibus, atq; cohibitis ſputaminibus. Inſuper dicet aliquis, ſi diuretica per te cõueniũt, eò quòd a pectore ad veſicã euidẽs ſit ductuũ cõſenſus, quorũ rõne pectoris ipſius partes noxios ſuccos in veſicæ loca deponere poſſunt, ergo & ob eandẽ causã cõuenit medicamẽtũ purgatoriũ. Qñquidẽ & per aluũ quoq; ſympathia nõ diſſimili materiæ pectoris aliquando expurgãtur. Itaq; in pleuriticorũ, peripneumonicorũ, & empyiorũ abſceſſib. interdũ eueniſſe aliqui annotauerunt, eſtque in hoc Gal. & Auicennæ cõſentiens opinio; qui ambo è purulentis pulmonibus in aluũ pus deriuari teſtãtur, quãquã in modo, & vijs differant inter ſeſe. Nam Galenus hanc illi viam comminiſcitur, e pul-

monibus videlicet eructari in ſiniſtrum cordis ventriculum, hinc in aortam arteriam, ex hac in minores, quæ per meſenterium feruntur, & ab hoc excidere in inteſtina. Auicenna verò aliud confinxit iter, è pulmonibus in dextrum cordis ſinũ, hinc in venam cauam, è qua in iecur, & portas, ex quibus in meſenterij venas, tandemque in inteſtina. Præterea obijciet alter, iam pro firmo, & indubitato haberi apud omnes medicos, quemadmodum morbi hepatis, præſertim ſecundum conuexam eius partem, renum, atque veſicæ, per lotia, vẽtriculi, & primarum viarum, per uomitiones, inteſtinorum, per alui recrementa, cerebri per ea, quę è naribus, & palato exeunt iudicari ſeu terminari ſolent, ſic illos, qui ſunt in pulmonibus, & omninò intra pectus per ſputa, & ſcreatum cum tuſſi euinci, ac ſolui ſolere. Vnde neque hac ipſa ratione diuretica in aſthmate competunt. Demũ videtur contra nos eſſe Gal. auctoritas clariſſima. Nam 5. de ſimp. med. c. 13. in educẽdo pure a pulmonibus, & pectore ſcribit vitanda penitus eſſe diuretica. Modò nemo non videt, quid ſimile eſſe, ab illis partibus educere pus, & humorem craſſum, ac viſcidum, vt icicirco parum ex arte hoc in caſu prouocantia vrinam proponi a me videantur, cũ etiam Auic. talia medicamenta magis reſpuat, quàm commẽdet, quia nimirum tenuiores partes educunt, craſſioribus omiſſis: quæ cauſa vera fuit, ob quam Gal. in educendo pure a pulmone, & pectore, diuretica ipſa improbauit. Ad quæ omnia, & ſingula quonam modo reſpõdendum ſit, accipe a me nunc quam breuiſſimè, ordine retrogrado. In ſerie itaque diureticorum adſunt impenſę calida, & partium maximè tenuium, nec nõ ſunt moderate talia. Prima conuenire non dixerim, quia re vera attenuant nimis, & reſoluunt partes ſubtiliores, craſſioribus relictis, & hæc ea ſunt, quæ tam a Gal. in expurgando pure, quã ab Auic. in curando aſthmate tanquam nimis fortia improbantur, ſed quæ blanda ſunt, ac temperata, cũ careant vitio a Gal. & ab Auic. damnato, tutè, ac vtiliter vſurpari poſſe creduntur. Præterea prouocantia vrinã, vel ſola & per ſe a nobis poſſunt præſcribi, vel commixta cum alijs humidioris ſubſtantiæ, & pectoralibus nuncupatis, cuiuſmodi eſt decoctum fœnigræci cũ ficubus, paſſulis, penidijs, granis pini, liquiritia, & ſimilibus, quæ cum acribus detergentibus, permixta ſignificatum detrimẽtum emendare valent. Quare veluti prima non temerè damnantur, de quibus intelligendus Auic. dum in aſthmatis curatione dicebat, *cauenda illa eſſe medicamenta, quæ ſolum prouocant vrinam*, Sic vice uerſa alia iure merito cõmendantur, quia craſſam quoque poſſunt pituitam educere. Tandem Galeni teſtimonio in contrarium allato ſatisfieri poſſe exiſtimo, ſi cum doctiſſimis viris dicatur, quòd ſimilis, & par ratio nõ eſt de pure vacuando è pectore, & de humoribus frigidis, & craſſis educendis, a quibus plerunque aſthma oritur. Quandoquidem in pure iam celebrata ſit concoctio, ideoque partes terreſtriores ſunt quoquo pacto ſeparatæ a ſubtilioribus, & ita fieri quidem poteſt, vt diuretica proprio calore partes diſſipent tenuiores, relictis ſolidioribus. At in cruda materia, quæ frigida, craſſa, & viſcida exiſtit, non ita ſe res habet, quòd in ea partes craſſiores ſint adeo cum ſubtilioribus vndequaque confuſæ, vt prouocantium vrinam calor nequeat ma-

teriam,

A teriam tenuem diſſipare, & craſſam relinquere. Fortaſſe hæc obiectio valet in
aſthmate a multa, & copioſa pituita, ſed liquidiori progenito, quæ tolli adhuc
poterit, ſi dicatur, tum nos fortia diuretica minime vſurpaturos eſſe, a quibus de
hoc ipſo damno haud citra rationem ſuſpicari poſſemus, ſed temperata, & quæ
omnino mitia ſunt, quæ ſine vllo prorſus incraſſationis periculo aquoſam ma-
teriam ad veſicam deducendi vim habent. Ad aliam obiectionem reſpondetur
concedendo, vt plurimum morbos dictarum partium modis iam poſitis ſolui,
ac terminari conſueuiſſe, & ideo etiam aſthma, ac reliquos fermè omnes thora-
cis morbos per ſputa, & ſcreatum cum tuſſi iudicari ſolere, attamen aliquando
quoque per vrinæ loca tranſmiſſa materia, idipſum poſſe euenire, non eſt, cur
contra ſenſum negare quis velit, præſertim quia non adeo obliquo tramite id
B ipſum a natura præſtari poſſe conſtat, dum manifeſtæ adſunt viæ, per quas faci-
lè metaſtaſis hæc fieri poteſt. An verò, quod a ſimili arguebatur, in aſthmatis
acceſſione competant medicamenta pariter purgatoria, res eſt non parui mo-
menti, nec temerè tranſeunda. Dicerem itaque ego, ſubijciens me tamen ſem-
per ſaniori iudicio, quod ſi Medicus oculatiſſimus exactè cognoſceret aſthmatis
materiam per ventrem, ac inteſtina propelli, idque ſegniter, & imperfectè non
abſque ratione huiuſmodi naturæ motum poſſe ab eodem adiuuari medicamen-
tis per os exhibitis, dummodò intra pectus non adeò copioſa latitet humorũ
abundantia, quæ exagitata poſſet reſpiratoria organa magis abſtruendo lædere,
quo in caſu enematis potius, atque balanis acrioribus naturam ad inchoatum
opus abſoluendum incitantibus res ipſa peragenda erit, quod enim fit duce na-
C tura, & per loca non ita deuia, non poteſt non fœliciter ſuccedere, licet negan-
dum haudquaquam ſit locum magis idoneum, ac regionem magis conferentem
eſſe tracheæ viam per os media tuſſi. Quid quod Hipp. ipſe, etſi tantopere lau-
dat in morbis pectoris, vti pleuritide, peripneumonia, & alijs, materiæ morbifi-
cæ vacuationem, quæ per tuſſim, atque ſcreatum fieri plerumque ſolet, nihilo
tamen diarrhoeam ipſam vult illis ſalutarem eſſe in cocto ſcilicet morbo, &
mediocri, vt Gal. ait; Qui quidem Hipp. tam in lib. de aere, aquis, & loc. quam in
Coac prænot. aluum lubricam in pleuriticis commendat, & interdum, ſi dolor
deſcendat, & ad hypochondrium extendatur, medicamentum purgatorium,
quamuis hoc de antecedentis ſolum materiæ vacuatione Gal. concedere videa-
tur. An non dicit idem Hipp. 2. Coac. prænot. 32. *Quibus in febribus dolores la-*
D *teris fiunt, ijs aluo multa aquoſa bile permixta deijciente remiſſio eſt.* Loquitur enim
de pleuræ inflammatione a bile ſuborta, a qua cauſa magis ſolet fieri, quam & a
pituita, & melancholia, quia membrana ſolida, ac denſa craſſos humores vix ad-
mittit, quod ſignificauit Hipp. in illo Aphor. *Qui acidum eructant, non admodum
pleuritici fiunt*; Ideo voce hac ὑδατόχολα meritò vſus eſt Hippoc. quia huiuſ-
modi excrementum ſeroſum, ac bilioſum formam præſefert, ſpeciemque hu-
moris, qui phlegmonem facit in pleura. Quare huiuſmodi alui profluuium
ſolet eſſe vtile, quia per illud peccans educitur humor; per quam qui-
dem euacuationem ſi a morbi fiat principio, incrementum impeditur, ſi

Mm 2 poſtea,

poſtea, & in progreſſu, ac circa ſtatum ſignis coctionis apparentibus A tum propriæ in ſputis, tum communis in venis, cum euphoria, & conferentia, quæ genita iam eſt, facilè, ac fœliciter abigitur: ſi verò hæ deſint conditiones, inditio nobis eſt talem fluxum eſſe vndequaque ſymptomaticum ex cõmunicata affectione pleuræ etiam hepati, & ventriculo, quorum facultates attractrix, & concoctrix collabi incipiunt, in quo non ſolum quidquam humoris morbum facientis ex parte affecta non educitur, ſed vires deſingendi frequentia, exhauſtis ſpiritibus, dolore, ac vigilijs exſoluũtur, & hoc illud eſt alui profluuiũ, quod in pleuriticis, & peripneumonicis damnauit Hipp. illo in aphor. *in pleuritide habito, aut peripneumonia alui fluxus ſuperueniens malum.* Alioqui vtilitatem adfert dum eius adminiculo materia pleuritidis, & peripneumoniæ extra fertur, ad ventrem prius demandata. Vnde Medici, qui minimè ignorant pharmacia, B tum venas, habitumque corporis, tum maximè viſcera, & interanea quæque cõmodè expurgari, coctione manifeſta, & motu humorum ad infernas partes vergente, in pleuritide ipſa peripneumonia, & aſthmate ad purgatoria medicamenta non inuiti deſcendunt. Ad poſtremam obiectionem dicatur, ſi os madeſcat, & iam ſputa inſurgant, ac foras per tuſſim expellantur, indicibilem committi errorem, ſi medicamenta vel purgatoria etiam quantumuis lenia, vel vrinam prouocantia offerantur, quoniam hoc eſt naturam rectè operantem, & per congruã magis, atque conferentem regionem noxium humorem expellentem, interturbare, & ad aliud ſubeundum onus, ſub quo facilè concidat, incitare. Vnde & ego ijs prorſus aſſentior, qui in caſibus conſimilibus nec vlla quæcunque ſint ſolutoria medicamenta conuenire exiſtimant; Cui doctrinæ fauet quam maximè C quotidianum experimentum; Vt de annis præteritis in acutiſſima pleuritide, in qua iam ſputa copioſè ſcreabantur, miratus ſum non parum, quod ſeptuagenarius Mdicus medicamentum ex manna in decoctione pectorali diſſoluta viro cuidam Neapolitano me omnino reclamante, propinare voluerit. Qui pleuriticus non multas poſt horas, bilioſa tantum, ac tenui per aluum excreta materia, ſputiſque interceptis, de repente abſque confeſſione, & alijs, quæ ad animæ ſalutem pertinebant, vitam cum morte commutauit, improuiſi obitus cauſa ab aſtantibus non iniuria medicamento attributa; Audi Hipp. lib. 3. de morbis, vbi de curatione pleuritidis verba facit, quæ & in præſenti caſu veritatem penitus habent. *At ſi æger bilioſus ſit natura, & non purgatus correptus fuerit a morbo, priuſquam ſaliuam bilioſam expuat, etiam medicamento bilem probe purgato; Et ſi verò iam* D *expuat bilioſa, medicamentum ne dederis, ſi enim dederis, ſputum ſurſum prodire non poterit, ſed ſeptima, aut nona die ſuffocabuntur, maximè ſi præcordia doleant.* Verum tamen ſeruatis, vt aiunt, ſeruandis, ego quidem non video, cur diureticorum vſus in præſeruatione ab aſthmate ſemper, in curatione verò eiuſdem præſentis interdum conuenire non poſſit. Quibus nam autem, & quomodo paranda ſint hæc ipſa medicamenta diffusè a me oſtenditur in lib. de morb. pectoris frequentioribus loco proprio. Hæc mea eſt ſententia in Quæſitis, ac dubitationibus iam promotis. Tu vale, & me dilige. Dat. Romæ die 15. Ianuarij 1620.

QVÆ-

QVÆSITVM PRIMARIVM IN NOBILISSIMO ADOLESCENTE Genuenſe ad phthiſim ex temperamento calido, ſiccoque habitu gracili, ſcapulis alatis, & deſtillatione capitis admodum propenſo.

I.

Vtrum ſub Romano Cælo, quod rheumaticum vocat Galenus, melius quàm ſub Patrio ab impendente phthiſi, præſeruari poſſit.

B Quæſita Secundaria Septem.

I.

Cur in morbis pectoris adeo ſalubre ſit cœlum mutare.

II.

Cur Varro dixerit Animam eſſe aerem.

III.

An Galenus reuera ſcripſerit Romanum cœlum rheumaticum eſſe.

IV.

Cur cœli varietas craſin, & humores immutet.

V.

C *Cur Vitruuius Ciuitatem populi Romani temperatam vocet.*

VI.

Cur etiam a calida, ſiccaque intemperie capitis deſtillatio frequens oriatur.

VII.

Cur qui catarrhum patiuntur ex intemperie capitis immoderate calida ſiccaque maiorem læſionem ſentiant ſub aere impenſè frigido, & ſicco, quàm ſub moderate calido, & humidiſſimo.

Ad Clariſſimum Medicum Genuenſem.

D *MOrbus, & ſanitas corporis ſunt affectus; ille ſe tollendum, hæc ſe tuendam indicans; Ambiens verò is eſt, ſine quo nec tolli morbus, nec ſanitas teneri poteſt. Hic igitur cauſæ ſine qua non obtinet rationem;* Ita Gal. ſcribit 9.meth.13. Rurſum ibidem: *Sanè ambiens, ſi contrariam morbo temperiem habet, è præſidiorum numero vnus eſt, ſin ſimilem, ægritudinalium cauſarum eſt vnus;* Nec valdè poſt: *Habebit ergo, vt diximus, ambiens rationem modò materiæ ſanantis, modò cauſæ morbum fouentis: Quippe cum humectari, refrigerarique morbus poſtulat; ſi hæc præſtat, ſanantis materia rationem obtinet; ſin calefaciat, & ſiccet, morbificis cauſis eſt annumerandus;* Et denique; *Sedulo igitur agendum eſt, vt ambientem, quoad fieri poteſt, qualem eſſe expedit, prepares.* Quæ quidem ex

Galeni commentarijs prolata non me latet de Therapeutice, & morborum prę- A
ſentium ſanatione eſſe intelligenda; ſed quid ni etiam de prophylactice, & impendentibus affectionibus euitandis, eadem ferè eſſe dicendum præſeruationis remedia, quæ curationis ſunt? An non ſcribit ſuis in Epidemijs diuinus ſenex; *Quæ ſequentia morbos ſanant, antegreſſa prohibent?* Quod enim ad ambientis mutationem, tanquam ad ſacram anchoram, & vnicum præſidium eorum, qui iam phtoe correpti in dies emarceſcunt medici vnà, & Aegroti confugiant, nulla alia res facit, quam quòd non pauci viſi ſunt, qui ſi inde ſanati non vndequaque fuerunt, vitam ſaltem diutius, & minori cum noxa protraxerunt. Hinc Aegyptia nauigatio apud Celſum, & Plinium decantata, ſeu iuuamen fieret ex Cœli illius qualitatibus, ſeu propter ſicciorem marini aeris inſpiratum; mora, aut permanſio in Stabienſi (non, vt vulgò dicitur, Tabienſi) agro apud Galenum percele- B
bri, & receſſus ab eodem Plinio commendatus in ſyluas, quæ picis, reſinæque gratia raduntur. Atqui, vt naturalium partium morbi potiſſimum per ea, quæ bibuntur, & comeduntur, vel augentur, vel minuuntur, ſic illi, qui ad ſpiritalia membra pertinent, per inſpirati aeris qualitates non obſcurè ad fęlicem, aut infęlicem exitum commutantur; cum omnibus conſtet aerem, vbi primum inſpiratur, omnem vim ſuam in cerebro, pulmone, & corde relinquere; Vnde neſcio an ab hoc longè diſcrepet quod Lactantius lib. de opificio Dei c. 17. Ex Varrone dixit; *Animam eſſe aerem conceptum ore, defrueſactum in pulmone, tepefactum in corde, diffuſum in corpus*. Quæ vt vera ſunt, ſi de vi aeris in corporis noſtri, quæ ab Hippocrate appellantur, contenta, continentia, atque impetum facientia, accipiantur, ita manifeſtè falſa omnia, ſi de vera, & immortali anima intelligantur. C
Cum ergo Nobiliſſimus Genuenſis Adoleſcens, ætatis annorum viginti vnius, habitus admodum gracilis, & omnino calidi, ſiccique temperamenti, cerebri licet humidiſſimi, a primordijs ferè ſuæ conſtitutionis, & quadam a natura indita propenſione ad phthiſim communiter vocatam vergere videatur, quoniam & ipſius frater non ita pridem ex illa interijt, & ipſemet in eorum numero collocatur, qui anguſto, & reſtricto ſunt thorace, dum a tergo in morem alatum illi ſcapulæ prominere dicuntur, quos Hippocrates paſſim, & præſertim 6. Epidemiorum 3. 9. πτερυγώδεας nuncupat; iure merito, quia

Aegrius eijcitur, quàm non admittitur hoſpes;

ab innominato Viro doctiſſimo quæritur, antequam morbus oriatur inſanabilis, vtrum migratio a Genuenſi cęlo ad Romanum, & ſub hoc diuturna manſio D
ex vſu futura ſit, adeo vt ferini morbi, de quo timetur, ſæuities precaueri, ac ſubterfugi poſſit. Dubitat verò ne ex voto ſucceſſura res ſit ſub Romano aere, quoniam Galenus 5. meth. med. Romam vocat locum rheumaticum; ſeu deſtillationibus obnoxium, licet neſcio qui pro τόπῳ, quo locus, legant τρόπῳ, quo modus ſignificatur; quod nec efficit, quin Galenus iam dictam habuerit de Romano cœlo opinionem, cum idem clariſſime ſcribat 2. de temper. 6. prætèrquã quod cum illius ſermo ſit de oſſium thoracis carie, atque corruptione, quam facit pus illud, quod in empijorum medio ſpatio inter pectus, & pulmonem continetur,

A tinetur, parum recte dixiſſet, putredinem eiuſmodi rheumatico modo fieri, aut
more deſtillationis, cum fiat propinque partis contagio, quod diuerſum penitus
eſt a deſtillatione. In cauſa autem eſt aeris humor nimius circumſtans, vt facilè
contagio illa communicetur, eo quod oſſa præ nimio humore cariei obnoxia
maximopere redduntur. Si itaque Romanus locus humidiſſimus eſt, & in quo
deſtillationes faciliime promouētur, vt eſt a Medicis omnibus, & inquilinis de-
cantatum, ſumma cum ratione iam dictum promouetur Quæſitum: cui nunc
ego diligenter pro viribus, & breuiter ſatisfacio. Imprimis vero mihi ſemper
magnopere arriſit Cornelij Celſi ſententia lib. 2 cap. 1. *peſſimum cœlum eſſe, quod
ægrum fecit, adeo vt, in id quoque genus, quod natura peius eſt, in hoc ſtatu ſalubris mu-
tatio ſit*, Quam quidem laudare præcipue ſoleo in morbis grauioribus, & curatu
B difficilioribus, eoque magis, ſi ſales impendeant potius, quam ſi præſentes iam
ſint; cum experimento ipſo, præter rationes, innoteſcat, multos eſſe, qui vna cũ
ſoli, ac cœli mutatione inſitam permutarunt craſim, & a morbis etiam, in quos
propenſionem habere videbãtur, præſeruati omnino ſunt, alijs rebus omnibus
proprio ſub cœlo ſalutaribus fruſtra, & in caſſum tẽtatis. Et hoc illud eſt quod
Hipp. lib. de aere aquis, & locis, nec non Gal. lib. de natur. facul. & alibi, aſſerunt
regiones varios parere humores, hominumque temperamenta immutare. Hæc
enim immutatio non per ſe ab illis fit, ſed ob aeris pro regionum varietate alte-
rati rationem vt, iccirco Gal. ipſe aeris temperiem in tempus, & regionem diui-
ſerit lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. Si vllibi huiuſce rei veritas a me vnquam
eſt obſeruata, eam profecto videre Romæ contigit, ad quam Vrbem quicunque
C ex Hiſpania imprimis, aut etiam alijs regionibus accedũt, graciles, & picrocho-
li, non valde poſt pleni habitus, & obeſi euadunt, etiamſi curis varijs, varijſque
animi perturbationibus eorum corpora emaciari magis deberent, adeo verum
experimur ſub hoc cœlo medicum illud axioma: *Intemperatis naturæ aeris, in quo
contrariæ qualitates exuperant, optimus eſt*. Fateor equidem in meridionali vrbe
aerem calidum eſſe, ſed remiſſe talem, & mitiorem valde quam in alijs Italiæ ci-
uitatibus ſenſerim, vt etiam furente æſtate matutinum, & veſpertinum tempus
temperatiſſimum ſit, nocturnum vero omnino frigidum, meridianum autẽ, niſi
quis corpus importune moueat, illudque intempeſtiue externo aeri exponat,
ſed intra proprias domos ſe contineat, vix moleſtum, & ingratum ſentiat. Tem-
pore hyemis frigus ingens non niſi per quam raro, interpolate, & breui dierum
D ſpatio percipitur, vt pro calefactione ad ignem vix ſe homines approximẽt, nec
veſtibus ponderoſis, aut pelliceis, prout alibi fit, eadem ex cauſa veſtiantur. In
ſumma obſeruo ego, & obſeruarunt alij quoque ante me, in actiuis qualitatibus
Romanum cœlum ad temperatum vergere, & hanc arbitror fuiſſe Victruuij opi
nionem, dum lib. 6. cap. 1. ſcripſit, *quemadmodum Iouis ſtella inter Martis feruen-
tiſſimam, & Saturni frigidiſſimam media currens temperatur, ita diuinam mentem ci-
uitatem Populi Romani egregia temperataque regione, collocaſſe*. Idem confirmatur
ex eo, quod aiunt Romam in medio loco eſſe quinti climatis, quod clima tem-
peratiſsimum vocat Auerroes 2. collig. cap. vltimo. Quod ſi Aquilonaris con-

ſtitutio

ſtitutio prævalebit, maritima non longe diſtantia loca adſunt, ad quæ Borealis, A
qui perflat, flatus maris tepore refractus inſtar Favonij vel hyeme teterrima
ab incolis inſpiratur. Unde factum, ut multi parum firma utentes valetudine, &
pectoris potiſſimum affectionibus obnoxij per huiuſmodi tempus in illa ſe loca
fęlicisſime conferant, quemadmodum etiam viceuerſa ſi æſtate aliquā calor
ipſe in urbe fiat intentior, non longe ab ea inſurgūt colles amęnisſimi. Regijsq;
ædificijs illuſtrati, in quibus, & iucunde, & ſalubriter æſtatis tempus conſumitur.
Addo intra Urbem metipſam nonnulla eſſe loca ſalubriora, in quibus tam
per hyemem, quam per æſtatem valetudinaria corpora, & tabi affines non infęliciter
vitam degunt. Humidior ſane eſt, & caliginoſior Genuenſe Romanus
aer, cuius rei gratia timetur in iuuene deſtillationi obnoxio, ne ſcilicet cerebri
humida excrementa a ſimili augeantur. Sciunt nihilominus Medici omnes B
phthiſeos cauſa frequentisſimam eſſe capitis illam deſtillationem, quam Hipp.
& Gal. ferinam appellant, ſalſam dico, acrem, & per quam tenuem in pulmones
irruentem, eoſque exulcerantem, & de hac tabis origine in P. N. magnopere
verendum eſſe literis huc miſsis notatum eſt. At nemo eſt, qui ignoret primariā
huiuſce diſtillationis cauſam ortum habere a iecinoris, ac venoſi generis æſtu,
qualis viget in natura gracilibus, atque picrocholis, cuiuſmodi perhibetur eſſe
adoleſcens N. in quo probabile ſimiliter eſt catarrhalis materiæ a capite fluxionem
pendere ab intenſiori capitis, qua præditus eſſe fertur, intemperie calida,
ſiccaque cum in confeſſo ſit, quamlibet intemperiem actum deijcere poſſe propriæ
virtutis. Siquidem vitium eſt in alteratrice, quæ ſymmetria quadam gaudet,
qua abſente cerebro in generatione catarrhi euenire ſolet, quod ventriculo C
in lienteria. Quod ſi ita eſt, modice humectandum, & refrigerandum hic potius
eſſe videtur, quæ duo multo promptius, & melius præſtabit Romanus aer, qui
noſtro in caſu ſanantis materiæ rationem obtinebit. Quare dato etiam quod cū
Gal. & aliorum obſeruatione locus hic rheumaticus ſit, & ob id fluxio in N. A.
augeri quoquo pacto poſsit, haud tamen negandum eſt, fluxuram materiam nō
eam vim eſſe habituram, qua tam prompte, ac facile queat vlcus in pulmonibus
excitare, qualem habere ſolet acris, ferina, & ab humido minime retuſa deſtillatio.
Accedit quod huiuſmodi præditi temperamento iuuenes facile quoque
phthiſim incurrunt ex hęmopthiſi genita ob ſolam anaſtomoſim, vel rexim, vel
diabroſim, e tenui, bilioſo, ac feruidisſimo ſanguine pulmonum vaſi impertito,
abſque quo nulla vnquam prægreſſa ſit capitis deſtillatio. Tabē vero hanc quis D
non videt fœlicius euitari ſub Romano Cœlo tepidiori, craſsiorique, quam ſub
Genuenſe frigidiori, ac tenuisſimo? Sed ne diſcedamus ab ea, de qua maior habetur
ſuſpicio, crediderim ego in ijs, qui fluxionibus ſunt obnoxij ex capitis intemperiebus
immoderate calidis, & ſiccis, maiorem gigni læſionem ex mora ſub
aere impenſe frigido, & ſicco, quam ſub moderate calido, & humidiſſimo. Unde
hoc libenter dato, quod Cœlum Romanum valde humidius noſtro ſit, attamen
in frigiditate temperatius eſt, & omnino clementius, ideoque puto N. I.
ſe melius habiturum ſub hoc, quam ſub iſto. Nam licet ſub Genuenſe caliditas

capitis

A capitis ab aere frigidiori aliquanto corrigi poſſe videatur, aerem ipſum tamen iuſto frigidiorem minus oppartunum iudicamus; quoniam, vt ab ipſo met aere moderate calido capitis meatibus adapertis, ſuperuacanei humores effluũt, magiſque per halitum digeruntur, ſic poris illis a frigore conſtipatis, intus magis cohibentur, ac ſubinde retenti fluxionem adaugent. Propter quam cauſam Romæ olim conſulens Ioan. Zecchius, qui diu in Vrbe medicam artem exercuit, & in Gymnaſio, eo, quo nos, loco profeſſus eſt, memoriæ mandauit Conſ. 19. pro Cardinali Bernerio Epiſcopo, & Principe Aſculano, cum tuberculo in capitis dextera parte ſupra muſculum temporalem, tum deſtillatione in aſperam arteriam laborante, Romanum cœlum eidem Illuſtriſs. D. magis ex vſu fore ſperandum, quod alio quo vtebatur, longe eſſet clementius. Galeni vero locus fortius B aduerſus noſtram aſſertionem pugnaret, ſi poſt hemopthoidem iam ortũ eſſet vlcus, iuxta ſcilicet illud, quod idem eodem in opere ſcribit cap. 12. dicens; *Cũ experientia rationi atteſtetur vlcerum curationem hunc vnum habere finem, ut ſiccentur, poterit quiſpiam ex ijs, qui ſanguinem ex pulmone reijciunt ſeruare permultos ita, ut nos fecimus;* ne ſileam, quod ab alijs quoque literis proditum legitur, quam nũc Vrbem incolimus, longe eſſe aliam ab illa, in qua Galen. verſatus eſt, nec non; quod effertur, multos in vrbe deſtillationibus corripi, haud protinus aeri eſſe tribuendum, ſed alijs quoque cauſis, quas hic numerare ſuperſedeo, & quaſi pariter Romam accedentes diligentem Medicum nacti, & expertum, euitare facile poſſunt, quemadmodum denique quemlibet aeris exceſſum aliarum rerum non naturalium exceſſu contrario emendare. Dat. Romæ die 23. Aug. 1620.

C

QVÆSITA PRIMARIA SEX IN VERTIGINE, Nobiliſs. Equitis cum auxilijs Medicis triplici è fonte depromptis.

I.

Vtrum cauſa præſeruationis ab hac Vertigine relinquendum ei ſit Cœlum ac ſolum Romanum.

II.

Vtrum ſimplex Vertigo ſit, an vero etiam ſcotomatica.

D III.

Quodnam mali genus exiſtat, & quomodo eius fiat generatio.

IV.

A quot nam cauſis, & quibus proueniat.

V.

An idiopathice, vel ſimpathice fiat.

VI.

An grauiora inde mala pertimeſcenda ſint, & quæ.

Secun-

 A

Secundaria Vndecim.

I.

Cur in Vertigine ſemper afficiatur Imaginatio, & quando vna cum ſenſu, & motu.

II.

Cur Vertiginoſis aliquando ſolum caput, aliquando etiam externa obiecta circumagi appareant.

III.

Cur ſenſus viſus, & motus lædantur in Vertigine. B

IV.

Cur Vertiginoſi hallucinationem cognoſcant, non item Epileptici, Apoplectici, Phrenetici, & Maniaci.

V.

Cur Vertigo non ad morbum in intemperie, ſed in via, aut mala compoſitione ſit referenda.

VI.

Cur quicumque cerebrum calidum habent facile incidant in Vertiginem vt ſcribit Auenzoar.

VII.

Cur magni facienda Vertigo ſit, & de qua nam timetur ne in Apoplexiam vertatur. C

VIII.

Cur in Vertigine medicamenta eſſe debeant hypelata, ſeu blanda, non vere cathartica.

IX.

Cur hic ſanguinis miſſio, & è vena iecoraria, & ex intimis hęmorrhoidibus facienda ſit.

X.

Cur ſerum lactis potius exhibendum, quam Thermales aquæ.

XI.

Cur Romanus Aer temperatus a Vitruuio, contra vero impenſe humidus, inæqualis, & inconſtans a Gal. Petronio, & alijs appelletur. D

A

AD EVNDEM.

LIcet coram tot Viris doctiſſimis meam dilucide ſententiam expo-
ſuerim, te etiam, Eques nobiliſſime, præſente, circa mali genus
permoleſtum, de quo publicam iniri conſultationem voluiſti, vt
certè quæ viua voce protuli, tibi ſatis, ſuperque eſſe poſſent, atta-
men quia mihi ſignificabas heri veſperi, te maximo teneri deſi-
derio, vt eandem, prout reuera fuit a me habita, literis mandarem, ego ſtatim
tua iuſſa capeſſere aggreſſus ſum, qui tibi tantum debeo, quantum perſoluere
poſſe nunquam crediderim. Quod eo etiam libentius ago, quia, vt dicebas, de-
B creuiſti illico Mutinam eam mittere ad Sereniſs. illius Ducis Medicum clariſſi-
mum Flamminium Seghittium, qui tuam ibi valetudinem regere ſolebat. Ne-
ſcio equidem an illi, ac tibi, quorum ingenia perſpecta mihi optime ſunt, ſatiſ-
factura ſint, quæ dixi nudius tertius, nunc vero ſcribo; vt cunque tamen ſit, in
eo haud quaquam fallor, quantum ingenioli mei vires patiuntur, nullime la-
bori pepercisse, velut nec in poſterum parcam, ſi ſeſe offeret, quod Deus auer-
tat, occaſio, vt a moleſto ſymptomate, alijſque grauioribus, quæ inde impende-
re pertimes, omnino degas incolumis, ac tutus. Ita ergo tunc loquebar.

Sacrum quoddam eſſe conſultationem ſcribebat Plato in Theage, ſiue de ſapien-
tia, non longe ab initio, & merito quidem, quia quemadmodum conſilijs ſtare
domus, regna, & imperia videmus, ita, ſi Platonis dictum ad rem medicam tranſ-
C fertur, nemo non nouit, quotieſcunque nobis occurrunt affectus præter naturã
ſeu quo ad cognitionem, ſeu quo ad curationem per quam ardui, & per quam
difficiles, plurium medicorum audire ſententias, ſaluberrimam rem eſſe, quoniã
ſcilicet ex cõmuni conſideratione facta res circa ægrum melius intelliguntur,
& cognoſcuntur, nec non fœlicius ſuccedunt, quo plures fuerint cooperatores
ad auxilij ferendi facultatem, vt ſcriptum quoque fuit ab Hipp. in lib. de Præ-
cep. Quo tandem reſpexiſſe puto diuinæ ſapientiæ ſcriptorem in Prou. 4.
ſalus erit vbi multa conſilia fuerint. Huc itaque hodie mane nos omnes fuimus
accerſiti coram etiam Reuerendiſs. D. Querengo ſpectatiſſimæ literaturæ An-
tiſtite, vt vnuſquiſque ſuam libere proferat opinionem circa mali genus, quod
modo clare retulit Patiens ipſe, a nobis ſane magis faciendum, ac æſtimandum:
D quo principem corporis partem occupat, & quo inde ſæuiora quoque mala
oboriri poſſe creditur. Eſt itaque vertiginoſa affectio, per ſe adeo nota, & ma-
nifeſta, vt ad eius cognitionem nulla requiratur diagnoſis, & ſuperuacaneum
ſit rem manifeſtiſſimam velle ſignis indagare. In hac itaque examinanda quin-
que occurrunt mihi quam breuiſsime enucleanda, antequam ad Quæſiti in or-
dine primi ſolutionem me conferam. Primum; An ſimplex vertigo ſit, vel ad-
nexam habeat tenebricoſam vocatam affectionem. Secundum quodnam mali
genus exiſtat, & quomodo eius fiat generatio. Tertium a quot, & quibuſnam
cauſis cum internis, tum externis in nobiliſsimo Viro enaſcatur. Quartum An

fiat idiopathice, & per eſſentiam, an vero per conſenſum, vel ſimpathice. quintum, & vltimum, poſt prognoſim, & iudicationes, quibus nam remedijs ei obuiam eundum ſit. Et vt a primo exordiar, notum eſt omnibus ex Gal. doctrina 4. de rat. vict. in acut. 42. duplicem dari vertiginis differentiam, vnam quæ Græce δῖνος, alteram, quæ σκοτόδινος appellatur, in quarum prima tantummodo caput in gyrum verti, & obiecta quęque circumuolui apparent, ſed in altera viſus etiam caligo, & obtenebratio additur, & non raro quoque prolapſus, ſeu caſus in terram; quæ tamen non ſpecies, ſed differentiæ vertiginis haberi debent, eo quod ſolummodo ſecundum maiorem, vel minorem intenſionē differunt, vnde ab omnibus medicinæ ſcriptoribus, & præſertim ab Auicenna ſub vno, & eodē capite comprehenduntur, in Nobiliſs. Equite quis nō videt vtrumque reperiri? nam licet ab initio caput ſolum cum obiectis in orbem verti videretur, poſtremis tamen paroxyſmis addita eſt viſus obtenebratio, & prolapſus in terram: quæ duo aperte indicant ſcotomaticā, & cōſequenter perfectā, & conſummatā vertiginem; ex quibus cognoſcitur non difficulter ſecundum videlicet ſymptoma eſſe in genere actionum læſarum; ſed quæ nam ſunt hæ leſæ actiones? controuertitur enim hoc apud Medicos, quorum alij ſolam imaginationē, alij ſenſum viſus, alij, vt Fernelius, motum, & ſenſum tantummodo vitiari contendūt. In diſcrepantia dicam, quod cenſeo quam breuiſsime; quia ſcholaſtica magis eſt, quam mere practica; in omni vertigine credo ego ſemper, & neceſſario deprauari imaginationem, quia præcipue, & maxime principalis error eorum, qui vertiginem incurrunt, eſt, quod omnia in gyrum conuerti falſo opinantur; At ſi grauior, quam ſimplex, aut inchoata ſolum fiat, tunc accedit luminis obtenebratio, velut ſi adhuc vlterius ingraueſcat, & a vehementiori cauſa oriatur, motum quoque ipſum lædi contingit, vt in caſu noſtro euenire conſtat. Sed vnde obſecro hæc falſa imaginatio, & opinio, vnde viſus læſio, & in motu offenſas? **Primum a flatu, qui ſurſum in caput, vt dicetur, expirat a ſubiectis partibus;** quique dum a cranio reflectitur, in capite vertiginem, non aliter ac ventus in angiportu turbinem excitat. neque enim quidquam refert ad imaginationem conuerſionis, ſeu res foris, ſeu ſpiritus intus cōuertatur. Quemadmodum enim quibus aures tinniunt externos ſonos audire falſo iudicant, ſic quibus intra caput, & cerebrum ſpiritus, & vapores in orbem mouentur, & caput circumagi, & cuncta in orbem rotari perperam autumant. Accidit enim ipſis illud idem, quod accidere ſolet dum rotam aliquam concitatiori motu circumuolui intuentur, quia ſtatim in ſymptoma cadunt obiecto ſcilicet potentiam moluente; hoc poſito diſcrimine, quod ſi ſpiritus animales agitentur ſolum in cerebro; patientes imaginantur caput circumduci, ſi ſecundum oculos, exteriora circumagi videntur. Viſio autem tunc aufertur aut quia circum pupillam firmantur vapores, & grauius obſtruunt, aut quia ex nimia ſpirituum animalium circumlatione intra caput, per neruos opticos ad eandem pupillam non deuehuntur, motus læſio duplicem quoque cauſam habere poteſt, vnam quidem ſpirituum ipſorum confuſionem, præ qua facultas in corporis partes non diſtribuitur; quoniam

A niam ſpiritus Galeno referente tertio de loc. affec. ſunt inſtrumenta motum, & ſenſum in vniuerſum corpus deferentia, alteram vero, imaginationis offenſam, eo quod Ariſtoteles de Anim. inceſſu ſcribit motum in animali regi, & gubernari ab immaginatione, quare vbi læſa eſt imaginatio conſequens eſſe videtur, vt ibi etiam motus male afficiatur. Præter imaginationem hic nulla alia interior potentia laborat, vt ſolet euenire in apoplecticis, ac epilepticis, in quibus omnes ferme abolentur, nec quemadmodum in phreniticis, & melancholicis ipſa imaginatio vna cum ratiocinio deprauatur, ſed ſola, vt etiam in Incubo detentis. Ideo mirum non eſt, ſi Eques nobiliſſimus fatetur etiam in media vertigine ſe clare cognoſcere errorem, & hallucinationem intra ſe eſſe, & obiecta vndequaque immota manere, & omnium ſimiliter recordatur, quę

B fiunt, ſeu facta ſunt in ſymptomate, de quo tertio loco quærendum eſt, a quo nam morbo pendeat, & quæ eius ſint cauſæ; ſunt qui ad inæqualem intemperiem cerebri redigunt, quorum ſententia niſi ſano, vt aiunt, modo intelligatur, falſa inde arguitur, quod Vertigo ſymptoma eſt, quod cito fit, & cito terminatur, ſed morbi ex intemperie non fiunt niſi tractu temporis, nec deſinunt ſimiliter niſi temporis diuturnitate, ita probat Gal. 2. de ſympt. cauſ. cap. vlt. apoplexiam non fieri ab intemperie, quia nimirum apoplexia morbus eſt, qui cito fit, & intemperies niſi tempore contrahitur; Vnde hic morbus vertiginis cauſa eſſe poteſt, ſed longinqua valde, ac mediata, & cum præſertim ex primaria cerebri affectione oritur vertigo. Sunt qui ad alios morbos vertiginem referunt, ſed, ne multis immorer, cum meliori ſchola dico proximam cauſam huius ſymptoma-

C tis eſſe morbum in via ſeu mala compoſitione, nempe obſtructionem, factam, præcipue in anteriori parte cerebri, dum eius ventriculi, & cauitates peregrina materia replentur, præſertim vero flatuoſis vaporibus, & ſpiritibus, a quibus quæ fit obſtructio ſolutu etiam facilis eſt; ſed interim dum perſeuerat, vapores, & ſpiritus non permittit exhalare, & ideo cum per obſtructos cerebri meatus exitus illis non pateat, tunc orbiculari, & inordinato motu concitantur. Ad huius vero morbi cauſam fouendam concurrunt cauſæ aliæ internæ, aliæ externæ. Inter internas primum locum tenent caput, ventriculus, & hepar: nam caput nobiliſs. Equitis eſt omnino calidum, imo & ſiccum, ſi propriam, & inſitam ſimilarium partium craſim conſideremus, vnde vigilijs deditus eſt potius, quam ſomno, ſenſuſque omnes cum intimos, tum extimos vegetes admodum, & expe

D ditos habet, & acutiſſimi omnino eſt ingenij, iuxta illud Heracliti apud Galen. Quod an mores ſequun. temp. corp. *ſpiritus ſiccus, anima ingenioſiſſima*; ex accidēti vero, & ſecundum cauitates, & meatus alicuius humiditatis eſt etiam particeps, & propterea ex leui quauis aeris alteratione, rheuma, ſeu deſtillationem, ad tracheam patitur, indeque raucam quandam vocem contrahit, quæ breui tamen diſparet. Quicunque vero caput, vel cerebrum habent calidum, dicebat magnus ille Auenzoar, ſolent a vertiginoſis motibus diuexari. Cur? An quia talia capita dum ſuo calore agunt in ſubiectam cerebri, quod in omnibus eſt pituitæ metropolis, materiam, hanc in habitus, & vapores commutant, qui dein-

ceps ſibi intra cerebri ſinus viam exitus obſtruentes circulariter cum ſpiriti- A
bus mouentur? An quia igneos progignunt ſpiritus, & ad quemuis motum
inordinatum ſubeundum valde diſpoſitos? An quia demum inſtar medicę cu-
curbitulæ, vt eſt apud Hip. 4. de morb. ab infernis partibus, & vniuerſo corpo-
re humores, & vapores ſurſum ad ſe ſe alliciunt? ventriculi intemperiei frigi-
dioris ſigna nobis ſint manifeſta, tarda, & imperfecta concoctio, quæ adhuc cla
rior appareret, niſi exactiſſima vteretur victus ratione, & multitudo flatuū in
ventre, vbi continui fere rugitus obmurmurant; quam augere non minimum
potuere errata iuuentutis tempore cum in alijs rebus non naturalibus, tum
pręcipue in intempeſtiua, & immoderata venere commiſſa, vt ex Gal. patet 3.
Epid. in Pythione; imò, ſi cum Diocle ſine timore, & mæſtitia hypochondria-
cam melancholiam ſtatuere velimus, nam hæc duo ab ipſo longe abeſſe teſta- B
tur P. cum ratione poterimus aſſerere flatulentam illam pati affectionem, quæ
ab Arabibus myrachialis, a Damaſceno φυσώδης καὶ ὑποχονδριακή nuncupatur.
De feruore enim quodam illarum partium conqueritur, cui additur iecinoris
caliditas iuſto intenſior, & ideo ad aſſandum potius, quam ad elixandum ſan-
guinem accommodatior, vt præſens caſus ad vnguem mihi videatur delineatus
a Ioanne Baptiſta Montano in ſuis Conſ. conſ. 55. Cuius hæc eſt inſcriptio.
De vertigine ex melancholia hypochondriaca; Temperamento partium iam di-
ctarum reſpondent humores qui maiori ex parte, & a prædominio calidi ſunt,
nempe bilioſi, non ſine melancholicorum aduſtorum, & pituitoſorum mixtio-
ne, cui cacochymiæ reſpondent quoque flatus, & vapores, qui in nobiliſs.
Equite generantur, vt nimirum ſint, cuiuſmodi ſtatuit eſſe Galen. vertigi- C
nis immediatam cauſam, hoc eſt, calidi, & acres, quod ſimiliter voluit Ae-
tius libro ſexto, capite ſeptimo, ex mente Poſſidonij. Non me tamen latet a
frigidis quoque cum vaporibus, tum humoribus dari poſſe vertiginis ortum,
vt ex Paulo libro 3. capite 12. colligitur, imò & frigidum vaporem propo-
nit Galen. 3. aphor. 23. ſed ego eam affero cauſam, quæ maxime locum in
caſu noſtro habet. Vnde antequam appareat vertigo, caput ſenſu aliquo
calorifico contriſtatur, ac dolet, & ſymptoma vix natum euaneſcit. Exter-
næ cauſæ multiplices traduntur, e quibus, vt errata in victus regimine omiſ-
ſa, repletiones dico, & crapulas, quia in his neutiquam hodie peccat, aer ſolū
Romanus videtur inculpandus, quoniā craſſus, caliginoſus, incōſtās, & inęqua-
lis, nec non vētis auſtrinis valde agitatus; vnde refert Patiens ab eo vſq; tēpore, D
quo Romanā Vrbē ingreſſus eſt, deterius ſemper circa caput ſe habuiſſe, & ver
tiginē incurriſſe cū alibi rude tantūmodo ſimplicis vertiginis principiū exper-
tus fuiſſet. Quare hanc potiſſimū cauſam pertinens, cęlū, & ſolum hoc libentiſſi
me permutaret, qua de re meam infra adducam ſententiā. Verū affectio hæc eſt
ne per eſſentiā an per conſenſum, ſeu idiopathica an ſimpathica? Atqui nos mē
brū illud ſanum, vel non ſanū iudicamus, cuius integrę & inculpatæ ſunt actio-
nes, vel è cōtra, leſæ, ac male affectę. Vnde cum ego diligēter obſeruarim in N.
Equite ſenſus omnes intimiores, per quos intelligo imaginationē, diſcurſū, atq;

A memoriam, quæ propriæ, & peculiares ſunt cerebri operationes, ab eo immediate prouenientes, quemadmodum externos vna cum motu ipſo vndequaque illæſos eſſe, & integros, mea ſemper fuit opinio caput huculque primaria affectione minime laborare; Nam quod interdum de dolore capitis, & calore conqueratur, mirum non eſt, cum vel aeris perturbati occaſione, vel etiam vaporum ſurſum conſcendentium multitudine id omnino proueniat. Ita enim hoc præcipue appetente vertigine. Addamus ex Galen. 3. de loc. affect. 8. vbi caput primo laborat præcedere ſolere capitis dolorem, cuius non eſt euidens cauſa alia, grauitatem, quam Aretæus 1. Chron. 3. ſcribit eſſe velut ideam vertiginis, læſionem olfactus, guſtus, aurium ſonitum, & denique nec ventriculi, nec alterius internæ partis vitia apparere. At hic vice verſa B ſigna adſunt languidioris ventriculi, nempe debilis, tardaque concoctio, & flatuum ventrem aſſiduo ſtrepitu conturbantium multitudo, & in ſumma quotidianæ de ventriculo querelæ, vt fit ab illis omnibus, qui hypochondriacam patiuntur affectionem. Quamobrem in ea ego ſum ſententia, vertiginem hanc manare prorſus a ventre, & partibus circumſitis crudorum ſuccorum vitio obſtructis, accedentibus tamen, & bilioſis iecinoris calidioris quam par ſit vicinia accumulatis, vt è pallidis egeſtionibus, & ex oris amarore, ac partium illarum caliditate, de quibus per interualla conqueritur, abunde cognoſcimus. Nemo eſt autem è Medicis, qui ignoret morbos per conſenſum genitos, ſi diutius perſiſtant, tandem migrare in eſſentiales dictos, & idiopathicos, quod vbi euenit, tunc ingeminantur affectus, & grauius affligunt. Et ideo quo ad C prognoſim, licet non me lateat vertiginem paſſim credi malum epilepſiæ, & apoplexiæ proximum de Galen. mente 3. aphor. 17. vt proinde non ſit deſpicienda, cum in ea reperiatur vehementia eſſentiæ, ac dignitatis, nam inſignis eſt receſſus ſecundum imaginationem, ſecundum viſum, & ſecundum motum arbitrarium, accedente, & dignitatis vehementia, quia princeps membrum afficitur. Et ſi enim caput per conſenſum alterius partis laborat, tamen mala, quæ fiunt, ipſius capitis propria cenſenda ſunt, auctore Galen. 3. de loco affect, & nihilominus tamen non eſſe adeo exitialem vertiginem idem videtur nobis ſignificare, quando 4. de rat. vict. in acut. 42. ſcribit eam eſſe mediam inter affectus lethales, & ſalutares; addo quod Celius Aurelianus lib. 1. chron. paſſ. capit. 2. tradit vertiginem ſaluti minime noxiam eſſe, neque vertigino-D ſos mori, niſi forte fortuna cadant, vel in præcipitia, vel in puteos; apertè ſignificans id mali genus ex ſui natura non eſſe adeo periculoſum. Præterea vertigo, de qua agitur, recens adhuc eſt, per conſenſum ab internis partibus, & in viro ætatis potius floridæ, quam declinantis. Quando enim vertigo apoplexiam minatur, iam eſt inueterata, per eſſentiam in capite, & denique in ætate ſenili; imo, vt ait Auicenna, decrepita, vt ob id præſens Eques nobiliſſimus tantopere vereri non debeat de apoplexia, ac ſubitanea morte. Tandem in ea tantum vertigine de Epilepſia, & apoplexia timeri poteſt, cuius cauſa a pituitoſa materia pendet, ſed vertigo hæc a prædominio

magis eſt ab humoribus biloſis , nec non etiam melancholicis aduſtis , A
ideo ſi inde grauiora expectanda , ſeu verenda eſſent ſymptomata , ea
potius forent phrenetica , & melancholica , maniacaue , quam epileptica ,
aut apoplectica , verum Deo fauente , & conuenienti adhibenda prouiden-
tia ſpero nos eum , & a præſenti morbo , & a futuris incolumem eſſe præſer-
uaturos . Quo ad intentiones , cum paroxyſmus dicto citius euaneſcat , nulla
hic eſt opus proprie ſumpta curatione , ſed ſolum præſeruatione , in qua omne
ſtudium eo conferendum eſt , vt cauſæ omnes effectrices vertiginis remoueau-
tur . Expiandum imprimis cenſeo corpus ab omni prauorum humorum col-
luuie , poſtea reuellerem , repellerem , reliquias materiæ , quæ ſupereſt , diſ-
ſoluerem , obſtructiones viſcerum reſerarem , & denique tam caput , quam
infernas partes , quæ primam vertiginis cauſam proferunt , totis viribus at- B
temperarem , ac roborarem ; ſed quia nunc in media ſumus hyeme , & in
ipſo ſolſtitio hyemali , nec propterea tutum eſſet hoc tempore ad generoſa
præſidia deſcendere , putarem ego Excellentiſſimi D.D. haud abre fore , ſi per
hanc hyemem prouidentia quadam per epicraſin paſſim vocata contenti eſſe-
mus , pleniorem in vernum proximum tempus reijcientes , iuxta Hippocrat.
ſententiam . *Quibuſcunque venæ ſectio , aut purgatio cum medicamento conue-
nit , ijs vere venam ſecare , aut medicamentum propinare oportet* . Quare
nunc congrua victus ratione præſcripta , in qua tamen multum laborandum
a nobis non eſt , quia exquiſitiſſima vtitur , probaretur mihi vſus enema-
tis parati ex iure veruecino , in quo ſemina aniſorum , & fœniculi vna
cum floribus anethi , & chamæmeli eſſent præbullita , additis oleis cha- C
mæmelino , & amygdalar. dulcium , melle roſat. ſolutiu. elect. de Hiera ,
cum luteo oui , & modico ſale . Euacuat enim , reuellit , & flatus diſcutit .
Interim vero ſumat ſingulo mane cochlearia duo ſyrupi de pomis . ſ. mellis
roſat. zuccharini , oxymelit. ſimplic. abſque decocto , aut aquis ſtillatitijs ;
& hoc ad concoquendos , atque præparandos tantummodo humores , qui
in primis illis vijs ſtabulantur ; inde poſtmodum per vices quaſdam detur-
bandi erunt , aut melle roſaceo ſolutiuo , & ſyrupo etiam de polipodio , am-
bobus in iure , vel decoctione ff. cor. diſſolutis , aut pilulis , quas habet fami-
liares ; de rhabarbaro , de hiera , de tribus cum rhabarb. & elephanginis . Ad
hæc non diſpliceret vſus terebinthi Cyprij , cui citra calfactionem eſtatu
dignam , & nullam certe ſiccationem facultas ineſt ventriculum detergen- D
di , & expiandi ; quotidie fiant partium inferiarum frictiones , quibus
etiam aliquando cucurbitulæ citra ſcarificationem admoueantur . Mane
dum ſurgit è lecto offeratur parua tabella ex ſpeciebus diamargarit. frig.
& diarrhodon. cum ſaccharo diſſoluto in aquis meliſſæ , & florum
citrangulorum confecta , veſperi hora ſomni modo exhiberem bolum
ex media drachma mithridatis , & vna conſeruæ roſarum , modo co-
chleare conſeruarum cephalicarum , vt ſaluiæ , anthos , & betonicæ
vna cum conſerua ſumm. abſinthij pontici , & florum cichorij . Vinum , quo
vtitur ,

A vtitur, ſit omnino oligophoron, moderate ſumatur, & aqua ligni viſci querci-
ni caſtigatum; ſic itaque hyemale hoc tempus ipſe tranſigendum cenſeo. In ue-
re autem iterũ molienda purgatio, in qua medicamenta cathartica, ſcammo nia
ta, vel etiam diagridiata euitanda omnino erunt, & ſolummodo hypelata. vulgo
benedicta erunt vſurpanda, eo quod illa nimis excalfaciunt, humores a longin-
quis partibus ad labefactata viſcera naturalia trahunt, ventriculi calorem exter-
minant, vires omnes elidunt; & denique vertiginoſos motus etiam in his, qui
vertigine non laborant, inducere ſolent. Hinc Theophraſt. in lib. de Vertigi-
ne, & Alexand. 2. probl. 33. a pharmacis vertiginem inferri dicentes, ſcripſe-
re eos, qui purgantur, vertigine & mentis confuſione ita tentari, vt nequeant
numerare trabes, niſi poſtquam perfecta, & conſummata eſt purgatio. De
B eiuſmodi autem purgatione per valentiora ſcilicet medicamenta peragenda,
qualia ſua tempeſtate in vſu maxime erant, intelligere voluit Hippocrat. 2.
prorrh. cum in vertigine minime purgandum eſſe tradit. Quamobrem neque
illo tempore diſcederem a tam propoſitis medicamentis, potiſſimum vero loco
lenienti exhiberem electuarium dictum lenitiuum ad vnc. vnam cum ſpec. hie
ræ P. Galen. ʒ. ij. ſ. poſtea ſyrupos non adeo ſiccos, ſed vna cum iuſculo paruę
pullæ, in quo præmaduerint cichorium, meliſſa, ſtęchas, oxalis, & ſem. tum
citri, tum pœoniæ; & tandem vel electuar. diacatholic. pond. vnius vnciæ cum
prænotata hieræ doſi; vel ſyrupum roſat. ſolutiu. & ſyrup. de polipodio in
aquis meliſſæ, & betonicæ, in quibus antea ſecundum artem facta eſſet infu-
ſio rhabarb. & forte etiam agar. de recenti tamen trochiſcati euacuatio per
C blanda vomitoria, cum ſuapte natura P. facilem habeat euomitionem, in
hac præſertim ex ventris conſenſu orta vertigine, mihi nõ diſpliceret. Interim
vero etiam nullo pacto omitterem ſanguinis miſſionem, dicente Auicen-
na. *phlebotomia est optimam curatione omnium ſpecierum vertiginum materia-
lium*. Et quia lis eſt apud Medicos, quæ nam venæ ſint ſecandę, cum alij
baſilicam, alij cephalicam, alij venas crurum, alij demum venas, quæ ſunt
poſt aures, præferant; ego relicta nunc huiuſmodi controuerſia, quæ non
difficulter etiam conciliari poteſt; dico in caſu noſtro aperiendam prius eſſe
baſilicam in gratiam iecinoris, ac venoſi generis iuſto calidioris, & in gra-
tiam ſupra ſignificati feruoris, mox eſſe educendum ſanguinem ex intimio-
ribus hæmorrhoidibus, quam per ramum ſplenicum, prompte a meſe-
D ræi venulis, & circumſitis locis euacuant. Cui euacuationi eſt aſſuetus
Patiens, & cum vtilitate. Neſcio an tale auxilij genus elicere poſſimus ex
doctrina Hippocratis, non ſolum cum dixit in Epidemijs *Qui innatas ha-
bent hemorrhoidas, magnis morbis*, de quorum ſerie vertigo diſpungenda non
eſt, *minime laborant*; ſed quia in Coac. Præno. ſcriptum quoque reliquit, *ver-
tiginem in hæmorrhoide parum apparente modicam ſiderationem ſignificare*; Vt vt
ſit, non poſſum in nobiliſs. Equite niſi ſummopere ex illa parte vacuatio-
nem commendare. Tempore, quo incipit incaleſcere, ac dolere caput ab
vſu repellentium nec ego cum Rhaſi, Auicenna, Aetio, & alijs abhorrerem,

quæ tamen vellem eſſent omnino mederata, nempè aut ex oleo roſaceo cum A
aceti portiunculá, aut ex aqua tantum roſacea in ea linteis madefactis, & fronti,
aut ſincipiti tepidis adhibitis; non loquor de venis, & arterijs colli, quia nulla
vnquam à me obſeruata fuit vehemens motio, àut pulſatio in externis illis par-
tibus. Poſt hæc omnia deueniendum erit ad præſidia generoſiora adhuc mi-
nime tentata, quæ quidem in pharmacia erunt vel decoctum Galli veteris
cum ijs omnibus, quæ modice vacuent, deobſtruant, flatus diſſipent, caput,
& ventriculum robborent; vel ius pulli columbini domeſtici, cum ijſdem præ-
paratum, hoc eſt polipod. & ſem. carthami, ſem. aniſor. fœnicul. foliorum, be-
tonicæ, meliſſæ. abſinthij, cichorij oxalidis, boraginis, ſem. citri, pœniæ, mo-
dico ligno ſaſſafras, & ſpecier. diamarg. frig. & diarrhod. Abb. quo per plu-
res dies aſſumpto, & initio æſtatis appropinquante in examen ſuccedit; Vtrum B
offerri debeant aquæ thermales, ac ſerum lactis. Si ergo ſermo ſit de aquis Te-
ctuccianis, hæ nimis calfaciunt, nimiſque ſiccant, & caput etiam facile affi-
ciunt, cumque in ventriculo P. nunquam fuerit obſeruata pituitoſorum humo-
rum copia excedens, dum parce admodum ſeín cibo, & potu geiat, ea pro-
pter a tam valido medicamento abſtinerem, quemadmodum, & ab alijs aquis
thermalibus cuiuſmodi ſunt ticoncellæ apud S. Caſſianum, B. Virginis apud
Patauinos, & Villæ apud Lucenſes, quoniam & hæ valde corpora exiccant, &
vbi obſtructiones vigent, non adeo facile permeant. Vnde potius probarem
ſerum lactis cap: illi a caſeoſa, & butyroſa ſubſtantia por belle depuratum, quod
tamen non omnino ſimplex, ſed foliorum ſenæ, & modico cinnamomo præpa-
ratum eſſe velim, & in ea copia etiam, qua non modo alterare, ſed ſimul vacua- C
re poſsit. Ita namque tuto, & fęliciter vel ijs, quibus hypochondria murmu-
rant, offerri poſſe conſtat ex Hippocrat. in fine 2. epid. & Galen. 5. aphor. 64.
Ad reſerandas obſtructiones non contemnendus vſus aut vini chalybeati, aut
chalybis liquefacti, aut denique in formam electuarij redacti. Conſeruæ vt ſu-
pra conueniunt ad roborandum, mithridatium, mirabolani chebuli conditi, &
ſimilia. quemadmodum exterius inunctiones, fotus, cerata: & huius cenſus alia
pro attemperando hepatis calore, & pro ventriculo corroborando, quorum
ingens ſylua eſt; non tamen obliuioni mandantes Galeni præceptum ad finem
capit. 7. ſub 7. meth. In chirurgia, poſtquam alia omnia experti fuerimus, de-
ueniendum certę erit ad cauteria, quæ vt in vertigine idiopathica, & in capite,
& in brachijs locum habent, ſic in noſtra excitanda erunt in cruribus. Po- D
ſtremo loco ſuccedit quæſitum enucleandum, quod ſpectat ad aerem, qui ſub
ratione victus a nobis comprehenditur, cuius potiſſimum cauſa præſens con-
ſultatio facta eſſe videtur, (quod ego propterea in ordine elenchi primo lo-
co adhibui) & eſt, Vtrum debeat nobiliſs. Eques quam primum Cœlum
hoc mutare, & ad aliud, ſub quo degat ſalubrius, ſe conferre. Profecto in mor-
bis omnibus æſtimare ſolemus aerem, & locum, vbi ægroti manent; quoniā,
vt ſcribit Gal. 9. met. 13. *Ambiens is eſt, ſine quo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas po-
teſt*, ſed id multo magis in morbis cerebri, quia tradit Hip. in lib. de ſacr. morb.

aerem,

A *aerem, vbi primum inſpiratur, omnem vim ſuam in cerebro relinquere*, Ideo ſumma
eum ratione quæritur, an præſens aer ſalubris, vel potius noxius exiſtat, vt id-
circo mutari quantocyus debeat. Ex vna itaque parte non videtur mihi ex vſu
fore ab Vrbe diſcedere, quoniam abundè patet ex præhabitis morbum hunc ab
internis cauſis, & intrinſeco principio originem habere, vnde ſiue mutet, ſiue
non mutet Cęlum Romanum, ſecum, & intra ſe habet proprij mali fomitem;
confirmatur id ex eo, quod alibi quoque tale aliquid paſſus eſt; nec valet dicere,
rude tantummodo principium fuiſſe, & leuiſſimum ſymptoma, quia circa prin-
cipia ſolent quæque ferè mala imbecilliora apparere. Præterea nemo noſtrum
ignorat, aerem quemuis ſecundum primas qualitates, quæ maximè actiuæ ſunt,
ſolere in noſtra corpora agere, eaque a naturali ſtatu permutare, & auertere.
B Sed ſi Romanus aer ſecundum primi ordinis qualitates conſideratur, quis non
videt eum eſſe vndequaque temperatum? Raro hic enim accidit, vt cum algo-
res, tum æſtus intenſi, & fortes ſentiantur, quę cauſa, ni fallor, fuit, vt Victruuius
lib. 6. cap. 1. ſcripſerit, *diuinam mentem ciuitatem populi Romani egregia, temperata-
que regione collocaſſe;* Vnde pariter alma hæc ciuitas in medio loco quinti clima-
tis eſſe fertur, quod quidem quintum clima temperatiſſimum vocabat Auerr. 2.
collig. cap. vlt. Ex alia parte contra facit quod ipſemet P. refert, ſtatim ac Romá
ingreſſus fuit, de capite peius ſe habuiſſe, & vertiginem grauius, ac frequentius
eum inuaſiſſe; nulla eſt autem certitudo maior cum Hip. quàm corporis ſenſus.
Accedit, quòd cum aliquamdiu vixerit ſub Tiburtino Cęlo, de hoc malo nun-
quam conqueſtus eſt, vt nec de aliquo capitis affectu; At Cęli Tiburtini aer ſic-
C cus eſt, purus, & in ſumma ex omni parte Romano contrarius. Qui quidem Ro-
manus aer non ſolum humidus eſt, craſſus, & caliginoſus, ſed etiam inæqualis,
inconſtans, de Gal. & aliorum ſententia, quantum vero ſub talis conditionis Cę-
lo afficiatur caput, non modo veterum omnium medicorum teſtimonijs cōſtat,
ſed & experimento ipſo quotidiano paſſim omnes experimur. Addatur quod
regionem hanc perflare in primis ſolent auſtrini venti, & præſertim hoc anno.
De hac verò conſtitutione loquens Hipp. tàm in lib. de ſacro morbo, quàm 3.
aph. dicebat parere ſolere epilepſiam, & vertiginem. Confirmatur hęc Hipp. do-
ctrina experientia noua nobilis cuiuſdam viri Perugini de Pauluccis, qui quo-
ties Romam accedit, toties Epilepſiam, ac prius velut vertiginem incurrit, lon-
ge vero ab Vrbe, & ſub patrio Cęlo, quod eſt huic noſtro valdè diſſimile, immu-
D nis omnino degit a talium ſymptomatū inuaſione; In hac igitur re dubia & con-
trouerſa dixerim ego quod Celſus in potione calida, vel frigida; *Experimentis
quemque in ſe credere debere exiſtimo calida, an frigida vtatur:* Expectetur ergo
vernum tempus, in quo prouidentia omnino fiat, prout ſupra eſt a me dictum
aut non ita poſt dicetur ab Exc. V. V. qua peracta per proximam æſtatem, vel
reuertitur acceſſio vertiginoſa, vel non; ſi non redibit, voti compotes facti eri-
mus, ſi rurſum inſurgat, aut eadem erit, maiorve, aut minor; ſi minus affliget, &
in frequentius, indicio nobis erit, contuliſſe admota auxilia, vnde ſubſequente
autumno iterum aggredienda curatio, quia, vt dicit Celſus, *ſæpè pertinacia iuuan-*

tis

tis malum corporis tollit; ſin minus, cum eodem Celſo dicam, & ego: *peſſimum eſſe, Cœlum, quod ægrum facit*; & cum Hipp. 6. Epid. *In morbis longis aerem mutare confert.* Et hæc mea eſt opinio, quam doctiſſimorum virorum cenſuræ libentiſſimè ſubijcio. Dat. Romæ die 26. Decembris 1620. A

HORTATIO PRO MEDICINÆ STVDIO FERIALES. POST dies reſumendos vbi de Therapia Febrium declarandæ ordine, ac vtilitate nec non Galenicæ doctrinæ eminentia potiſſimum agitur; Ad Medicinæ Candidatos.

In qua notari Quæſita poſſunt numero Viginti. B

I.

Quid in nobis adhuc præſertim iuuenibus, & naturis calidioribus præſtent calor immodicus, & frigus non adeo intemperatum.

II.

Cur ſenes, & iuuenes diuerſo modo ſe habeant in hyeme, & æſtate.

III.

Cur feriari a ſtudijs interdum oporteat.

IV.

Cur longa, & ardua medicinæ Ars dicatur.

V. C

Cur doctrina de Febribus contemplatiua poſſit appellari.

VI.

An in omni diſciplina, & arte theoreticum quid inſit, & practicum.

VII.

Quænam methodus ſeruanda in Febrium enarratione.

VIII.

Febris quotnam modis communis morbus dicatur.

IX.

Cur ſyncope, apoplexia, epilepſia, icteritia, leucophlegmatia, & tabes non vt febris vniuerſales, & communes ſint morbi.

X. D

Cur Roma Febribus putridis, & contumacibus olim maxime eſſet obnoxia.

XI.

Cur Febris perniciosior ſit cæteris morbis.

XII.

Cur Auicenna in ſua Febris definitione perperam damnetur a Fernelio.

XIII.

Cur Febris ſubiectum Cor eſſe dicatur. Vbi Auerrois opinio de cordis temperamento reijcitur.

Cur

A XIV.

Cur apertueris cor eſſe calidiſſimum.

XV.

Cur Hippocrates Animam imitatione Democriti pro natiuo calore accipiat.

XVI.

Cur Febrium enarratio præſtantior etiam ſit tractatione aliorum morborum.

XVII.

Cur qui Galenum damnant, alios Græcos omnes, & Arabes quoque reijciant.

XVIII.

Quonam modo reſpondendum ſit obiectionibus contra Galenum allatis.

XIX.

B *Cur mortalibus commune ſit errare.*

XX.

An ſit iurandum in Galeni verba.

Ad præclariſſimum virum Io. Dominicum Sala Patauinum in patrio Gymnaſio Primum Theoricum Extraordinarium.

LEgi iterum, atque iterum, Sala eruditiſſime, opus tuum de Arte Medica, quod mihi, antequam ab Vrbe diſcederes, dono tradere voluiſti; elegans ſanè multum, & in quo mirum ingenij tui accumen, ſolidamque doctrinam admiratus magnopere ſum. Munus docen-
C di in patrio, ac decantatiſſimo ſcientiarum Emporio, onus Artem ipſam in hoc, & illo exercendi, & rerum denique familiarium, præſertim verò Romanæ litis nimis anxia cura, ne te quæſo impediant, quominus inchoata monumenta varia, quæ domi abdita ſeruas, ad vmbilicum perducas, & in communem reipublicæ medicæ vtilitatem quamprimum exire permittas. Inde enim tibi, tuiſque poſteris immortalem gloriam acceſſuram eſſe, nemo, qui cádido ſit animo, & æqua lance tua præponderet, inficias ibit. Si enim, vt fertur in adagio; *Ex vnguibus leo*; cur non id ego poſſum liberè aſſerere, qui coram etiam, & in priuatis colloquijs, dum Romæ eras, animi tui dotes, & virtutes verè ſingulares facillimè cognoui? Fac igitur quod in Arte medica polliceris, quodque præſens mihi dixiſti quantocius ad noſtras manus perueniat, ne diutius tanto careamus beneficio.
D *Multum* inquit Seneca, *celeritas fecit, multum abſtulit mora.* Quandoquidem matura, & iam abundè concocta pleraque eſſe, quæ habes recondita, technitijs notis videor aſſecutus. Vtinam id alij, tuique ſimiles de meis laboribus affirmare verè poſſent. Ideò te, quantum poſſum, rogo, vt, vbi librum totum euolueris, & accuratè legeris (Venetijs enim ad te ſubitò mitti diligenter curabo) ad me reſcribas, quid nam de eo ſentias; & vna tecum doctiſſimus, ac prudentiſſimus Syluaticus, quem interim ex me plurimum ſaluere iubebis; debeo enim & illi quam multum, qui ab ea die, qua ambo ſimul ad me publicè hoc in Gymnaſio docentem audiendum conueniſtis; cum de amphymerinæ febris & diagnoſi, &

 pro-

prognoſi ſermo fieret, tam honorificè de me cum Viris etiam Principibus locu- A
tus fuerit. Quoniam autem non parum mirari mihi videbaris de nonnullis, qui Galeni doctrinam, ac methodum prorſus diuinam ſi non contemnunt, ſaltem non adeò magni facere videntur, Hippocratis tantummodò loca quædam, immò & remedia eius ſola afferentes, ſcias velim a iam multo tempore id mali genus quorundam animos inuaſiſſe, labe ferè indelebili, & hæreditaria: a qua propterea, vt iuuenes, & auditores meos omnes pro viribus intactos præcaueam, cogor non ſemel in publicis meis ſermonibus aduerſus tam noxiam luem pugnare, & prius quàm altius ſuas figat radices, præſeruatiua quæ vocant auxilia promere. Vnde anno maximè præterito, cum agendum mihi eſſet de febribus, quarum materia, niſi ad Galeni mentem, & iuxta mirabilem eius ſcientiam peragatur, obſcura vndequaq; euadit, mutila, & imperceptibilis, ab initio meatum Lectio- B
num liberè, & ingenuè contra Galeni hoſtes loqui decreui, habito Proloquio de febrium therapia declaranda iuxta Galeni dogmata, necnon etiam de Galenicæ doctrinæ eminentia. Quod quidem, qualecunque ſit, libuit & alijs meis opuſculis adijcere, & tibi pariter inſcribere, quod ſimul cum alijs legere ne graueris, vbi aliquantulum ocij a rebus maioribus nactus fueris, & de ſingulis tuum mihi iudicium ſignificare ne obliuiſcaris. Licetum meum, hoc eſt, & ipſum Genuenſem, & ſub Pendaſio, atque Coſtæo meum olim Bononiæ condiſcipulum, ſpectatiſſimæ literaturæ virum, & iſtic Philoſophiæ Profeſſorem celeberrimum meo nomine ſaluta. Bene vale, & me ama. Datum Romæ die 14. Iulij 1621.

COlligitur non difficulter e Philoſophorum, ac Medicorum placitis, qui- S
bus & ſenſus ipſe atteſtatur, vt aeris nos ambientis calor immodicus corpus vnà, & animum laxat, eneruat, ac langueſcere facit, ita vice verſa frigus in vnum cogere, roborare, &, niſi excedens admodum ſit, animum ſimul cum corpore viuidiorem reddere. Quandoquidem natiuus noſter calor, quo mediante omnes obire ſolemus actiones, æſtiuis temporibus præ nimio ſolis ardore intenſiorem vim adeptus veluti *παρὰ φύσιν* ſeu quaſi extraneus, ac præter naturam efficitur, ſuperueniente verò frigore a contraria qualitate correctus temperatior omnino fit, & magis *κατὰ φύσιν*. Vnde pariter conſtat quanta cum ratione apud eoſdem paſſim efferatur axioma illud; *Frigus ſi non per ſe, ſaltem ex accidenti naturæ opera ingredi*. Ita namq; hac de re cenſent Gal. 1. de ſympt. cauſ. 3. Auic. Fen. 1. primi Doctr. 6. cap. 5. Valleſ. lib. 5. Contr. c. 11. Thomas a Vega ad D
caput 92. Art. P. licet oppoſitum tueatur Aponenſis. Verum eſt enim nõ ſolum ſi intelligatur de mixtorum corporum natura omni vniuerſim, ſed ſpeciatim etiam de ijs, quibus tributa vita eſt. Cuius tamen veritatem in re noſtra, *cum nulla maior ſit certitudo, quàm corporis ſenſus*, vt ait Hipp. experiuntur imprimis adoleſcentes, iuueneſque & quicunque calido donati ſunt temperamẽto; Nam in ſenibus, & ijs, qui frigidæ naturæ exiſtunt, res hæc aliter contingit, iuxta illam diuini ſenis ſententiam 3. Aphor. 2. *Naturarum, aliæ quidem ad hyemem, aliæ verò ad æſtatem bene, maleue ſe habent.* Siquidẽ ſenes, & qui ſenilẽ ſortiti ſunt [illegible]

A in æſtate per bellè habent,ac promptè ſe gerunt ad quæuis munia peragenda,
quia gelida eorum corpora propter ambientis feruorem ad ſymmetriam quan-
dam rediguntur. Alij verò contra in hyeme ſalubrius degunt,& ad quaſcunque
exercendas actiones vegetiores euadunt diuerſa penitus de cauſa,quia nimirum
contrariorum contraria ſolet eſſe ratio,& conſequentia. Qua etiam de re legere
quiuis poteſt Ariſt. 5.ſect. prob. 26. vbi tradit calorem virorum magnum a calo-
re aeris ambientis nimium augeri, ita vt temperiem excedens inefficax euadat,
mulierum verò calorem cum ſit debilis calore ambientis veluti reuiuiſcere, at-
que augeri. Cum ergo veriſſimum ſit quod ſæpiſſimè Gal. ait, & poſt Galenum
Auerrões 3. Col. 20. noſtras omnes operationes celebrari miniſterio caloris na-
tiui temperati, vnde conſequens eſt, vt deprauentur, ac vitientur ab omni calo-
B re, qui temperatus minime ſit, nec non ſimiliter quod ſcribit Democritus; in
Epiſt. ad Hipp. *Augeſcit intelligentia præſente ſanitate, & vbi corporis habitus ægro-
tat, neque mens ipſa alacritatem habet ad virtutis meditationem*, ea propter quor-
ſum meus hic ſermo tendat,& quem in finem a me proferatur, vnuſquiſque fa-
cillimè intelligere poteſt. Aeſtas enim iam abijt,in qua vtriq; calores internus,
& externus quam maximè ſæuientes,iuueniles potiſſimum habitus diſſipare, &
corporis, animique vires in ijſdem languidiores efficere ſolent; autumni verò,
qui eam excepit,inclinatio omnibus patet;Quibus anni temporibus ſi iuuentus
ipſa Muſarum ædibus relictis in amena Gratiarum vireta ſecedit,ferians a labo-
ribus,& honeſtis corporis voluptatibus indulgens, libentiſſime hoc illi condo-
nandum eſt,quoniam ſcilicet cura illa nimis anxia, & aſſidua in litteris,ac diſci-
C plinis, quæ homines eò neceſſitatis adigit interdum, vt rationem corporis non
habeant, neque parcant ſuccumbenti laboribus, ſed cogant mortalem immor-
tali, & terreſtrem æthereæ parti in elaborando æqualem præſtare induſtriam,
meritò a ſapientibus, & Plutarcho præcipuè improbatur, apud quem legitur ad
finem lib. de tuen. ſanit, *vt Camelo vſu venit, quod ei bos prædixerat, cum eidem ſer-
uirent domino, & parte oneris leuare ipſum camelus recuſaſſet, fore vt paulo poſt &
ipſum, & totum onus cogeretur geſtare (mortuo enim boue id impletum eſt) ita animo
quoque contingit vt dum defatigato corpori, & quietem flagitanti nullam remiſſionem
concedere vult, paulo poſt febri orta, aut vertigine libris, & diſputationibus omiſſis,
cogatur vnà ægrotare, & dolere. Vnde rectè Plato conſulit, neque corpus eſſe abſque
animo, neque ſine corpore animum mouendum.* At nunc poſt feriales, ac voluntarios
D dies hyemale tempus reſurgit, quo paſſim iuuenes tanquam viuidiores redditi,
& varijs deliciarum generibus ſatiati ad nouos labores ſubeundos, & ad inter-
miſſa ſtudia denuo capeſſenda reuocantur. Ideo diſperſas colligite vires, ani-
mumque intendite vos omnes, qui medicinæ ſacris nunc primum initiamini,
memoria habente[illegible]d ſi remiſſ[illegible]m dari animis cum alijs laudat Seneca de
Tran[illegible],h[illegible],vt ide[illegible] *eliores, acrioreſque requieti ſurgunt*, & quæ
D.[illegible]ones,[illegible]*unt, velut quædam præparamenta ad labo-*
re[illegible]*re*[illegible]*a, &*[illegible]*antur quiete.* Quod equidem vobis et
[illegible] quo[illegible]piadum arte acqui[illegible]enda agitur, ne qua-

magna

magna eſt opus contemplatione,& aſſidua in operibus exercitatione,vt nos ad- A
monet Gal.lib.2.de Criſib. cap. 2. Quam propterea ſapientiſſimus ſenex artem
longam eſſe iure merito dixit. 1.Aphor.ab initio;vbi etiam cur creditis Hipp. ſta
tim a primis verbis tantam poſuiſſe artis difficultatem? Vt tarda,& hebetia inge-
nia ab ea capeſcenda deterreret, feruida vero,& viuida ad comprehendenda at-
que retinenda medicinæ myſteria magis inflammaret; interim nobis apertè ſi-
gnificans,aſſiduè eſſe vigilandum,ne temporis fuga deluſi tàm præſtantis diſci-
plinæ acquiſitionem amittamus; cuius ideo artis generalia præcepta vt melius,
ac citius aſſequi valeatis,Iuuenes honeſtiſſimi,ad Gymnaſium hoc celeberrimũ
frequenter vos accedere,& viuos Doctorũ ſermones audire oportet. *Habet enim*
neſcio quid latentis ἐνεργείας viua vox, & in aures diſcipuli de Auctoris ore transfu-
ſa fortius ſonat, vt ait D. Hieronymus ad Paulinum. Sic & Gal.noſter lib. 1.de B
Alim.fac.cap. 1.ſcriptum reliquit *exercitationem ſolam,ac doctrinam, quæ per diffu-*
ſam enarrationem traditur; nos facere artifices, nec inſcitè illud ſibi vulgo dici videri:
Optimam eſſe doctrinam,quæ viua voce traditur,neminemque ex libro nauclerum,aut
alterius artis artificem euadere; libri enim ſunt iis,qui ante eruditi fuerunt,monumen-
ta,non rudium,ac Tyronum doctrinæ perfecta. Quæ mea ita,vel potius hortamenta
tantò magis æſtimare debetis, quanto nunc proponitur diſcutienda doctrina
cęterarum vtiliſſima,ac præſtantiſſima, in qua videlicet docetur via,& ratio di-
gnoſcendi,atque curandi omnes febrium differentias, quæ ſanè doctrina non
ſolum practica eſt,aut factiua,vt vocant, ſed quodam modo etiam contemplati-
ua.& in qua tradenda Auicenna quatuor illis vtitur methodis, quæ a Platone,
& alijs Græcis tantopere celebrantur, nimirum diuiſiua,definitiua reſolutiua,& C
demonſtratiua; Qui etenim negant practicas diſciplinas demonſtrare,ignorant
penitus quid ſit ars,& demonſtratio, præter quamquod Ariſt.& Galeno aduer-
ſantur,nam hic apertè tradit quòd qui methodum demonſtrandi neſciunt,me-
thodo medicinam exercere minime poſſunt,& ille præter id quod artes inter fa-
ctiuas ſcientias collocat, nonne etiam artificem ad docendum experto tantum
aptiorem eſſe teſtatur 1.Metaph. cum ſcilicet artifex ipſe cauſam eorum, quæ
agenda ſunt,& rationem probè calleat: Profectò in medicina vel illa,quæ mera
practica, imò factiua eſſe videtur, theoreticum quid ineſſe nemo negabit, vt in
quauis arte,& omni alia diſciplina ſcribit Auicenna Fen. 1.pr.Can.aliquid theo
reticum, & practicum ſimul reperiri; Quam rem breuiter demonſtrare vobis
poſſum,ſi dixero, quòd ſi diuinam reſpicimus Theologiam,in ea theoreticũ eſt, D
ſpeculari de Deo, practicum verò, Deum ipſum eſſe colendum. Ita in naturali
philoſophia, etiam ſi reuera tota ſit ſpeculatrix, illud tamen practicæ rationem
habere videtur quod dicitur, elixationem a calore celebrari, nec non exiccatio-
nem,motumque a putredine præſeruare; & è contra. In morali autem,licet pe-
nè tota practica ſit, theotexim tamen ſapit quod virtus medium eſt inter extre-
ma,& cum quæritur, vtrum maior ſit vitiorũ extremum cum virtute repugnan-
tia,quàm ipſorum met inter ſe; quinimo & in artibus theoreticum aliquid ineſ-
ſe clate conſtat ex eo, quod ædificator Geometricis rationibus de fabricæ pro-

portione

A portione differit, & agricola non eſſe hyeme ſerendum probat, quia ſemina aëris frigiditate necantur. Id ipſum quoque verificatur in ea medicinæ parte, quam publicè ex hoc eminentiori loco profitemur, in qua nulla fit operatio, ſed rectus tantum operandi modus docetur, vt non ſecus, ac principiorum cognitio contemplatio planè ſit, ac ſcientia. Cuius rei veritas in Therapiæ febrium enarratione, quam maximè elucebit, in qua nihil ferè tradetur, quod è Philoſophiæ, & ſpeculatricis medicinæ arcanis depromptum non ſit. Non ignorans itaque cum Philoſopho lib. de Mem. & reminiſc. *quæ ordine traduntur facili admodum intelligentia comprehendi*, ſedulam operam nauabo, vt omnia, & ſingula certo ordine progrediantur, & methodo quàm clariſſima. Sed qui nam erit ordo iſte? Ille prorſus, quem habet, ſeu ſeruat Auicenna Fen. 1. 4. Can. dum quæcunque de
B febribus ex 8. 9. 10. 11. ac 12. meth. duobus libris de Diff. febrium, & tribus de Criſib. Gal. collegerat, diffuſe, & mirabili eum ordine pertractat; quem prius à Platone, quoque Ariſt. & Galeno vſurpatum fuiſſe nemo veſtrum ignorat. Eſt autem ille, qui à communioribus incipiens tanquam ab his, quæ vti aliorum principia, & fundamenta ſunt, ad ea, quæ magis peculiaria deſcendit, iuxta normam, & præceptum ipſius Ariſt. 1. Phy. tex. 4. Hinc etenim eſt quod Gal. talem ordinem in omni arte conſtituenda obſeruandum proponit circa finem 9. Meth. de ſententia Platonis, conſentiente Ariſtotele, apud quem hic ipſe ordo nihil eſt aliud niſi Naturæ methodus, ſecundum quam a communibus, & notis, minuſque perfectis, ad particularia, & ignota, magiſque perfecta progredi conſueuit. Quinimo quia omnis vera, & exquiſita cognitio pendet ex recto conſiderandi
C modo, & hic deſumitur ex recto modo definiendi, vt eſt apud eundem Philoſophum 6. Metaph. 2. propterea & ego artificioſum hunc ordinem inſequens à definitione ipſa meum exordiar ſermonem, cuius deinceps partes ſigillatim examinabo; vt primo loco habituri ſitis quod nam ſit febris nomen, ethymonue: ſecundo quæ natura, vel eſſentia: tertio quod ſubiectum: quarto quot, & quæ nam differentiæ; & cauſæ generatim ſumptæ, de quibus tamen Auic. nullum ſcripſit caput particulare, ſed in ephemera tantum meminit, Gal. autem 1. de Diff. feb. 3. diffuſiſſime agit, & hic de corporibus ad febrem diſpoſitis & poſtea de temporibus febrium generatim, ac ſpeciatim ſumptis. Cauſæ vero magis propriæ cuiuſlibet febris in ſpeciali febrium doctrina a nobis erunt percurrendæ, vbi ante humoralium, ſeu putridarum febrium ingreſſum de putredine tam phyſica vo-
D cata, quam medica ad mentem Ariſt. & Galeni verba fient; præterea ſuo loco, & tempore ſigna quoque omnia expendam, vbi de pulſu imprimis, & vrina, quę duo eximia ſunt, & maxima in febribus ſigna; abundè loqui nõ deſinam. quemadmodum etiam de periodicatione vocata exactius quàm potero agam; quibus omnibus ipſamet curandi ratio per ſcopos, & indicationes vnà cum auxiliorum ſylua mox ſuccedet. Quanta autem acceſſura ſit vobis vtilitas ex promiſſa febriũ Therapia, & ægrotis ſimul, quos curaturi eſtis, vix poteſt verbis explicari. Siquidem ſermo noſter erit non de morbo tantummodo determinatæ particulæ

animalis, velut annis præteritis, dum propriæ ſolum Capitis, Pectoris, & Ventris affectiones exponebantur, ſed de morbo toti corpori communi, quo etiam nomine ab Auic. febris nuncupatur, vtpote quæ vniuerſum corpus ſimul afficit, & ſingulas eius partes communi læſione affligit. Vnde a Galeno De cauſ. morb. 2. & cur. rat. per ſang. miſſ. c. 5. inter morbos communes totius corporis, & non inter proprios alicuius membri connumeratur; de qua idcirco loquens Hipp. lib. 1. de Morb. ſcribit nunquam febrem gigni in corporibus noſtris, niſi totum corpus incaleſcat; cui ſubſcribit Ariſt. 1. Prob. 20. & præcipue Auicenna in ipſius febris definitione, tradens calorem febrilem a corde in vniuerſum corpus diſpergi; contra quam aſſertionem. Si quæ ſunt obiectiones, eas infra in definitionis examine abundè reffellam. At qui adeò communis eſt toti animanti febrilis morbus, vt non deſint qui ſolam febrem vniuerſalem morbum eſſe contendant. Sed cur non etiam Syncope, Apoplexia, Epilepſia, & Leucophlegmatia, quos morbos Cornelius Celſus ponit inter vniuerſales? Quidni ſimiliter Tabes eiuſdem cenſus erit? Fortaſſe quia in his morbus eſt ſolius principij, cæterarum verò partium per conſenſum, & ſymptomata potius. Febris autem ſola per ſe eſt toto in corpore e corde, etiam cum & ipſa accidens, vel ſymptoma eſt inflammatarum partium. Inſuper febris non hoc tantum nomine communis morbus dicitur, quod vniuerſum corpus occupat, ad differentiam aliarum ægritudinum, quæ vnam, vel alteram, aut plures quoque non tamen omnes obſident partes, ſed eo etiam, quod licet alij morbi omnes in omnibus oriri poſſint temporibus, ac regionibus, quidam tamen ex illis ſunt vni potius, quam alteri tempori, regioni, aut Ciuitati proprij, ſeu in illis per quam frequentes, idque vel ob aerem, vel ob aquam, vel ob cibos, qui propterea Endemij vocantur, hoc eſt, patrij, & inquilini, qualis in Aegypto Elephas, in Achaia lippitudo, Athenis Podagra, & Arthritis de ſententia Lucretij 6. de Natura, & qualis apud Romanos olim Acmithritæus, nunc verò magis Catarrhus, & quod capiplenium non inuenuſte appellabat Alexander Petronius de Vict. Roman. lib. 4. Sic in ea Allobrogum parte, quæ Vallis lucida dicitur, cum Bronchocele, ſeu Gutturoſi homines naſcuntur, & in Apulia Auriginoſi ferè omnes, ſic tandem in Luſitania quibuſdam in partibus vernacula eſt Phthyſis; & in quibuſdam Hiſpaniæ locis Struma; de quibus quidem endemijs morbis verba ſunt ab Hippoc. in libro de aere, aquis, & Locis, vt notauit etiam Gal. comm. 9. libro primo, de rat. vict. in acut. Verum febris, de qua in poſterum, Deo aſpirante, agetur, nulli parcens tempori, regioni, ſexui, ætati, ac temperaturæ, vbique ſuas exerit vires, omneſque indiſcriminatim arripit, moleſtat, occidit, morbus vbique locorum frequentiſſimus, communiſſimus, omniumque ſæuiſſimus, contra quem quotidie ferme dimicandum ab omnibus eſt, ſeu calidam, ſeu frigidam incolant plagam. Roma, olim ſaltem, ſi quæ alia mundi Ciuitas febribus obnoxia fuiſſe perhibetur, maximè verò putridis, vel teſtimonio B. P. Damiani Rauennatis quingentis, & ſeptuaginta

A B C D

A ab hinc circiter annis, dum Romam ipſam febrium fetacem nuncupat, addens & illud lib. de Abdic. Epiſc.

Romanæ febres ſtabili ſunt iure fideles,

Quem ſemel inuadunt vix à viuente recedunt.

Credo quia ſub hoc Romano Cęlo cum caliditate vnà plurimum viget humiditas, iuges fiunt à capite deſtillationes, à quibus contumaces in venis obſtructiones gignuntur, & fouentur, & quia demum alimenta quæuis humidioris ſoli culpa vndequaque vuida, & valde excrementitia oriuntur. Ex his enim conſtamus omnes, ex quibus nutrimur; vnde corpora hic obeſa potius, & pinguia ſunt, quàm ſicca, & gracilia. Ad putridas verò febres diſpoſita in primis eſſe corpora calida humida docuit ſæpè Gal. cum alibi, tum 8. meth. cap. 7. Et huc etiam
B reſpexit Ariſt. cum dixit 2. de Par. anim. 5. obęſos, & pingues citius interire, quàm alios. Quare & Gal. Regionem Romanam, quæ eſt calida, & humida Hemitritæo obnoxiam eſſe ſcripſit de tot. morbi temp. cap. 8. Quod intelligentes Ethnici illi Romani nulli alteri morbo præter quam febri templum erexerunt. Et meritò quidem febrem cęteris morbis magis pernicioſam eſſe omnes iudicant, quoniam, alijs omiſſis, viſcus, & membrum reliquorum omnium ad vitam maximè neceſſarium præcipuè oppugnat, cor ſcilicet ipſum, quod vnum diu vitijs non maceratur, nec vitę ſupplicia trahit grauiora, & ſemel læſum mortem affert pręſentaneam. Nunquam enim, & ſi aliqua pars noſtri corporis etiam princeps ingenti extraneo calore afficitur, in ea vigens affectus febris dicitur, niſi cum ille met calor cordi impertitus eſt, & in eo accenſus, vt nos clarè docet Galenus 1.
C de Diff. febr. 1.2. ad Glauc. & 2. de Fract. 22. & poſt eũ Auicenna Fen. 1.4. Can. in hoc perperam à Fernelio lib. 4. de Febrib. c. 1. damnatus, quia ſcilicet veriſſimum eſt, quod ait Auic. ipſe, febrem eſſe calorem extraneum accęſum in corde; minimè negans quin aliunde, quàm ex corde oriri interdum febris poſſit, vt eſt videre in febribus ſymptomaticis, quales ex inguinum tumore apud Hippoc. 4. Aphor. 55. quales hecticæ quædam apud Gal. 10. Meth. 8. à iecinore, & ventriculo, & qualis demum apud ipſum Auicennam Ephemera ex dolore capitis, aurium, dentium, & oculorum. Nec enim antea febres illæ dicuntur, quàm cor extraneam, ac peregrinam caliditatem exceperit, nec Auic. verba ſunt de calore vel primum, vel non primum in corde accenſo, ſed hoc ſimpliciter ſonant, quòd febris eſt calor accenſus in corde, id quod etiam perbelle ſignificauit Hipp. 4.
D acut. 39 dicens calorem febricitantiũ ſemper accendi in thorace, hoc eſt, in corde, à quo poſt modum Gal. auctore 1. Acut. 18. per arterias in vniuerſum corpus diſtribuitur, quo modo & natiuus, qui per eaſdem velut per tubos in totum corpus deuehitur; Cordis autem dignitas, nedum neceſſitas quanta ſit, notius eſt, quàm vt hic longius demonſtrari debeat; illud vnum quidem attigiſſe extra rem noſtram minime erit, cor, quod vt primordia calidi natiui continet, ſouetque, ita febris, quæ eiuſdem caloris eſt ad igneam naturam conuerſio, ſubiectum eſſe meritò prædicatur, fontem ipſius caloris, & viuifici nectaris in ſe habere, ſeu artificioſum illum Zenonis ignem, illumque cęleſtem

Oo 2 calorem,

calorem, quem Veteres, Platone in Protagora referente, finxerunt Prometheũ A
è Cęlo furatum, vt hominem vita donaret. A Cęlo enim huius caloris videtur
eſſe origo, atque principium, qui per omnia diſſeminatus eſt, & ſingulis vitam
præſtat. In corde denique qui viget calor, eum Hipp. in lib. de Princ. immorta-
lem eſſe, omnia intelligere, omnia videre, ſcire præſentia, atque futura dicebat.
Qua propter longe hinc abeat Auer. qui cor per ſe, & ex ſua natura frigidum
eſſe contendit, quod ex eo probare nititur, quia maiore ſui portione frigidis cõ-
flatum ſit particulis, nempe fibris innumeris, vaſis quatuor magnis, vena ſcili-
cet caua, arteria magna, vena arterioſa, & arteria venoſa, quæ partes ſpermaticæ
ſunt, exangues, ac frigidæ; & ſi calidum ſit, tale eſſe tantummodo ex accidenti ob
copiam ſanguinis arterioſi, & ſpirituum vitalium, qui in eo ſunt, & ob perennem
eiuſdem motum. Quam Auerrois opinionem ſunt qui ſe poſſe tueri arbitrantur B
propterea quia ad cordis baſim copioſiſſimus inuenitur adeps, cuius efficiens
cauſa etiam per Galenum frigiditas eſt. Reijciatur dico in hoc Auerrois ſenten-
tia, quia cor propriè, & ſuapte natura non modò calidum eſt, ſed calidiſſimum
omnium membrorũ, teſtimonio Hipp. & Galeni loco ſuper citato. 1. de temp.
vlt. & 2. eiuſdem oper. ; ne ſileam quod idem Galenus Ibidem, & 1. etiam de
ſem. ac de Fęt. format. aſſerit, ſi in recẽs diſſecti cordis ventriculos digitum quis
immittat, tam ingentem in eo ſentire calorem, vt quaſi vrere videatur. Neceſſe
etenim fuit ad calorem ſeruandum, reficiendumque ne breuiſſimo tempore vi-
ta extingueretur, locum eſſe aliquem in animali, ceu caminum, aut focum, qui
naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineret, eundemque locum ſimili-
ter tutum eſſe, quaſi arcem corporis vniuerſi; quem quidem cor eſſe apertè tra- C
dunt Ariſt. 3. de Par. anim. 7. & Galenus ; de Fętus form. c. 3. Vbi dicit etiam ex
corde animantia maiorem ſortiri calorem, vti domus ex igne accenſo, vt ob id
temere credatur membrum, in quo veluti lares, focumque adeſſe oportuit, quo
natiuus ſingularum partium calor conſeruaretur, & fugax cuiuſque particulæ
viuacitas eius in fluxu recrearetur, ſuapte natura frigidum fuiſſe conſtitutum, cũ
id penitus reclamet logico axiomati; *Propterquod vnumquodque tale, & illud ma-
gis*. Ad Auerroem verò dicatis fibras, & quatuor illa cordis vaſa inſignia haud
quaquam ſubſtantiam cordis cõplere, quia caro præcipua eſt cordis ipſius pars,
per quam viſcus carnoſum ab Ariſt. & Galeno vocatur. Quæ quidem caro cali-
diſſima eſt, vt potè genita ex feruentiſſimo ſanguine vi caloris denſato, vt nos
pariter docuit Hipp. loco præadducto. Adipis autem generatio non in ſinubus, D
nec circa cordis carnem celebratur, ſed ſolum circa membranas, ne vtiquam ca-
liditas; ne dicã quòd generationis eius finalis cauſa reliquas cauſas omnes euin-
cit; ne videlicet feruidiſſimum viſcus aſſiduo torreretur ardore. Quotieſcunque
igitur in corde caloris, ac vitæ fonte calor ipſe naturalis optimè diſpoſitus eſt,
nec limites a natura præfixos transgreditur, rectè quoque cum animante
agitur, at ſi vitietur, protinus corpus eius corrumpatur oportet, cum
vita, ſi Philoſopho creditur in Par. Natur. nihil ſit aliud, niſi permanſio
animæ in calore naturali, cuius ſedem, & arcem cor eſſe non medici ſo-

lum,

A lum, ſed etiam Philoſophi vnanimiter aſſerunt. Cumq; varij ſint modi corru-
ptionis natiui ipſius caloris frequentiſſimus tamẽ omnium, & communiſsimus
eſt ille, qui a febrili calore dependet, de quo intelligi voluit Hip. 6. epid. illis in
verbis. *Hominis anima perpetuo ad mortem vſque producitur, quæ ſi vnacum morbo
incenſa fuerit, corpus depaſcit*. Hic etenim per animam natiuum innuit calorem,
ad quem ipſe tanquam ad cauſam ſine qua non corporis refert functiones; vel
quia inſequitur hac in re. Democritum, a quo ſapientiorem ſe factum eſſe teſta-
tur, qui epiſt. ad Damag. animam putauit eſſe ipſum calidum, vt patet ex Ariſt.
1. De An. t. 20. Hic idem calor, vt Gal. notat in comm. citati lib. epidem. ſi igne
exeanduerit, tum corrumpit, tum contabefacit. Tradebat quin etiã Hip. in lib.
de Flat. omnibus propemodũ morbis febrem copulari & Gal. 2. aph. 19. acutos
B ferme omnes, præter paucos quoſdã, aut febres eſſe, aut, cũ acuta febre cõiunctos
adinueniri; imò non deſunt, qui neminem vnquam poſſe mori ſine febre, etiã ſi
ſtrãguletur, etiam ſi trucidetur, qua tamen de re infra meam audietis ſententiã:
Interim vero deniq; ſcitote febrium enarrationẽ quarũcunq; morborũ tracta-
tione præſtantiorem poſſe dici, præ ſui certitudine, quoniam febrilis morbus ſen
ſu tactus indice clariſſime dignoſcitur. Calor n. & frigus per ſenſum ipſius ta-
ctus maxime cognoſcuntur, cum ſint è qualitatibus, quæ tractantur, vt conſtat
ex Ariſt. 2. de Ani. & Gal. 2. de Temp. & ſenſu ipſo. Si quidem iudicat tactus
ignem eſſe calidum, niuem verò frigidam. Quæ cum ita ſe habeant, nauiter agẽ
dum eſt a me, vt rem adeo præſtantem ac neceſſariam omnes, qui medicã diſci-
plinam callere, nec non profiteri voluerint, exactè dilucidatam habeant, infinitis
C propè in ea controuerſijs, & quæſtionibus ſedatis ac perſolutis; vt quod arduũ,
& ſalebroſum hoc in itinere nobis primum ſe ſe offert, planum deniq; & omni-
no peruium euadat, idque imprimis iuxta placita, & mentem Galeni, & aliorũ
tum Græcorum, tum Arabum, a quorum doctrina, methodoque qui diſcedunt,
recentiorum quorundam noua dogmata, nouaque paradoxa inſequentes, tan-
quam Nouatores, & in arte Hæretici è meliori ſchola diſpungendi ſunt. Vnde
non poſſum non loqui de nonnullis noſtri ſæculi Attalis, amethodiſq; qui Ty-
ronibus aera lupinis diſtinguere neſcientibus quã multa imponere non veren-
tur, & inter alia, Galeni opera, & commentaria non eſſe euoluenda, imo ne deli-
banda quidẽ, cum ſat ſit omnibus Hipp. libros legere, ita ſe vulgo iactantes Hip-
pocraticos. Proh. hæreſim in cimmerias vmbras ablegandam, quaſi qui Galeni-
D ci ſunt, ijdem non ſin Hippocratici, quique vere Hippocratici, non ſimiliter Ga
lenici. In eo tamen laude dignos eos eſſe exiſtimo, quod Hippocratem de Eſcu
lapij ſtirpe. vt Plato in Protagora inquit venerantur, Medicorum ſanè omniũ,
quotquot fuerunt, ſunt, & erunt, Principem, & Anteſignanum vel ægre feren
te Aſclepiade, qui eius dãnauit principia, atq; Democriti indiuidua corpuſcu-
la inuexit; ſed in hoc laudare minimè poſſum, quod autumant ſapientiſſime ſe-
nis arcana melius ſe poſſe aperire Galeno ipſo, Græcarum litterarum, omnium-
que diſciplinarum peritiſſimo. Neſcio equidem vnde illud ſemen ortũ; fortaſſe
ex illis, contra quos tamdiu, tamque acriter ſub hoc cælo Galen. pugnauit. Hoc

tis malum corporis tollit; ſin minus, cum eodem Celſo dicam, & ego: *peſſimum eſſe, Cælum, quod ægrum facit*; & cum Hipp. 6. Epid. *In morbis longis aerem mutare confert.* Et hæc mea eſt opinio, quam doctiſſimorum virorum cenſuræ libentiſſimè ſubijcio. Dat. Romæ die 26. Decembris 1620. A

HORTATIO PRO MEDICINÆ STVDIO FERIALES POST *dies reſumendos vbi de Therapia Febrium declarandæ ordine, ac vtilitate nec non Galenicæ doctrinæ eminentia potiſſimum agitur; Ad Medicinæ Candidatos.*

In qua notari Quæſita poſſunt numero Viginti. B

I.

Quid in nobis adhuc præſertim iuuenibus, & naturis calidioribus præſtent calor immodicus, & frigus non adeo intemperatum.

II.

Cur ſenes, & iuuenes diuerſo modo ſe habeant in hyeme, & æſtate.

III.

Cur feriari a ſtudijs interdum oporteat.

IV.

Cur longa, & ardua medicinæ Ars dicatur.

V. C

Cur doctrina de Febribus contemplatiua poſſit appellari.

VI.

An in omni diſciplina, & arte theoreticum quid inſit, & practicum.

VII.

Quænam methodus ſeruanda in Febrium enarratione.

VIII.

Febris quotnam modis communis morbus dicatur.

IX.

Cur ſyncope, apoplexia, epilepſia, icteritia, leucophlegmatia, & tabes non vt febris vniuerſales, & communes ſint morbi.

X. D

Cur Roma Febribus putridis, & contumacibus olim maxime eſſet obnoxia.

XI.

Cur Febris perniciosior ſit cæteris morbis.

XII.

Cur Auicenna in ſua Febris definitione perperam damnetur a Fernelio.

XIII.

Cur Febris ſubiectum Cor eſſe dicatur. Vbi Auerrois opinio de cordis temperamento reijcitur.

Cur

A XIV.

Cur quartana eur eſse calidiſsimum.

XV.

Cur Hippocrates Animam imitatione Democriti pro natiuo calore accipiat.

XVI.

Cur Febrium enarratio præſtantior etiam ſit tractatione aliorum morborum.

XVII.

Cur qui Galenum damnant, alios Græcos omnes, & Arabes quoque reijciant.

XVIII.

Quonam modo reſpondendum ſit obiectionibus contra Galenum allatis.

XIX.

B *Cur mortalibus commune ſit errare.*

XX.

An ſit iurandum in Galeni verba.

Ad præclariſsimum virum Io. Dominicum Sala Patauinum in patrio Gymnaſio Primum Theoricum Extraordinarium.

LEgi iterum, atque iterum, Sala eruditiſſime, opus tuum de Arte Medica, quod mihi, antequam ab Vrbe diſcederes, dono tradere voluiſti; elegans ſanè multum, & in quo mirum ingenij tui accumen, ſolidamque doctrinam admiratus magnopere ſum. Munus docen-
C di in patrio, ac decantatiſſimo ſcientiarum Emporio, onus Artem ipſam in hoc, & illo exercendi, & rerum denique familiarium, præſertim verò Romanæ litis nimis anxia cura, ne te quæſo impediant, quominus inchoata monumenta varia, quæ domi abdita ſeruas, ad vmbilicum perducas, & in communem reipublicæ medicæ vtilitatem quamprimum exire permittas. Inde enim tibi, tuiſque poſteris immortalem gloriam acceſſuram eſſe, nemo, qui cãdido ſit animo, & æqua lance tua præponderet, inficias ibit. Si enim, vt fertur in adagio; *Ex vnguibus leo*; cur non id ego poſſum liberè aſſerere, qui coram etiam, & in priuatis colloquijs, dum Romæ eras, animi tui dotes, & virtutes verè ſingulares faciliimè cognoui? Fac igitur quod in Arte medica polliceris, quodque præſens mihi dixiſti quantocius ad noſtras manus perueniat, ne diutius tanto careamus beneficio.
D *Multum* inquit Seneca, *celeritas fecit, multum abſtulit mora*. Quandoquidem matura, & iam abundè concocta pleraque eſſe, quæ habes recondita, technitrijs notis videor aſſecutus. Vtinam id alij, tuique ſimiles de meis laboribus affirmare verè poſſent. Ideò te, quantum poſſum, rogo, vt, vbi librum totum euolueris, & accuratè legeris (Venetijs enim ad te ſubitò mitti diligenter curabo) ad me reſcribas, quid nam de eo ſentias, & vna tecum doctiſſimus, ac prudentiſſimus Syluaticus, quem interim ex me plurimum ſaluere iubebis; debeo enim & illi quam multum, qui ab ea die, qua ambo ſimul ad me publicè hoc in Gymnaſio docentem audiendum conueniſtis, cum de amphymerinæ febris & diagnoſi, &

pro-

prognoſi ſermo fieret, tam honorificè de me cum Viris etiam Principibus locutus fuerit. Quoniam autem non parum mirari mihi videbaris de nonnullis, qui Galeni doctrinam, ac methodum prorſus diuinam ſi non contemnunt, ſaltem non adeò magni facere videntur, Hippocratis tantummodò loco quadam, imò & remedia eius ſola afferentes, ſcias velim a iam multo tempore id mali genus quorundam animos inuaſiſſe, labe ferè indelebili, & hæreditaria: a qua propterea, vt iuuenes, & auditores meos omnes pro viribus intactos præcaueam, cogor non ſemel in publicis meis ſermonibus aduerſus tam noxiam luem pugnare, & prius quàm altius ſuas figat radices, præſeruatiua quæ vocant auxilia promere. Vnde anno maximè præterito, cum agendum mihi eſſet de febribus, quarum materia, niſi ad Galeni mentem, & iuxta mirabilem eius ſcientiam peragatur, obſcura vndequaq; euadit, mutila, & imperceptibilis, ab initio meatum Lectionum liberè, & ingenuè contra Galeni hoſtes loqui decreui, habito Proloquio de febrium therapia declaranda iuxta Galeni dogmata, nec non etiam de Galenicæ doctrinæ eminentia. Quod quidem, qualecunque ſit, libuit & alijs meis opuſculis adijcere, & tibi pariter inſcribere, quod ſimul cum alijs legere ne graueris, vbi aliquantulum ocij a rebus maioribus nactus fueris, & de ſingulis tuum mihi iudicium ſignificare ne obliuiſcaris. Licetum meum, hoc eſt, & ipſum Genuenſem, & ſub Pendaſio, atque Coſtæo meum olim Bononiæ condiſcipulum, ſpectatiſſimæ literaturæ virum, & iſtic Philoſophiæ Profeſſorem celeberrimum meo nomine ſaluta. Bene vale, & me ama. Datum Romæ die 14. Iulij 1621.

COlligitur non difficulter e Philoſophorum, ac Medicorum placitis, quibus & ſenſus ipſe atteſtatur, vt aeris nos ambientis calor immodicus corpus vnà, & animum laxat, eneruat, ac langueſcere facit, ita vice verſa frigus in vnum cogere, roborare, &, niſi excedens admodum ſit, animum ſimul cum corpore viuidiorem reddere. Quandoquidem natiuus noſter calor, quo mediante omnes obire ſolemus actiones, æſtiuis temporibus præ nimio ſolis ardore intenſiorem vim adeptus velut παρὰ φύσιν, ſeu quaſi extraneus, ac præter naturam efficitur, ſuperueniente verò frigore a contraria qualitate correctus temperatior omnino fit, & magis κατὰ φύσιν. Vnde pariter conſtat quanta cum ratione apud eoſdem paſſim efferatur axioma illud; *Frigus ſi non per ſe, ſaltem ex accidenti naturæ opera ingredi*. Ita namq; hac de re cenſent Gal. 2. de ſympt. cauſ. 3. Auic. Fen. 1. primi Doctr. 6. cap. 5. Valleſ. lib. 5. Contr. c. 11. Thomas a Vega ad caput 92. Art. P. licet oppoſitum tueatur Aponenſis. Verum eſt enim nō ſolum ſi intelligatur de mixtorum corporum natura omni vniuerſim, ſed ſpeciatim etiam de iis, quibus tributa vita eſt. Cuius tamen veritatem in re noſtra, *cum nulla maior ſit certitudo, quàm corporis ſenſus*, vt ait Hipp. experiuntur imprimis adoleſcentes, iuueneſque & quicunque calido donati ſunt temperamēto. Nam in ſenibus, & iis, qui frigidæ naturæ exiſtunt, res hæc aliter contingit, iuxta illam diuini ſenis ſententiam 3. Aphor. 2. *Naturarum alia quidem ad hyemem, alia verò ad æſtatem bene, malene ſe habent*. Siquidē ſenes, & qui ſenilē ſortiti ſunt κρᾶσιν

in

A in æſtate per bellè habent, ac promptè ſe gerunt ad quæuis munia peragenda,
quia gelida eorum corpora propter ambientis feruorem ad ſymmetriam quan-
dam rediguntur. Alij verò contra in hyeme ſalubrius degunt, & ad quaſcunque
exercendas actiones vegetiores euadunt diuerſa penitus de cauſa, quia nimirum
contrariorum contraria ſolet eſſe ratio, & conſequentia. Qua etiam de re legere
quiuis poteſt Ariſt. 5. ſect. prob. 26. vbi tradit calorem virorum magnum a calo-
re aeris ambientis nimium augeri, ita vt temperiem excedens inefficax euadat,
mulierum verò calorem cum ſit debilis calore ambientis veluti reuiuiſcere, at-
que augeri. Cum ergo veriſſimum ſit quod ſæpiſſimè Gal. ait, & poſt Galenum
Auerroes 3. Col. 20. noſtras omnes operationes celebrari miniſterio caloris na-
tiui temperati, vnde conſequens eſt, vt deprauentur, ac vitientur ab omni calo-
B re, qui temperatus minime ſit, nec non ſimiliter quod ſcribit Democritus; in
Epiſt. ad Hipp. *Augeſcit intelligentia præſente ſanitate, & vbi corporis habitus ægro-
tat, neque mens ipſa alacritatem habet ad virtutis meditationem*, ea propter quor-
ſum meus hic ſermo tendat, & quem in finem a me proferatur, vnuſquiſque fa-
cillimè intelligere poteſt. Aeſtas enim iam abijt, in qua vtriq; calores internus,
& externus quam maximè ſæuientes, iuueniles potiſſimum habitus diſſipare, &
corporis, animique vires in iiſdem languidiores efficere ſolent; autumni verò,
qui eam excepit, inclinatio omnibus patet; Quibus anni temporibus ſi iuuentus
ipſa Muſarum ædibus relictis in amena Gratiarum vireta ſecedit, ferians a labo-
ribus, & honeſtis corporis voluptatibus indulgens, libentiſſime hoc illi condo-
nandum eſt, quoniam ſcilicet cura illa nimis anxia, & aſſidua in litteris, ac diſci-
C plinis; quæ homines eò neceſſitatis adigit interdum, vt rationem corporis non
habeant, neque parcant ſuccumbenti laboribus, ſed cogant mortalem immor-
tali, & terreſtrem ethereæ parti in elaborando æqualem præſtare induſtriam,
meritò a ſapientibus, & Plutarcho præcipuè improbatur, apud quem legitur ad
finem lib. de tuen. ſanit, *vt Camelo vſu venit, quod ei bos prædixerat, cum eidem ſer-
uirent domino, & parte oneris leuare ipſum camelus recuſaſſet, fore vt paulo poſt &
ipſum, & totum onus cogeretur geſtare (mortuo enim boue id impletum eſt) ita animo
quoque contingit vt dum defatigato corpori, & quietem flagitanti nullam remiſſionem
concedere vult, paulo poſt febri orta, aut vertigine libris, & diſputationibus omiſſis,
cogatur vnà ægrotare, & dolere. Vnde rectè Plato conſulit, neque corpus eſſe abſque
animo, neque ſine corpore animum mouendum.* At nunc poſt feriales, ac volu[n]tarios
D dies hyemale tempus reſurgit, quo paſſim iuuenes tanquam viuidiores redditi,
& varijs deliciarum generibus ſatiati ad nouos labores ſubeundos, & ad inter-
miſſa ſtudia denuo capeſſenda reuocantur. Ideo diſperſas colligite vires, ani-
mumque intendite vos omnes, qui medicinæ ſacris nunc primum initiamini,
memoria habentes quòd ſi remiſſionem dari animis cum alijs laudat Seneca de
Tranq. vitæ, hoc eſt, quia, vt idem ait, *meliores, acrioreſque requieti ſurgunt*, & quia
D. Chryſoſtomus, *remiſſiones*, inquit, *ſunt velut quædam præparamenta ad labo-
res; nam & arcus, & lyra, & homo vegetantur quiete.* Quod equidem vobis eo
magis perſuaſum velim, quò de Aſclepiadum arte acquirenda agitur, in qua

magna eſt opus contemplatione,& aſſidua in operibus exercitatione,vt nos ad- A
monet Gal.lib.2.de Criſib. cap.2. Quam propterea ſapientiſſimus ſenex artem
longam eſſe iure merito dixit. 1.Aphor.ab initio;vbi etiam cur creditis Hipp. ſta
tim a primis verbis tantam poſuiſſe artis difficultatem? Vt tarda,& hebetia inge-
nia ab ea capeſcenda deterreret, feruida vero,& viuida ad comprehendenda at-
que retinenda medicinæ myſteria magis inflammaret, interim nobis apertè ſi-
gnificans,aſſiduè eſſe vigilandum,ne temporis fuga deluſi tàm præſtantis diſci-
plinæ acquiſitionem amittamus; citius ideo artis generalia præcepta vt melius,
ac citius aſſequi valeatis,Iuuenes honeſtiſſimi,ad Gymnaſium hoc celeberrimũ
frequenter vos accedere,& viuos Doctorũ ſermones audire oportet. *Habet enim
neſcio quid latentis* ἐνεργείας *viua vox, & in aures diſcipuli de Auctoris ore transfu-
ſa fortius ſonat*, vt ait D. Hieronymus ad Paulinum. Sic & Gal.noſter lib. 1. de B
Alim.fac.cap.1.ſcriptum reliquit *exercitationem ſolam,ac doctrinam, quæ per diffu-
ſam enarrationem traditur, nos facere artifices, nec inſcitè illud ſibi vulgo dici videri:
Optimam eſſe doctrinam,quæ viua voce traditur,neminemque ex libro nauclerum,aut
alterius artis artificem euadere; libri enim ſunt ijs,qui ante eruditi fuerunt,mommen-
ta,non rudium,ac Tyronum doctrinæ perfecta*. Quæ mea ita,vel potius hortamenta
tantò magis æſtimare debetis, quanto nunc proponitur diſcutienda doctrina
cęterarum vtiliſſima,ac præſtantiſſima, in qua videlicet docetur via, & ratio di-
gnoſcendi,atque curandi omnes febrium differentias, quæ ſanè doctrina non
ſolum practica eſt,aut factiua,vt vocant, ſed quodam modo etiam contemplati-
ua. & in qua tradenda Auicenna quatuor illis vtitur methodis, quæ a Platone,
& alijs Græcis tantopere celebrantur, nimirum diuiſiua,definitiua reſolutiua,& C
demonſtratiua; Qui etenim negant practicas diſciplinas demonſtrare, ignorant
penitus quid ſit ars,& demonſtratio, præter quamquod Ariſt.& Galeno aduer-
ſantur,nam hic apertè tradit quòd qui methodum demonſtrandi neſciunt,me-
thodo medicinam exercere minime poſſunt,& ille pręter id quod artes inter fa-
ctiuas ſcientias collocat, nonne etiam artificem ad docendum experto tantum
aptiorem eſſe teſtatur 1.Metaph. cum ſcilicet artifex ipſe cauſam eorum, quæ
agenda ſunt,& rationem probè calleat. Profectò in medicina vel illa,quæ mera
practica, imò factiua eſſe videtur, theoreticum quid ineſſe nemo negabit, vt in
quauis arte,& omni alia diſciplina ſcribit Auicenna Fen.1.pr.Can.aliquid theo
reticum, & practicum ſimul reperiri; Quam rem breuiter demonſtrare vobis
poſſum,ſi dixero, quòd ſi diuinam reſpicimus Theologiam,in ea theoreticũ eſt, D
ſpeculari de Deo, practicum verò, Deum ipſum eſſe colendum. Ita in naturali
philoſophia, etiam ſi reuera tota ſit ſpeculatrix, illud tamen practicæ rationem
habere videtur quod dicitur, elixationem a calore celebrari, nec non exiccatio-
nem,motumque a putredine præſeruare, & è contra. In morali autem,licet pe-
nè tota practica ſit, theorexim tamen ſapit quod virtus medium eſt inter extre-
ma,& cum quæritur, vtrum maior ſit vitiorũ extremum cum virtute repugnan-
tia,quàm ipſorum met inter ſe; quinimo & in artibus theoreticum aliquid ineſ-
ſe clare conſtat ex eo, quod ædificator Geometricis rationibus de fabricæ pro-

A portione differit, & agricola non eſſe hyeme ſerendum probat, quia ſemina
aeris frigiditate necantur. Id ipſum quoque verificatur in ea medicinæ parte,
quam publicè ex hoc eminentiori loco profit eor, in qua nulla fit operatio, ſed
rectus tantum operandi modus docetur, vt non ſecus, ac principiorum cogni-
tio contemplatio planè ſit, ac ſcientia. Cuius rei veritas in Therapia febrium
enarratione, quam maximè elucebit; in qua nihil ferè tradetur, quod è Philoſo-
phiæ, & ſpeculatricis medicinæ arcanis depromptum non ſit. Non ignorans ita-
que cum Philoſopho lib. de Mem. & remin. *quæ ordine traduntur facili admodum
intelligentia comprehendi,* ſedulam operam nauabo, vt omnia, & ſingula certo or-
dine progrediantur, & methodo quam clariſſima. Sed qui nam erit ordo iſte?
Ille prorſus, quem habet, ſeu ſeruat Auicenna Fen. 1. 8. Can. dum quæcunque de
B febribus ex 8. 9. 10. 11. ac 12. meth. duobus libris de Diff. febrium, & tribus de
Criſib. Gal. collegerat, diffuſe, & mirabili eum ordine pertractat; quem prius à
Platone quoque Ariſt. & Galeno vſurpatum fuiſſe nemo veſtrum ignorat. Eſt
autem ille, qui à communioribus incipiens tanquam ab his, quæ vti aliorum
principia, & fundamenta ſunt, ad ea, quæ magis peculiaria deſcendit, iuxta nor-
mam, & præceptum ipſius Ariſt. 1. Phy. tex. 4. Hinc etenim eſt quod Gal. talem
ordinem in omni arte conſtituenda obſeruandum proponit circa finem 9. Meth.
de ſententia Platonis, conſentiente Ariſtotele, apud quem hic ipſe ordo nihil eſt
aliud niſi Naturæ methodus, ſecundum quam a communibus, & notis, minuſ-
que perfectis, ad particularia, & ignota, magiſque perfecta progredi conſueuit.
Quinimo quia omnis vera, & exquiſita cognitio pendet ex recto conſiderandi
C modo, & hic deſumitur ex recto modo definiendi, vt eſt apud eundem Philoſo-
phum 6. Metaph. 2. propterea & ego artificioſum hunc ordinem inſequens à
definitione ipſa meum exordiar ſermonem, cuius deinceps partes ſigillatim exa-
minabo; vt primo loco habituri ſitis quod nam ſit febris nomen, ethymonue: ſe-
cundo quæ natura, vel eſſentia: tertio quod ſubiectum: quarto quot, & quæ nam
differentiæ, & cauſæ generatim ſumptæ, de quibus tamen Auic. nullum ſcripſit
caput particulare, ſed in ephemera tantum meminit, Gal. autem 1. de Diff. feb. 3.
diffuſiſſime agit, & hic de corporibus ad febrem diſpoſitis & poſtea de tempori-
bus febrium generatim, ac ſpeciatim ſumptis. Cauſæ verò magis propriæ cuiuſ-
libet febris in ſpeciali febrium doctrina à nobis erunt percurrendæ, vbi ante
humoralium, ſeu putridarum febrium ingreſſum de putredine tam phyſica vo-
D cata, quàm medica ad mentem Ariſt. & Galeni verba fient; præterea ſuo loco,
& tempore ſigna quoque omnia expendam, vbi de pulſu imprimis, & vrina, quę
duo eximia ſunt, & maxima in febribus ſigna, abundè loqui nõ deſinam, quem-
admodum etiam de periodicatione vocata exactius quàm potero agam; quibus
omnibus ipſamet curandi ratio per ſcopos, & indicationes vnà cum auxiliorum
ſylua mox ſuccedet. Quanta autem acceſſura ſit vobis vtilitas ex promiſſa fe-
briũ Therapia, & ægrotis ſimul, quos curaturi eſtis, vix poteſt verbis explicari.
Siquidem ſermo noſter erit non de morbo tantummodo determinatæ particulæ

animalis, velut annis prateritis, dum propoſitæ ſolum Capitis, Pectoris, & Ventris affectiones exponebantur, ſed de morbo toti corpori communi, quo etiam nomine ab Auic. febris nuncupatur, vtpotequæ vniuerſum corpus ſimul afficit, & ſingulas eius partes communi læſione affligit. Vnde a Galeno De cauſ. morb. 2. & cur. rat. per ſang. miſſ. c. 5. inter morbos communes totius corporis, & non inter proprios alicuius membri connumeratur; de qua iccirco loquens Hipp. lib. 1. de Morb. ſcribit nunquam febrem gigni in corporibus noſtris, niſi totum corpus incaleſcat; cui ſubſcribit Ariſt. 1. Prob. 20. & præcipuè Auicenna in ipſius febris definitione, tradens calorem febrilem a corde in vniuerſum corpus diſpergi; contra quam aſſertionem. Si quæ ſunt obiectiones, eas infra in definitionis examine abundè reffellam. At qui adeò communis eſt toti animanti febrilis morbus, vt non deſint qui ſolam febrem vniuerſalem morbum eſſe contendant. Sed cur non etiam Syncope, Apoplexia, Epilepſia, & Leucophlegmatia, quos morbos Cornelius Celſus ponit inter vniuerſales? Quidni ſimiliter Tabes eiuſdem cenſus erit? Fortaſſe quia in his morbus eſt ſolius principij, cæterarum vero partium per conſenſum, & ſymptomata potius. Febris autem ſola per ſe eſt toto in corpore e corde, etiam cum & ipſa accidens, vel ſymptoma eſt inflammatarum partium. Inſuper febris non hoc tantum nomine communis morbus dicitur, quod vniuerſum corpus occupat, ad differentiam aliarum ægritudinum, quæ vnam, vel alteram, aut plures quoque non tamen omnes obſident partes, ſed eo etiam, quod licet alij morbi omnes in omnibus oriri poſſint temporibus, ac regionibus, quidam tamen ex illis ſunt vni potius, quam alteri tempori, regioni, aut Ciuitati proprij, ſeu in illis per quam frequentes, idque vel ob aerem, vel ob aquam, vel ob cibos, qui propterea Endemij vocantur, hoc eſt, patrij, & inquilini, qualis in Aegypto Elephas, in Achaia lippitudo, Athenis Podagra, & Arthritis de ſententia Lucretij 6. de Natura, & qualis apud Romanos olim Aemithritæus, nunc verò magis Catarrhus, & quod capiplenium non inuenuſte appellabat Alexander Petronius de Vict. Roman. lib. 4. Sic in ea Allobrogum parte, quæ Vallis lucida dicitur, cum Bronchocele, ſeu Gutturoſi homines naſcuntur, & in Apulia Auriginoſi ferè omnes, ſic tandem in Luſitania quibuſdam in partibus vernacula eſt Phthyſis; & in quibuſdam Hiſpaniæ locis Struma; de quibus quidem endemijs morbis verba ſiunt ab Hippoc. in libro de aere, aquis, & Locis, vt notauit etiam Gal. comm. 9. libro primo, de rat. vict. in acut. Verum febris, de qua in poſterum, Deo aſpirante, agetur, nulli parcens tempori, regioni, ſexui, ætati, ac temperaturæ vbique ſuas exerit vires, omneſque indiſcriminatim arripit, moleſtat, occidit, morbus vbique locorum frequentiſſimus, communiſſimus, omniumque ſæuiſſimus, contra quem quotidie ferme dimicandum ab omnibus eſt, ſeu calidam, ſeu frigidam incolant plagam. Roma, olim ſaltem, ſi quæ alia mundi Ciuitas febribus obnoxia fuiſſe perhibetur, maximè verò putridis, vel teſtimonio B. P. Damiani Rauennatis quingentis, & ſeptuaginta

A B C D

ab

A abhinc circiter annis, dum Romam ipſam febrium feracem nuncupat, addens, & illud lib. de Abdic. Epiſc.

Romanæ febres ſtabili ſunt iure fideles,
Quem ſemel inuadunt vix a viuente recedunt.

Credo quia ſub hoc Romano Cęlo cum caliditate vnà plurimum viget humiditas, iuges fiunt a capite deſtillationes, a quibus contumaces in venis obſtructiones gignuntur, & fouentur, & quia demum alimenta quæuis humidioris ſoli culpa vndequaque vuida, & valde excrementitia oriuntur. Ex his enim conſtamus omnes, ex quibus nutrimur; vnde corpora hic obęſa potius, & pinguia, ſunt, quàm ſicca, & gracilia. Ad putridas verò febres diſpoſita in primis eſſe corpora calida humida docuit ſæpè Gal. cum alibi, tum 8. meth. cap. 7. Et huc etiam
B reſpexit Ariſt. cum dixit 2. de Par. anim. 5. obęſos, & pingues citius interire, quã alios. Quare & Gal. Regionem Romanam, quæ eſt calida, & humida Hemitritæo obnoxiam eſſe ſcripſit de tot. morbi temp. cap. 8. Quod intelligentes Ethnici illi Romani nulli alteri morbo præter quam febri templum erexerunt. Et meritò quidem febrem cęteris morbis magis pernicioſam eſſe omnes iudicant, quoniam, alijs omiſſis, viſcus, & membrum reliquorum omnium ad vitam maximè neceſſarium præcipuè oppugnat, cor ſcilicet ipſum, quod vnum diu vitijs non maceratur, nec vitę ſupplicia trahit grauiora, & ſemel læſum mortem affert pręſentaneam. Nunquam enim, & ſi aliqua pars noſtri corporis etiam princeps ingenti extraneo calore afficitur, in ea vigens affectus febris dicitur, niſi cum ille met calor cordi impertitus eſt, & in eo accenſus, vt nos clarè docet Galenus 1.
C de Diff. febr. 1. 2. ad Glauc. & 2. de Fract. 22. & poſt eũ Auicenna Fen. 1. 4. Can. in hoc perperam à Fernelio lib. 4. de Febrib. c. 1. damnatus, quia ſcilicet veriſſimum eſt, quod ait Auic. ipſe, febrem eſſe calorem extraneum accẽſum in corde; minimè negans quin aliunde, quàm ex corde oriri interdum febris poſſit, vt eſt videre in febribus ſymptomaticis, quales ex inguinum tumore apud Hippoc. 4. Aphor. 55. quales hecticæ quædam apud Gal. 10. Meth. 8. a iecinore, & ventriculo, & qualis demum apud ipſum Auicennam Ephemera ex dolore capitis, aurium, dentium, & oculorum. Nec enim antea febres illæ dicuntur, quàm cor extraneam, ac peregrinam caliditatem exceperit, nec Auic. verba ſunt de calore vel primum, vel non primum in corde accenſo, ſed hoc ſimpliciter ſonant, quòd febris eſt calor accenſus in corde, id quod etiam perbelle ſignificauit Hipp. 4.
D acut. 39 dicens calorem febricitantiũ ſemper accendi in thorace, hoc eſt, in corde, a quo poſt modum Gal. auctore 1. Acut. 18. per arterias in vniuerſum corpus diſtribuitur, quo modo & natiuus, qui per eaſdem velut per tubos in totum corpus deuehitur; Cordis autem dignitas, nedum neceſſitas quanta ſit, notius eſt, quàm vt hic longius demonſtrari debeat; illud vnum quidem attigiſſe extra rem noſtram minime erit, cor, quod vt primordia calidi natiui continet, fouetque, ita febris, quæ eiuſdem caloris eſt ad igneam naturam conuerſio, ſubiectum eſſe meritò prædicatur, fontem ipſius caloris, & viuifici nectaris in ſe habere, ſeu artificioſum illum Zenonis ignem, illumque cęleſtem

calorem,quem Veteres, Platone in Protagora referente, finxerunt Prometheũ A
è Cęlo furatum, vt hominem vita donaret. A Cęlo enim huius caloris videtur
eſſe origo, atque principium, qui per omnia diſſeminatus eſt, & ſingulis vitam
præſtat. In corde denique qui viget caloreum Hipp. in lib. de Princ. immorta-
lem eſſe, omnia intelligere, omnia videre, ſcire præſentia, atque futura dicebat.
Quapropter longe hinc abeat Auer. qui cor pér ſe, & ex ſua natura frigidum
eſſe contendit, quod ex eo probare nititur, quia maiore ſui portione frigidis cõ-
flatum ſit particulis, nempe fibris immumeris, vaſis quatuor magnis, vena ſcili-
cet caua, arteria magna, vena arterioſa, & arteria venoſa, quæ partes ſpermaticæ
ſunt, exangues, ac frigidæ; & ſi calidum ſit, tale eſſe tantummodo ex accidenti ob
copiam ſanguinis arterioſi, & ſpirituum vitalium, qui in eo ſunt, & ob perennem
eiuſdem motum. Quam Auerrois opinionem ſunt qui ſe poſſe tueri arbitrantur B
propterea quia ad cordis baſim copioſiſſimus inuenitur adeps, cuius efficiens
cauſa etiam per Galenum frigiditas eſt. Reijciatur dico in hoc Auerrois ſenten-
tia, quia cor propriè, & ſuapte natura non modò calidum eſt, ſed calidiſſimum
omnium membrorũ, teſtimonio Hipp. & Galeni, loco nuper citato. 1. de temp.
vlt. & 2. eiuſdem oper.; ne ſileam quod idem Galenus Ibidem, & 1. etiam de
ſem. ac de Fęt. format. aſſerit, ſi in recẽs diſſecti cordis ventriculos digitum quis
immittat, tam ingentem in eo ſentire calorem, vt quaſi vrere videatur. Neceſſe
etenim fuit ad calorem ſeruandum, reficiendumque ne breuiſſimo tempore vi-
ta extingueretur, locum eſſe aliquem in animali, ceu caminum, aut focum, qui
naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineret, eundemque locum ſimili-
ter tutum eſſe, quaſi arcem corporis vniuerſi; quem quidem cor eſſe apertè tra- C
dunt Ariſt. 3. de Par. anim. c. 7. & Galenus, de Fętus form. c. 3. Vbi dicit etiam ex
corde animantia maiorem ſortiri calorem, vti domus ex igne accenſo, vt ob id
temere credatur membrum, in quo veluti lares, focumque adeſſe oportuit, quo
natiuus ſingularum partium calor conſeruaretur, & fugax cuiuſque particulæ
viuacitas eius in fluxu recrearetur, ſuapte natura frigidum fuiſſe conſtitutum, cũ
id penitus reclamet logico axiomati; *Propter quod vnumquodque tale, & illud ma-
gis*. Ad Auerroem verò dicatis fibras, & quatuor illa cordis vaſa inſignia haud
quaquam ſubſtantiam cordis cõplere, quia caro præcipua eſt cordis ipſius pars,
per quam viſcus carnoſum ab Ariſt. & Galeno vocatur. Quæ quidem caro cali-
diſſima eſt, vt potè genita ex feruentiſſimo ſanguine vi caloris denſato, vt nos
pariter docuit Hipp. loco præadducto. Adipis autem generatio non in ſinubus, D
nec circa cordis carnem celebratur, ſed ſolum circa membranas, ne vtiquam ca-
liditas; ne dicã quòd generationis eius finalis cauſa reliquas cauſas omnes euin-
cit; ne videlicet feruidiſſimum viſcus aſſiduo torreretur ardore. Quotieſcunque
igitur in corde caloris, ac vitæ fonte calor ipſe naturalis optimè diſpoſitus eſt,
nec limites a natura præfixos tranſgreditur, rectè quoque cum animante
agitur, at ſi vitietur, protinus corpus eius corrumpatur oportet, cum
vita, ſi Philoſopho creditur in Par. Natur. nihil ſit aliud, niſi permanſio
animæ in calore naturali, cuius ſedem, & arcem cor eſſe non medici ſo-

A lum, ſed etiam Philoſophi vnanimiter aſſerunt. Cumq; varij ſint modi corru-
ptionis natiui ipſius caloris frequentiſſimus tamẽ omnium, & communiſsimus
eſt ille, qui a febrili calore dependet, de quo intelligi voluit Hip. 5. epid. illis in
verbis. *Hominis anima perpetuo ad mortem vſque producitur, quæ ſi vna cum morbo
incenſa fuerit, corpus depaſcit*. Hic etenim per animam natiuum innuit calorem,
ad quem ipſe tanquam ad cauſam ſine qua non corporis refert functiones, vel
quia inſequitur hac in re. Democritum, a quo ſapientiorem ſe factum eſſe teſta-
tur, qui epiſt. ad Damag. animam putauit eſſe ipſum calidum, vt patet ex Ariſt.
1. De An. t. 20. Hic idem calor, vt Gal. notat in comm. citati lib. epidem. ſi igne
excanduerit, tum corrumpit, tum contabefacit. Tradebat quin etiã Hip. in lib.
de Flat. omnibus propemodũ morbis febrem copulari & Gal. 2. aph. 19. acutos
B fermè omnes, præter paucos quoſdã, aut febres eſſe, aut, cũ acuta febre coniunctos
adinueniri; imò non deſunt, qui neminem vnquam poſſe mori ſine febre, etiã ſi
ſtrãguletur, etiam ſi trucidetur, qua tamen de re infra meam audietis ſententiã.
Interim vero deniq; ſcitote febrium enarrationẽ quarũcunq; morborũ tracta-
tione præſtantiorem poſſe dici, præ ſui certitudine, quoniam febrilis morbus ſen
ſu tactus indice clariſſime dignoſcitur. Calor n. & frigus per ſenſum ipſius ta-
ctus maxime cognoſcuntur, cum ſint è qualitatibus, quæ tractantur, vt conſtat
ex Ariſt. 2. de Ani. & Gal. 2. de Temp. 2. & ſenſu ipſo. Siquidem iudicat tactus
ignem eſſe calidum, niuem verò frigidam. Quæ cum ita ſe habeant, nauiter agẽ
dum eſt a me, vt rem adeo præſtantem ac neceſſariam omnes, qui medicã diſci-
plinam callere, nec non profiteri voluerint, exactè dilucidatam habeant, in ſinitis
C propè in ea controuerſijs, & quæſtionibus ſedatis ac perſolutis, vt quod arduũ,
& ſalebroſum hoc in itinere nobis primum ſe ſe offert, planum deniq; & omni-
no peruium euadat, idque imprimis iuxta placita, & mentem Galeni, & aliorũ
tum Græcorum, tum Arabum, a quorum doctrina, methodoque qui diſcedunt,
recentiorum quorundam noua dogmata, nouaque paradoxa inſequentes, tan-
quam Nouatores, & in arte Hæretici è meliori ſchola diſpungendi ſunt. Vnde
non poſſum non loqui de nonnullis noſtri ſæculi Attalis, amethodiſq; qui Ty-
ronibus aera lupinis diſtinguere neſcientibus quã multa imponere non veren-
tur, & inter alia, Galeni opera, & commentaria non eſſe euoluenda, imo ne deli-
banda quidẽ, cum ſat ſit omnibus Hipp. libros legere, ita ſe vulgo iactantes Hip-
pocraticos. Proh. hæreſim in cimmerias vmbras ablegandam, quaſi qui Galeni-
D ci ſunt, ijdem non ſin Hippocratici, quique vere Hippocratici, non ſimiliter Ga
lenici. In eo tamen laude dignos eos eſſe exiſtimo, quod Hippocratem de Eſcu
lapij ſtirpe. vt Plato in Protagora inquit venerantur, Medicorum ſanè omniũ,
quotquot fuerunt, ſunt, & erunt, Principem, & Anteſignanum, vel ægre fero
te Aſclepiade, qui eius dãnauit principia, atq; Democriti indiuidua corpuſcu-
la inuexit; ſed in hoc laudare minimè poſſum, quod autumant ſapientiſſime ſe-
nis arcana melius ſe poſſe aperire Galeno ipſo, Græcarum litterarum, omnium-
que diſciplinarum peritiſſimo. Neſcio equidem vnde illud ſemen ortũ; fortaſſe
ex illis, contra quos tamdiu, tamque acriter ſub hoc cælo Galen. pugnauit. Hoc

vnum

vnum deleo, quod multi incauti adoleſcentes circa principia, & in ipſomet medicinæ limine decepti, tandem ætate prouectiores experientur eſſe verum quod cecinit ille Vates. A

Quo ſemel imbuta recens ſeruabit odorem.
Teſta diu.

Aſſimilari quodammodo hi poſſe videntur Paracelſicis noſtrorum temporum, qui, vt Eraſtus ait de Auro pocul. *Gal. ex alto tam ſuperbe, & impudenter deſpiciunt.* An non vident quod cum Gal. improbant, ab eadem iniuria non excludũt tot alios Græcos verè medicinæ ſcriptores pereximios, paſsimq; per Gymnaſia quæq; decantatos, & enarratos Paulum, dico, Aetium, Trallianum, Actuarium, & Oribaſium, qui omnes Gal. ſucceſſerunt, quorumq; monimenta nil aliud cõtinent, quam ipſiſsimam, vt ita loquar, Gal. methodum, atq; doctrinam, ſi tãtũmodo vberrimam illius in dicendo eloquentiam, ac prolixitatẽ Aſiaticis omnibus congenitam in pauciora verba, & ſermonem magis preſſum ab illis redactã excipiatis? B Quid quod Arabes quoq; hi damnãt, Gal. reſpuentes? Nam ſi omnes Arabicæ medicinæ auctores percurrimus, & ipſum præſertim Auic. qui primas in illa tenet, quis non clarè videt vbiq; adductam Gal. doct. & Gal. teſtimonium haberi inſtar omnium illis in voluminibus? Non ne aliquando Auic. in primi doctr. 3. cap. 3. vocat ſe Gal. interpretem? Quod ſi obijciant Gal. placita, & opiniones non ſemel, & a quibuſdam è Græcis, & a multis etiã ex Arabibus, præcipue ab Auerroe impugnari, nec non in Gal. operibus multas reperiri cõtradictiones, reſpondeatur non defuiſſe olim, & adhuc hodie nõ deeſſe, qui a cũuicijs, & cauillationibus Gal. facillimè liberant, nec hilum quidẽ faciunt Auerrois, & conſimilium argumenta, & quo ad contradictiones, quæ tamen & ipſe a C doctiſsimis, & ingenioſiſsimis viris Cõciliatore, Valleſio, Rondelio, & alijs è medio tolluntur, germano Gal. ſenſu adaperto, nemo non nouit etiam in Hipp. & aliorum in arte præſtantiſſimorum hominum, qui in ſcribendo valde breuiores Gal. fuere, commentaria irrepſiſſe. Deinceps notum ſit Galenicæ famæ, & gloriæ, vbique locorum à tot luſtris celebratæ detractoribus, *ſupra hominis captũ, ſupra humanam conditionem eſſe non errare*, vt idem Gal. ait 3. Progn. 41. qui & 2. Catat. de Archigene loquens auream hanc ſcriptis mandauit ſententiam. *Difficile eſt, vt, qui homo ſit, non in multis peccet, quædã vel penitus ignorando, vel malè iudicando, vel negligentius ſcriptis tradendo.* Non. n. diuinum, non angelicum nacti ſumus intellectum, ſed humanum: at hominum quid quid eſt, opinantur, vacillant, errant, quippe qui, vt Thucyd. lib. 3. ait, *nati peccare & labi ſunt.* Vnde apud D nos maxima pars eorũ quæ ſcimus, minima eſt eorum quæ ignoramus, nulliq; mirum videatur, ſi, vt Quintilianus affirmat, *non omnia etiam bonorũ auctorũ ſcripta vndiq; perfecta ſunt, quia labuntur, & ipſi interdum, & oneri cedunt.* Conferãt ſe tamen hi quæſo ad primaria Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ Gymnaſia, aut legant ſaltem medica volumina, quæ inde quotidie in lucem edũtur a cœleberrimis artis noſtræ, profeſſoribus, & quanto in errore verſentur per ſe facile cognoſcẽt. O quam laudabilius ſe gererent, atque prudentius, ſi in Gal. lectitando, & eius

fortaſſe

A fortaſſe ſenſu non intelligendo, ipſum non damnarent, aut abijcerent, ſed quod olim Socrates apud Laertiũ cum obſcurum Heracliti librum legiſſet, ipſi etiã diceret: *Quæ intellexi proba ſunt, credo, & quæ non intellexi.* Is etenim Gal. fuit, qui rationalem vocatam medicinam cuius prima tãtum Hip. iecit fundamenta, numeris omnibus abſolutam poſteritati reliquit. Vnde Leonardus Iacchinus ſuperioris æui medicus omni laude cõmendandus ita de Gal. ſcribit in 9. Rhalis c. 1. *Huic diſciplinæ poſt multos celebres viros Gal. ſummam manũ impoſuit; atque ita effecit, vt poſteris omnem gloriæ anſam adimeret, priores vero luce ſua obſcuriores reddidit, vt de eo facile dici poſſit, quod de Epicuro Lucretius.*

Omnes reſtinxit ſtellas exortus vti æthereus ſol.

Neminem denique puto eſſe inter medicos, qui ignoret, quantum ſuis in monu-
B mentis nitantur detrahere famæ, ac doctrinæ Galeni ex antiquioribus medicis, Trallianus, è Neotericis Cardanus, & Argenterius, viri omnes eminentiſſimi, quorum tamen primus lib. 9. c. 4. citans Gal. lib. de occultis rerũ proprietatibus, qui a nobis hodie deſideratur, & de quo fit aliquãdo mentio ab eodem Gal. lib. 6. & 11. ſimpl. ad hunc modum loquitur. *Iuſtum eſt omnibus modis morborum depulſionẽ tentare, nam diuiniſſimus Gal. qui iunior ne eſſe quidem incantationes crediderat, experientia, & rerũ uſu doctior tandem magnas eis ineſſe vires deprehendit.* Secũdus vero ſic de eodem ſcribit. *Gal. virtutes præcipue ſunt quinque eloquentia, multarum rerum peritia, & ſtudium, methodus pulcra, veritatis præcipuus amor, & iudicium in medendi arte ſingulare.* Quid in homine plura? Ideo & Tertius velit, nolit coactus eſt fateri, nos plus debere Gale. quàm reliquis omnibus, qui de re medica,
C conſcripſerunt. An ergo vis, dicet veſtrũ aliquis iurare nos in verba Gal. perpetuo, & ſemper, nequaquam; cum præſertim ſcribat idem Gal. 3. de facul. nat. cap. 10. priſcorum vel maximi nominis auctoritatem nec contemnẽdam, nec ſine ratione temere nobis ſuſcipiendam eſſe, ne præiudicata opinione ſemel perſuaſi vna cũ illis aberremus. *Iis enim qui diſcere volunt*, inquit Cicero lib. 1. de Nat. Deor. *obeſt plerunque eorum auctoritas, qui ſe docere profitentur, quia deſinũt ſuum iudicium adhibere, & id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident.* Nam ſi nobis non modo ratione conijcere, ſed & ſenſibus experiri contingat, aliter rem ſe habere, quam ab antiquioribus traditum ſit, num potior adhuc eſſe debet illorũ ſententia? Profectò in hoc ſequendum erit Gal. ipſius mox allatum conſilium. Parum tamen tutam ſcitote eſſe viuam illam, quæ nos a tramite iã a tot retro ſe-
D culis facto deuiat. Sed his omiſſis vna cum Pſeudo Hippocraticis, quia ille verè Hippocraticus eſt, quem ipſe met Hipp. in lib. de Med. ita deſcibit; ἰατρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος. cum Valleſio tandem, & Chriſtophoro a Vega ſermonem hunc concludam. *Eſt nobis*, Valleſius ait in Præfat. ad controuer. ab initio *Hippocrates unus inſtar mille auctorum, & vnus Gal. pro innumeris explanatoribus. Nulla enim eſt artis medicæ pars, quam ille non inuenerit, neque quam hic ad ſummum non excoluerit.* Et alter, poſtquam de Hipp. dixit, quod ſectam inuenit rationalem, medicinam ſcilicet ratione, & obſeruatione conſtare docens, enumeratis omnibus, qui Hipp. ſectatores fuerunt, poſtremo dixit in Progm. ſui oper. ad extremum. *Galenus uerò,*

quæ

quæ ipſe reliquit obſcura ſermonis breuitate, amplificauit, dilatauit, expoſuit atque ad A
perfectionem duxit. Quæ cum ita ſe habeant, quinam obſecro veſtrum, iuuenes amatiſſimi erit in medicina proficere, & in magnum euadere medicum deſiderans, qui hoc præſertim anno, quo de tam præſtanti, & neceſſaria nedum vtili febrium materia iuxta Galeni in primis dogmata, & cęterorum deinceps tam Græcorum, quam Arabum doctrinam diffuſiſſime agetur, huc frequenter, & quotidie abſque vllo prorſus clamore, & ſtrepitu non adeat. Oleum etenim, vt eſt in prouerbio, & operam perdent illi, qui, vt ait Philo Iudæus in lib. Quis diuin rer. ſit hæreſ. *aures tantum, non etiam mentem afferunt in auditorium.* Et hæc ad iuuenes, & adoleſcentes nunc primum medicinæ initiatos habenda eſſe operæ pretium duxi. Verum quod ad Viros in arte præſtantes, ſeu medicos, & alios quoque doctiſſimos, quorum video honeſtiſſimam hic adeſſe coronam? Imò B
etiam quid ad Dominos meos Illuſtriſſimos, quos optimè noui in quolibet diſciplinarum genere admodum excellere, & cunctarum ſcientiarum vocatam Encyclopediam abſoluiſſe? Decreueram ſane coram ipſis proponere, ſimulque diſcutere medicam diſquiſitionem perpulcram, & quæ paſſim per hominum ora vagatur. *Virum mori poſſit homo ſine febre*; ſed quia res eſt magni momenti, & multis inuoluta difficultatibus, vnde in longũ nimis mea hodie protraheretur oratio, ideo ne ſim vobis tædio, atq; moleſtiæ, in ſubſequẽtes dies rem hanc differre conſtitui. Quinimò, ne tantorum virorum humanitate abuti velle videar, cum præſertim haud me fugiat vnumquemque varijs, & multum ſerijs negotijs diſtineri, decreui, ne huc iterum moleſtè accedant, diſquiſitionem ipſam typis mandare, & ſingulis meis Dominis domum mittere, vt, ſi non auribus, ſaltem C
oculis, & mente quietiori, ſucciſiuis ac pomeridianis horis, eam qualiſcunque ſit, degustare valeant. Interim quantas poſſum gratias Vobis omnibus ago, & a Deo Trino animæ, corporiſque ſalutem precor. Dixi. die v. Nou. 1620.

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc opere continentur.

A

ABdominis aqua cur in curatione hydropis prius educenda 66.c.
Abdominis hydrops vix generatur citra frigidiorem iecoris intemperiem 58.c
Abimelech, vrbe Sychemorum deleta, terram ſale inſperſit 257.b
Abortus quid ſit 167.b
An ſit præter naturam 167.b 169.b
Abortus cur apud Iuriſperitos non præſumatur 107.b
Non id vndequaque verum eſt 169.c
Abortus acceptio quotuplex 167.c
Quomodo fiat 437.d
Quarum facultatum vitio enaſcatur 167.c 168.c
Abortum ingentes dolores, aliquando mors ipſa ſequuntur 168.b
Abortus cur periculoſior & difficilior partu 168.c
Abortus cauſa 169.a 171.d
Abortum an poſſit inducere labor texendi 169.a
Abortum cur præcipuè menſe octauo patiantur mulieres 171.a
Abortus an ſit frequentiſſimus 169.b
Exemplis probatur 169.c
Abſceſſus an fiant in corde. 342.b
Abſenti ægro difficulter conſilium datur 70.a 78.b
Abſtergentia, & eorum vſus 289.a
Abſynthitis vini vſus 132.c
Academici notati à Tertulliano, & cur 16.b
Accidentia quid ad eſſentiæ cognitionem conferant 144.c 155.b 230.b
Accidentium ſimilitudo verſatiſſimis in arte per ſæpe imponit 230.d
Aceti vires 278.c 312.a 314.b
Acetum quibus naturis noceat 259.c 277.c 312.a
Quibus partibus 277.d 278.c 312.a
Qua facultate gemmas, & alios lapides ſoluit 278.d
Cur vtero & ventriculo inſenſum 312.b
Acetum acerrimum an calorificam vim habeat 251.c
An ſit valde adſtrictorium 314.b
An pectori noceat 312.c 313.c
Quibus affectib. vel ſolum, vel mixtum proſit 313.a
Acre omne in ardente febre fugiendum 255.b
An naturæ inimicum 272.d 273.d
Acrimonia vnde fiat 253.a
Acrimonia fœminis quid conferat 74.d vnde oriatur ibidem.
Ακροχορδὼν 390.c
An ſit doloris expers 392.d 393.d
Qua arte extirpetur 395.c
Varij modi extirpandi 395.c
Actio coitus læſa vnde oriatur 74.a
Actiones, quæ certo tempore præfiniuntur, vnde proueniant 238.b
Acuti morbi an à biliosis humoribus fiant 338.c
Acuti morbi qui minus periculoſi 156.d
Acutos morbos ſemper comitatur febris 338.c
Acutorum morborum cur ſint incertæ pronunciationes 148 b
In *Acutis febribus vinum vtrùm dandum 345.d*
Acutis morbis qui minùs obnoxij 223.c
In Acutis morbis, ſi materia turget, medicamento purgante eadem die vtēdum 350.a
In Acutis morbis, concoctio ſi neceſſaria ſit, quibus facienda 354.a
Adami poma 110.b
Adipis generatio vbi, & cur circa cor fiat 438.d
Admiratio quid ſit 191.a
Adnaſcētia vocata fungi in vulneribus quomodo fiant 158.b
Adonij horti 398.c
Adrianus Imp. Medicinæ cultor 90.c
Adſtrictio quomodo iuuet penetrationē 313.d
An ſit intenſa in aceto 314.b

Adſtringentia,& eorum vſus 178.b 253.b 254.d
Aegro, quantum fieri poteſt, gratificandum 21.d
Aegro abſenti parum rectè conſulitur 78.b
Aegrotis in quo gratificandum 115.c 160.a 363.a
Aegrotorum confidentia quid curationi conferat 268.d
Quomodo culpa medici moriantur 294.b
Ἀειπάθεια *quid ſit 51.b*
Aer cur tantopere fiat in morbos præſertim capitis 428.d
Aeris ambiētis effectus & proprietates 415.d
Aeris exceſſus quomodo corrigendus 385.d
Aeris quanta debeat eſſe cura in morbis cerebri & pulmonum 99.d 385.d 415.d 416.b 428.d
Sine Aere nec ſanitas retineri, nec tolli morbus poteſt 385.c 415.d
Aer peſſimus quis ſit 417.a
Aeris mutatio cur phthoe correptis ſalutaris 416.a
Aer inſpiratus quib. præſertim partibus vim ſuam imprimat 416.b
Aeris temperies quomodo à Galeno diuidatur 417.b
Aer intemperatis naturis qualis conueniat 417.c
Qualis obnoxijs defluxionibus ex capitis intemperie calida & ſicca 418.d
Aeris moderatè calidi commoda 419.a
Aer Romanus intemperatus 99.d
Rheumaticus 416.d
Cur graciles obeſos reddit 417.c
Aeris Romani temperatura 417.c
Aegyptum petabant phthiſici tempore Celſi pro aere mutando 99.d 162.a 410.a
Aeſtate ſumma amittendus ſanguis,& quantum 177.c
Aeſtib. Canicularib. medicationes corpora difficulter ferunt 177.b 302.b
Et cur 302.d 303.a
Aetatum mutatio an temperamentum corrumpat 79.d
Aetatum ſunt proprij morbi 79.d
Aethiopes febricitantes cur magna ex parte intereant 339.d
Aetius quale vinum exhibebat pituitoſa arthritidi 24.d
Aetij tinea, ſeu latus vermis 201.c
Aceti remediū pro morbis pulmonarijs 101.a
Affectio inueterata alio modo tractanda, quā recens 176.b
Affectus cuiuslibet cognitio ſymptomatum ſyndrome adinuenitur 26.b
Affectuum cognitio quomodo ſit dubia & coniecturalis 26.c
Agens, vt agat, tria requirit 11.c
Agrimoniæ vſus in febribus malignis 254.d
Agrippina conſcijs medicis ad ſcelera vtebatur 315.b
Alati cur qū maximè obnoxij phthiſi 402.b
Albus color cum rubicundo mixtus quod temperamentum indicet 126.d
Alexander Trallianus explicatus & conciliatus circa pepones 111.d
Improbatus circa vim ſeminis anguriæ 112.a
Alexander Magnus Medicinæ cultor 90.c
Alexandriam cur olim miſſi phthiſici 162.a
Alimēta euchyma,& eorū cōmoditates 222.c
Alimenta bilioſa quæ nam ſint 345.b
Alimenta minus nutrientia, & eorum vitia 222.c
Alimenta inſulſa an offerenda agris 260.a
Alimenti penuria,& redundantia quib. fugienda 345.b
Alimenti qualitas quantum valeat patet in arboribus 382.a
Alimenti potentia melior, quàm moles 222.d
Alimentum ſequitur id quod foris ſecus eſt 400.c
Alimentum à quacunque particula in conſimilem illius naturam permutatur 64.d
Alimentorum maior copia coctionem deprauat 65.a
Aloe quibus fugienda 225.d
Alopecia vnde contingat 70.c quid differat ab ophiaſi. ibid.
Alterantia quando præmittenda 348.d
Alterantibus bilioſorum humorum an admiſcenda ex melle & ſaccharo cōfecta 354.d
Alterantia pro catarrho 141.d
Pro dolore coxendico 244.d
Alteratio non niſi tēporis ſucceſſione fit 241.b
Alteratio humorum eſt aliquo modo concoctio 351.d
Alteratio humorum bilioſorum in tertianis quibus perficienda 354.b
Alterationis in tempore factæ effectus etiam ictu oculi erumpere poſſunt 62.d
Altimarij opinio probatur magis Auteri, quā

Valle-

Vallesij circa differentias hydropis 47.a
Altomarius an rectè tabis ſpeciem cachexiam fecerit 400.b
Aluminoſa aqua an ad menſes proliciendos vtiles ſint 288.c
Aluus in qua ætate ſit laxior, in qua ſegnior 225.b
Aluus lubrica an pleuriticis cõueniat 413.c
Aluum ſubducentia 226.a
Per Aluum euacuatio quibus affectibus conducat 286.c
Aluum adſtrictam habentes cur copioſe mingant 287.c
Cur purgationem difficulter ferant 301.d
Aluum præcalidam & aridam habentes ijs & veſicam talem eſſe oportet 328.b
Qui morbi per Aluum terminentur 412.a
Alui adſtrictio quid ſit 222.b
Inter quæ ſymptomata reponatur 222.d
Vnde fiat 222.d 224
Cur literarum ſtudioſi Alui ſtypticitate laborent 223.c
Alui libera & ſegnis commoda & vitia 99.b 223.c 245.c 269.c
An frigida intemperies interna Aluum adſtringat 224.b
Alui profluuium an pleuriticis & peripneumonicis bonum 421.c
Alui purgationis deorſum vtilitates 152.c
Aluum lubricantia 119.b 226.b
Amara omnia vermes enecant 192.b 202.b
An naturæ aduerſa 272.d 273.d
Amarum quam affinitatem habeat cum ſalſo 253.b
Et in quo differat 253.b
Magis elucet in aridis, quàm in liquidis 253.c
Amarorum vires 274.a
Ambroſius Pareus improbatus circa contumaciam vulnerũ in locis maritimis 161.a
Amor cur indicium impediat 294.b
Amuleta an valeant in Epilepſia 268.d
Anacardina confectionis vſus 267.a
Anatomicarum diſſectionum rara quædam & prodigioſa 30.d 31 32
Anaſarca & aſcites quomodo differant ſecundum Altimarum 46.d
Anatomici quæ cadauera pro diſſectione maximè quærant 57.a
Anaxagoras fel morborum acutorum cauſam faciebat 338.c
Quam bilem intelligebat 338.c
Angelica vſus in febribus malignis 254.d
Anguria an ſint Galeni pepones 111.b
Earum caro cur hodie comedatur 111.c
Dullatia Arabica lingua vocantur 111.c
Circa anguriam deceptus fuit Serapio, vt circa alia multa 111.d
Choleram quomodo gignant 112.a
Trallianus deceptus circa ſeminis anguriæ vim 112.a
Anguria noſtra idem quod pepo 111. 112.
Aqua Anguriæ ad quid bona 365.a
Anhelatio morboſa quarum partium vitium ſit 91.c
Cur tã crebra & dẽſa inſit aſthmaticis 93.c
Anhelitus difficultas quotuplex ſit apud Medicos 92.b
Anima quid ſit ex Varrone 416.b
Anima quo ſpiritu prædita ad ſpeculandum promptior euadat 94.a
Anima caduta 311.d
Animal an interire poſſit citra febrem 50.d
Animal nutritur è quibus conſtat 202.d
Animalia orta ex putredine à quo calore generentur 203.b
Animalium etiam viliorum conſideratio digniſſima eſt 190.a
Animal vnumquodque ſecundum parentes naſcitur 382
Animalcula genita in vtero 31.c
Ani procidentia puerulis familiaris 224.d
Vnde fiat 225.a
Quomodo curanda 225.b
Quæ medicamenta fugienda 225.c
Animi elatio & magnitudo caliditatis index 126.d 127.a
Animi pathematũ noxa 235.c 264.d 344.b
Animus vereri qui ſcit, ſcit tutò aggredi 324.b
Animi pathemata in corpus redundant, & contrà 91.a
Annorum progreſſus an temperamentum corrumpat 79.d
Anodina, & eorum vſus 298.a
Qualia purgãtibus admiſceri debeãt 298.b
Anodina impropriè quando non vſurpanda 298.b
Antidota quæ ſint 272.b
Antidota 110.d
Antimonij vſus in verrucis exterendis 365.b
Antonianorum militum hiſtoria 252.d

Antonino Imp. ægrotanti Galenus gratificatus eſt 21.d
Aphronitri facultates 253. b
Apu uſus Plinij ætate 11.d Et noſtra ibid.
Ἀπνοια quid ſit 97.a
Ἀποδες an ſine pedibus ſint 97.a
Apophlegmatiſmi, & eorum uſus in Epilepſia 268.a
Apoplexiæ diſcrimen. & gradus unde deſumantur 262.b
Apoplexia cum Epilepſia in quo ſit, maxima eſt affinitas 262. b
Apoplexiam fortem ſoluere impoſſibile eſt, debilem verò non facile 262.c
In quo differat ab Epilepſia 262.c
Apoplexia nunquam ſoluitur citra paraplegiam 263. a
Spuma prodiens in Apoplexia quid indicet 263.b
Apoplexiam quomodo probet Gal. non fieri ab intemperie 423.b
Apozemata ex Paracelſo ſunt medicinæ hominum 268.d
Pro alteratione bilioſorum humorum ſeruientia 354.b 255.c
Appetentia cur excitetur maxima in quartanarijs poſt initium morbi 373.b
Appetitus prægnantium unde contingat 99.b
Appetitus promptus, tarda concoctio frigidioris ventriculi indices 128.c
Appetitum excitantia 119.b 258.c
Appetitus cuius maximè partis proprius ſit 156.c
Appetitus bonus quid indicet 156.d
Appetitum venereum ſtimulantia 76. a
Apuli qua materia utantur pro accendendo furno 322.c
Aqua friabilis quomodo intelligenda apud Ariſtot.
Aqua citrini coloris ex hydrope uterino eiecta an ex bile fiat 59.d unde id fiat ibid.
Aqua abdominis cur hydropē curaturo prius educenda 66.c
Aqua frigida ſitis à bile præſtantiſſimum remedium eſt 346.a
Aqua an & quomodo in bilem vertatur 346.c
Aqua copioſa calida, & affuſa quum febrem tollat 338.d
Aqua pluuia cuius facultatis ſit 176.d
Aqua maris an, & cur ignem minus reſtinguat, quam alia 252.d
Aqua marina uſus 313.a
Aqua an magis penetret quàm vinum 117. a
Aqua ſalſa cur minus frigida ſit potabili 253. a
Aquæ potio quibus naturis conueniat 132. c 345.d
Aqua Hiericontis qua virtute expurgata 260.a
Aquæ thermales contra arenulas ſalutares 130.d 330.c
Quænam ſuppreſſis menſib. conueniant 288.a
Ficoncellæ ad id, & ad conceptionem iuuat. 288. b
Aquæ minerales an in potu quotidiano utiles 289. a
Aqua hordei an conueniat in febre quotidiana 364.b
An magis mulſa 365.a
Aqua hordei quomodo in hoc caſu præparanda & corrigenda 365. b
Aqua frigida an concedenda in febrib. antequam coctionis nota appareant 360 & ſeq.
Aqua an bilioſis conueniat 345.a 346.a
Aqua per plumbeos canales ducta an dyſenteriam generet 354.c
Aqua frigidæ in acutis febribus noxa 364. c
Aquæ nomine apud Platonem pituita intelligitur 47.a
Apud Hippocratem etiam ibid. proportione reſpondet pituita aquæ 47. b
Aquæ antipodagricæ virtutes ſecundum Chymicos 28.a eius deſcriptio ſecundum Quercetanum 18. a
Aquæ chymicæ, calidiſſimæ pedib. admotæ viſcera inflammare non poſſunt, & cur 17. c
Aquæ Porrettanæ 75. d D. Bartholomæi ibid. Tetutianæ ibid.
Aquæ Thermales quæ ſint & quando utendæ 428. B.C.
Aquæ potus parit cruditatem 23.b
Aquæ diſtillatæ præparationi bilioſorum humorum utiles 354.c 364.d
Cur à pleriſque timentur 354. d
Quæ ſint tutiores 354.d
Aquæ potu viſcerũ caliditas infringitur 22.d
Aquæ potus cur improbetur 22. d & ſeqq.
Aquilonaris conſtitutio cui aduerſa, & contra 127.a
Indurat ventres 224.c
Aquoſus hydrops cur vocatus 44.b
Archigenes coſmetices ſtudioſus 315. a

Ardens

Ardens febris duplici ratione conſiderari poteſt 362.a
Ardentes febres quibus pracipuè contingant 339.b
An ex ſola bilis inflammatione fieri poſſint 340.b
Ardentium febrium ſymptomata 255.b
An in illis conueniat ſalis vſus 255.b
An vinum, & quando 259.d
An aqua frigida, & quando 360. & ſeqq.
Curandi indicationes 361.a
Ardentium febrium bili expurganda an conueniat ſerum lactis 363.d
Ardorem vrinæ refrigerantia 330.d
Arenulæ verum ſint ſignum calculi renum, an veſica 326.c 332.d
Arenularum efficiens 128.d
Materia 128.d 129.a
Arenularum diuerſus color vnde oriatur 206.b
Color materiam præmonſtrat 128.d
Alba pituitam, rubea bilem aut aſſatum ſanguinem 128.d
Argenterius improbatus circa veſicæ lithiaſim 129.c
Ariſtoteles quomodo intelligendus dum aquã friabilem dicit 48.b
Ariſtoteles improbatus, dum dicit cerebrum carere venis 155.c
Conciliatus circa cauſam materialem lumbricorum 201.a
Ariſtotelis nomine circumlata Problemata Theophraſti eſſe inſinuatur 117.b
Ariſtotelis reſponſum ſuo Medico 222.a
Tabidos & phthiſicos eoſdem facit 255.d
Ars omnis habet quid theoriticum, & quid practicum, velut quæuis diſciplina 434. C. D.
Arſenicum pro Aſthmaticis, Autori improbatum 101.a
Arſenici epoti ſymptomata 233.a
Arteriæ aſperæ ſitus, & meatus 95.c
Arteriam aſperam affici in aſthmate quomodo dignoſcatur 95.d
Arteriarum vehemens pulſatio cordis caliditatem arguit 127.a
Mollis humiditatem 127.a
Arteriæ emulgentes an ſint ductus per quas humor melancholicus à liene expurgatur 376.b
Per Arterias etiam pus pleuricorum, empyicorum, & peripneumonicorum euacuatur 376.b
Artes quomodo ſubeant adulationes 321.b
Arthritici abſtinere debent à medicamentis impensè calidis ſiccis, & tenuib. 21.c
Arthritis vnde generetur 81.b
An perpetuò illius materia ſit pituitoſa 81.c
Humores cuiuſuis generis vt poſſint eſſe cauſæ 81.d
Etiam melancholia & pituita in longinquis corporis ſedib. ibid.
Fontes materiæ generantis Arthritidẽ ibid.
Quibus ductib. Arthritidis materia delabitur 82.a
Arthritidis dolorum cauſæ 82.d
Cur magis ſub talis inſæuiant ibid.
Arthritidi pituitoſa quale vinũ Aetius exhibeat 24.d
Arthritidis & articularium dolorum remedia 138.b
Arti adſcribere errata profeſſorum iniquum eſt 42.c
Articulorum dolores per vices redeuntes quomodo tractandi 247.d
Articulorum dolores calculos & arenas quomodo generant 19.d
Articulorum dolores vnde oriantur 82.a
Articulos roborantia 87.a
Artis Medicæ prĩcipiũ natura corporis 126.c
Artus cur pauca carne donati 18.d & 19.a
Ἀσκαρίδες quid ſint 197.c 199.c
An in infantib. generentur 198.c
Cur Hippocrates eorum mentionem non fecit 198.c
Aſcaridum ſymptomata 199.b
An Celſus eos agnouerit 199.a
Aſcarides emiſſi è muliebri pudendo 204.c
Aſcite laborantes vrinas etiam biliosas egerunt 61.b
Aſcites vnde generetur ex Galeno 28.c
Aſcitis ſigna 27
Aſclepiadis dictum 396.c
Aſininum lac, aut eius ſerum cur Hippocrates in Cauſo celebrabat 363.b
Aſinini lactis qualitates 363.c
Quomodo præparetur 363.d
Eius vſus ex Autore 364.a
Aſparagus an extenuationem corporis moliatur 272.d

Aſthma quid ſit 92.d
Cuius generis ſymptomatum ſit 92.d
Aſthma quarum partium vitium ſit 91.c
Quomodo differat ab orthopnœa & dyſpnœa 92.b
Vix ab orthopnœa diſiungitur 92. c
Quæ ſymptomata habet coniuncta 92.c
Aſthma à tuberculo perpetuo habet orthopnœam coniunctam 92.c
Aſthma cuius generis morbus ſit 92.d
Aſthma grandinoſum magis obſeruatum à veterinarijs quàm à Medicis 93.b
An omne Aſthma ſit frigidum 93.d
Aſthmatis cauſa 95.b.c
Affecta ſedes 95.d
Quomodo dignoſcatur ibid. & 96.a
Cur malum ſit grauiſſimum 97.a & b
Aſthmati Seneca obnoxius fuit 97. b
Quo nomine à Græcis vocetur 97. b
Aſthmatis ſequa ſymptomata 97.b
Aſthma an ſit acutus morbus 97.b
Quando ſit incurabilis 97. c
Quomodo demulceri poſſit 97.c
Illius curandi ſcopi 97.c
Aſthma paroxyſmos habet 97.c
In aſthmate curando ante paroxyſmum quid moliendum 97. d
Aſthmati obnoxiorum regimen ſingulo quoque vere 97.d 98.a
Quæ vena tundenda 98.a
Quæ medicamenta in purgatione vſurpanda 98. b
Pulmonum cura 98. b
Aſthmatis eſſentia, & idea an in anhelatione denſa, aut crebra reſpiratione collocari debeat 409. b
Aſthma cur facilè in mulieribus excitetur 101.d
Cur maſticatoria aſthmati non conueniant 102.a
Cur item errhina 102.a
Quæ ſaltem vſurpanda ſint 102.a
An purgantia medicamenta competant 103.a
An & quando ſanguinis miſſio 103.b
Vnde mittendus 103.b
Ex Autore, cur ex communi 103.c
Ex quo latere 103.c
Quis cibus accommodatus 104.c
Quis potus 104. c
Aſthmatica tabes quænam ſit 403.b
Vnde fiat 403.b
Quomodo ſanata fuerit ab Autore 403.b
Aſthmatici cur aſthmaticos procreent 91.b
Aſthmaticorum ab ortu cuiuſmodi ſint cerebrum & pulmones 91. d
Ferè omnes euadunt orthopnici 92. c
Cur tam crebrò & densè ſpirant 93.b
Suſpirioſi & anhelatores cur dicti 93.c
Aſthmaticis an conueniat diureticorum vſus 96.d.410
Aſthmaticorum genæ cur rubore ſuffuſæ 94.c
Aſthmatici cur ſæpe ſine tuſſi in ipſa acceſſione 96. c
Cur vrinas craſſas & turbatas acceſſionis tempore egerunt 96. d
Aſthmaticis præſeruandis quid verno tempore moliendum 97.d
Quæ vena in illis tundenda 98. a
Medicamenta valentiora an vſurpanda in purgandis aſthmaticis 98.b
Aſthmaticorum victus ratio 98.c
Cruditas vitanda 98. c
Vini quantitas & qualitas tenenda 98. c. 99. a
Galenus in id explicatus 98.d. 99.a
Dulcia edulia an conueniant 99.b
Aluus vt eſſe debeat 99.b. 102.d
Vigilia extra modum fugiendæ 99.c
Aſthmaticis an conueniat oleũ vitrioli 314.a
Aer qualis eſſe debeat 100. a
Qualis noceat ibid.
Pituita quomodo prohibenda 100. b
Aſthmaticos iuuantes pilulæ 100.c
Conſerua cephalica 100.c
Remedia pro aſthmaticis Autori improbata 100.d
Tabachi ſuffumigium probatum 100.d
Remedium Aetij 101.a
Lotio calida pedum 101. b
Cauterium in ſiniſtro brachio 101.b
Seſſio cur conueniat 102.c
Cur pectus nudum 102.c
Qualis locus iuuet aſthmaticos 102.d
Linimentum pro thorace 102.d
Emplaſtrum 102.d
Eclegmatum frequens vſus cur vſurpandus 103.d
Siccantia multum quando vtilia aſthmaticis 104. a
Aſthmatici an ſemper habeant denſam & crebram

crebram reſpirationem 409. c
Cur expirationem inſpiratione faciliorem experiantur 410. a
An purgatoria medicamenta 411. c
Aſtrorum ortus & occaſus obſeruandi medico 302.d
Ater humor apud Hipp. per τὸ ὕδωρ intelligitur 48.d
Athenienſis vetula quadam cicuta nutrita 304. b
Atra bilis an ſit viſcidiſſima inter humores 48. b
Quas febres efficiat 48.d
Atrabilis an ſemper per inferiora euacuanda ſit 372. b
Atrabilis generatio 368 d
Attenuantia, & eorum vſus 277.a
Attenuantium damna 279.d
Attrahentia 170. b
Ατροφία ſpecies tabis apud Celſum 399.d
An & quomodo diſcrepet à cachexia 400. a
Audacia an euaſcatur ex magno aut paruo corde 55.d
Auditum iuuantia 280.a
AuenZoar illuſus in cognitione prægnationis propriæ vxoris 30.c
Auerroes & AuenZoar quantum diſcrepent in doſi aquæ hordei 307.d
Auerroes & Galenus conciliati in exhibitione aquæ frigidæ in Cauſo 362.a
Aues calidæ, & earum vſus 178.d
Auguſtus quàm fuerit parcus & modeſtus in recipiendis ſtrenis 270.c
Auicēna Rex Bithyniæ Medicinæ cultor 90.c
Auicenna in quarunque ſpecie articularis morbi vinum prohibet 24. d. explicatur 25.b
Auicenna & Galenus conciliati circa ſpecies & differentias lumbricorum 197 d
Conciliatus circa cauſam materialem lumbricorum 201.a
Explicatus circa facultates aquarum mineralium 288.d
Auicenna cur commendarit vinum granatorum dulcium in pleuriticis & peripneumonicis 313.c
Vindicatur à calumnia Fuchſij circa præparationem bilis 352.c
Auicenna defenſus contra Fernelium 437.c
Aulicī medici damnati 401.c
Aulicorum vita 344.a
Aurantia quæ ſint 110.c
Aurelianus & Aretæus inter ſe conciliati 101. d
Aurium affectibus frigidis cur proſit cepa 279. d
Aurum, & argentū qua vi diſſoluantur 369. c
Auſtri incommoda 128. a
Vnde fiant 128. b
Auſtrina conſtitutio cui amica, & contrà 127.a 128.a 242.c
Autor quibuſnam Medicis ſcribat 16.b
Idem quæſita cur primaria, & ſecundaria vocet 16.c
Auctoris querimonia & digreſſio aduerſus obtrectatores 42
Autor cur in curatione aſthmatis temperamentum partium, vnde oritur, inquirit 93.d
Autori improbata remedia pro aſthmaticis tentata 100.d
Probat vſum tabachi pro iiſdem 100. d
Improbat ſuffitum arſenici 101. a
Ponit anhelitus difficultatem inter morbos muliebres 101.d
Autoris melicratum pro aſthmaticis 104. b
Autoris linimentum pro coxendico dolore 246. a
Autoris candor 144. d
Conſtantia 276.d
Autoris genitrix in puerperio extincta 168.b
Ex quibus ſignis phthiſim prænuntiauerit 401.b
Auxilia eadem omnibus non conuenīunt 294
Auxilia medica ſi ab indoctis vſurpentur, venena, ſi à doctis, deorum auxiliares manus ab Herophilo vocabantur 295.a.
Auxilium nullum eſt, quod citra noxam vndequaque proſit 278. d
Axioma Galenicum, Morbi hepatis tardiſſimè enecant 55. a

B

Baldus vtcunque improbatus circa præſumptionem abortus 269. b
Balnea Aponenſia 87.a
Balnea arte parata 87. a
Balnea aquæ dulcis ad quæ conferant 130. d
Aquæ calidæ ad quid item 131. c
Barbitonſores ſolummodo ſunt vocandi Chirurgi, qui in Phyſica deficiunt 150.d

Bate-

Batecha ſeu Bathiteb Auicenna quid ſignificet 109.b
Frigida eſt in principio ſecundi, & humida in fine eiuſdem 114.a
Baſilica vena ſecta vtilitas 334.a
Beatæ Virginis aquæ thermales quæ facultate præditæ 130.d
Vſus illarum, pro catharo 142.a
Quando vſurpanda 142.a
Benedicta medicamenta 20.b 94.d
Betonicæ vires 131.d
Contra lapillos & arenulas 131.d 132.a
Bezoartici lapidis vſus in epilepticis hyſtericiſque ſymptomatibus 137.b
In venenis 238.d
Bibaces meri quale ſemen habeant 181.d
